






BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 A
3

HIERONYMI ELVERI, OLIM MATTHIÆ,
Nunc FERDINANDI II. IMP.
Conſiliarij Aulici

DEAMBVLATIONES VERNÆ;

QVIBVS RVRALIS PHILOSOPHIA AD vnguem diſcutitur: Naturæ matris diuitiæ & Philoſophiæ delitiæ, Creatorem & creaturas humiliter admirantes; Naturę, inquam, matris in ſui Opificis prouidentiam admirabilem, & affectuum & effectuum exactam harmoniam, ſpeculationes diſſertationeſq; exponuntur, & ad varios vitæ humanæ vſus accommodantur: multarum THEOLOGICARVM, ETHICARVM, POLITICARVM, PHYSICARVM, METAPHYSICARVM, &c. meditationum promtuarium extruitur, vnde, quod publice priuatimq; ſit vſui, hauriri poteſt:


DVPLICI INDICE ADORNATÆ, PRIORE nempe Titulorum, altero vero Rerum.



Cum priuilegio S. Cæſ. Maieſtatis ad decennium.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,
TYPIS Joannis Friderici Weiſs,
Sumptibus LVCÆ JENNIS,

ANNO M. DC. XX.





PRAESTANTISSIMVS, LITTERArum studio, rerumque vsu celeberrimis viris, Dominis

IACOBO DV FAY, Seniori.

ET

IACOBO FAMA.

IMPERIALIS FRANCOFVRTI ciuibus & mercaturam facientibus.

DOMINIS ET MOECENATIbus suis plurimum colendis.



VI vitam Rusticam omnibus aliis prætulerunt studiis, illi, meo quidem iudicio viri Præstantissimi aberrarunt à vero minime: neque dubium mihi est vllum, omnes cordators & veritatis amãtes mihi assensuros. Et vt Vrbanæ ac ciuicæ conuersationi, vt multis expetitæ,

)(2 *suum*

suum quoq; relinquam locum: fatebuntur tamen omnes Rusticam ad studia sapientiæ, atq; adeo, ad gratam admirabilium Dei Creatoris operum meditationem esse appositiorem. Quid de iucunditate dicã? Facessant hinc omnibus graues in ciuitate strepitus, breuitatis studio hic non recẽsendi. Quanta cum recreatione illi etiã qui vrbibus includuntur aliquando se in apertos subducunt campos, in quibus omnia Elementa, & videntur & sunt puriora? Certe sol ibi lucet clarius; aura purior & salubrior, aquæ & limpidiores & gratiores; vel ipsa terra, omnium mater hic lætiorem exporrigit frontem. Hic prata ostentat viridantia, hic in cliuum molliter assurgit, hic in excelsum extollitur montem, hic vallem dulci susurro intersecat limpidissimus riuulus, & ipse suas diuitias, varios nempe pisciculos præbens, hic opaca varijsq; arboribus consita nemora, hic ager fertilis variis onustus frugibus, hic

gibus, hic vel ipsam aurorã aues dulcissimo præueniunt cantu, quibus omnis alius concentus cedit musicus: Hic horti amœnissimi, hic varij pulcherrimiq; flosculi, quorum, quis omnes recensebit aut distinguet à luxuriante natura productos colores? sunt hic & prædia in quibus vtilitatem cum iucunditate certare, non abs re quis dixerit: hic videas armenta campos & pascua detondẽtes, hic vitulantes iuuencos, hic lasciuientes capellas: hic gallũ, domesticum vigilem suas deducentem vxores, hic gallinam inter pullos suos glocitantem, hic vt summatim dicam, iucunditates mille, quibus qui non afficitur, næ ille haud homo, sed caudex & stipes est.

His adde veterum & prudentissimorum Legislatorum iudicium, qui iuuentutem non in vrbanis delicijs, sed in compestribus laboribus ad virtutem educandam & assuefaciendam censuerunt. Nimis enim verum est vetus illud prouer-

bium virtutem non altas domos sed humiles habitare casas. Vide Parthos ob virtutem & fortitudinem historijs celebres. In campis & iugarijs habitantes: Vide vagos per campos Schytas tot victorijs inclytos: Vide ipsos quoq; Germanos cãpis & syluis assuetos, Romanarũ interim legionũ sanguine rubentes. Vide vel ipsos Romanos rerũ dominos ab aratro & stiua Consules & Dictatores eligẽtes. Quid de Curiis, Fabriciis & Quinctiis dicam, quos ne tanti quidẽ honores in vrbe retinere potuerunt, sed peractis magna cũ laude magistratib. ad labores hos tanquã ad otium redierunt? Quantum se oblectauit Cicero, & Latij sermonis, & Latinæ Philosophiæ pater, in suo Tusculano, in quo etiam felici partu Quæstiones suas Tusculanas edidit? Quæ cum ita sint, nolim tamen Viri Clariß. & Præstantiß. putetis me vitam campestrem ita commendare aut extollere, vt Vrbanam deprimam

aut

aut contemnam. Sed huc mea tendit oratio, ut euincam, etiam ijs, quibus non cõtingit ut in campis degere possint, saltem deambulationes futuras & gratas, & ad meditationes philosophicas accommodatissimas. Quæ etiam fuit authoris nostri Domini Hieronymi Eluert, Matthiæ olim, nunc vero Ser. Imp. Ferdinandi consiliarij aulici sententia, qui inter tot honores & magnificẽtias, quæ aulicam vitam comitantur, meditatione saltem eorũ quæ in campis sese offerunt se oblectauit: atq; adeo id hoc libro publice confiteri voluit, dat ei deambulationũ vernaliũ, aut Philosophiæ ruralis titulo. Subrusticus alius eũ tanquã vilem nimis fuisset aspernatus: Verum hic noster & honori sibi eũ ducit, & sub eo tam feliciter naturæ dotes & diuitias persequitur, ut etiã illi qui vrbe egredi nõ possunt, vel domi lectitando, tanquã in amœnissimo deambulantes cãpo philosophari & sese oblectare possint.

Cum itaque & vos (Viri Clariss. & Præstantiss.) & musis fauere, & serijs vestris negotijs aliquando ad recreationem, cum iucunditate vtiles meditationes interponere scirem; hasce Domini Eluert Deambulationes Vernas, quas author ipse certis procul dubio de causis, nemini adhuc inscripsit, vobis potissimum dedicandas & inscribendas putaui: Hoc *saltem rogans vt ea quam hactenus ostendistis erga humaniores litteras, earumque promotores, propẽsione & humanitate, meã hanc dedicationem suscipiatis, meiq; in posterum & Patroni & Mæcenates esse velitis. Valete.*

E nostro bibliopolio Primo Veris mense Anno 1620.

Vestri studiosiss.

LVCAS JENNIS.



LECTORI

Salutem.

POstquam hic liber Philosophiæ ruralis ad manus meas peruenit, atque per transennam inspectus fuit, replicauit mihi memoriam Lysandri Lacedæmoniorum, dum à Persarum rege Cyro, in pulcherrimum hortum ac regia manu, quam artificiosissime consitum, deductus vehementi admiratione & gaudio insolitam loci culturam circumspexit. Vt enim is ne suspicione quidem deprehendere potuit illam in Rege solertiam & negotiorum vacationẽ, quæ ad huiusmodi hortensem splendorẽ requiritur, ita mihi præter existimationem obtigit, ac prima fronte incredibilis visa est, ea, quam vir tantis negotijs distentus in hoc sapientiæ campo collocauit, industria, vix otio diffluentibus, & summo ingenio præditis pari: ac posteaquam cogitatione regressus expendi pręnobilis auctoris illustre ingenium, singularem & raram doctrinam cum diuturna exercita-

tione ac literaria in Rep. affectione, coniunctam, cæpi admiratione insuauissimũ repente gaudium cõmutata sic loqui apud memetipsum, qualiter Cyrũ Lysander apud Xenophontem affatur: Recte te prænobilem heroa, Eluere, beatũ ferunt, quoniam sapientiæ tuæ, virtuti tuæ, irrequieto & indefesso animo tuo in cæsareis cõsilijs capiendis ac definiendis literaria fortuna coniungitur. Quæ enim, q̃ solers & industria, in hoc sapientiæ ruralis veluti circumsepto agro, soli subactio, fossio, repastinatio? q̃ frugiferarũ arborum coniugatio & plusq̃ quincuncialis ordinatio? q̃ pulcra ad adspectũ gemea illa & quasi interstellata florum picturatio? q̃ suauis ex herbescente soli viriditate transpiratio? quam læta ex vberrimo ingeniorum fructu expectatio? Volo dicere; ne Cyri pratum germinare tãtas, tam varias amænitates, suauitates, oblectationes corporeis organis potuisse: quanta hæc sapientiæ ruralis ad omnẽ honestatem delineata ac modulata fossio & structura, ingenuis & literatis hominibus, ciuitatib. rebusp. & regnis pleno cornu effundit, atq; fructificat. Videas ibi coli terram solam, herbas, flores, arbores; at hic etiã animos homi-

hominum. Cyrus hæret in terra vt talpa, huius cultura exultat, hac arte triũphat; at noster tollit sapientiæ sarculum ad cœlum vsq; animos hominum fodiens & optimarum virtutum semine cõspergens; doctus profecto ac beatissimis Euangelij proceribus, quib. id vnum curæ fuit mortalium animos è terra terrenisq; negotijs, ad cælestem erigere fælicitatem, atq; allegorica ex terrestriũ & cœlestium rerũ proportione harmonicoq; concentu fabricata scala trãsferre. Sic ab agro, in quo thesaurus latet, ducimur ad regnum euãgelicum. Matthæi 13. sicà semine corruptibili, ad incorruptibile semen, quo generamur in filios Dei, quod est verbum Dei. Lucæ 8. à pane ad sacrosanctam Eucharistiam, Ioannis 6. à vitæ ad Christum Ioan. 15. &c. Hoc filo, mi lector, in hunc sapientiæ ruralis hortum ingredere, remeabis me hercule ac theseo pastus & recreatus dulcissimo doctrinæ fructu, nullo implicatus labyrintho, ab agro adspectabili ad intelligibilem tuæ mentis noualem, à laboribus agriculturæ ad rationẽ animi, quo nihil in vita prætiosius, excolendi. Habet enim & animus noster intelligibilem terram, qua velut gremio

possit

possit aureum sapientię semen excipere, cohibere, complexu vaporoso fouere, donec adolescat, vaginis pubescens includatur, atq; in vitalem sementem indurescat. Habet & idem animus humanus instar vitis clauiculos quasi manus, quib. se erigit ac erratico lapso in sarmēta diffundit, hoc est, rationis motus, ex quib. varia propagātur opera, quæ deinde cultro discretionis velut sarmenta coercētur; Ad articulos sarmentitios gēmæ oriuntur, è quibus vuę nascuntur laudabilia scilicet variarum virtutum, Prudētiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ exercitia, quæ, vt vuæ terreno succo & calore augescunt, sic cælestis gratiæ rore ac sole multiplicantur. Nec tamen inter hæc ociatur vinitoris industria, in vitis amputatione, religatione, propagatione, maturatione, quando singulari vigilātia cura, & solertia opus est in omnibus vitæ præsentis operibus ac negotijs, nō tantū ad humanæ rationis, æquilibrium sed etiā ad auream superhumanæ ac cælestis regulę mediocritatem officiumq; (id quod absq; supremi Numinis adspiratione fieri nequit) tum reducendis, tum retinendis.

dis. Quid dicam de sydere, quo terrã vertere conuenit, de cura pecorum apũ, de infinitis huiusmodi agriculturæ rationibus, in quibus nihil ad animorum instructionem lucet, paulo clarius ꝙ sagacissimus noster γεωργὸς non animaduerterit, atq; ad communem vtilitatẽ protraxerit? Quem virũ aut heroa nominas? Prænobilem & clarissimum, iurisq; consultissimum Dominum Eluerum, in Concilio Cçsareo facile splendidissimum, qui à teneris in Musarum palçstra exercitatur, emensis reconditioris philosophiæ spatijs Iurisq; ciuilis apice ornatur, in theatrum Imperij fæliciter ingressus, in ipsa corona cæsareorum cõsiliariorum in luce regni, in oculis Cæsaris publicisq; pro Repub. latoribus constitutus tibi (amice lector) totiq; posteritati, georgica ista sudauit, ferendis percipiẽdis, condendis fructib. ad corpus animumq; nutriendum accõmodatis. Nõ publicæ occupationes, literarias exercitationes obruere, nõ aulica negotia ingenij lumen extinxere. Nõ instructæ ac adipales mensæ pabulũ studij & doctrinæ absumpsere, non pocula minuta & rorantia, in Thoria rosa & herbescente viriditate oculũ sapientię sopiere,

quo minus honestissima rusticanarũ voluptatum legendarum, scribendarũ, posters prodendarum titillatione animum reficeret, eaq; exercitatione, qua corpora ingrauescunt mentem leuaret, vere conserẽs arbores eruditionis & honoris alteri quoq; sæculo profuturas: Inũc rusticane Xenophon cum Oeconomo tuo: iacta te Maro Georgicis tuis, triũpha Varro tua re rustica: vnus hic noster instar sit omniũ latepatẽtes ruris artes hoc opere, velut vno manipulo cõplexus. Quod si nihilominus illis honor suus constat & gratiarũ actio ꝓpter operã in hac materia posteritati nauatã dignus ꝓfecto est immortali nominis gloria, q non vt ethnicus, verũ vt christianus, tot vndiq; negotijs adstrictus, nobis posterisq; nostris hoc literariũ nouale excoluit, sibiq; cedrinũ monimentũ perennius, q̃ Neuius bello punico Plautus pseudolo Isocrates panathenaico, Plato fætib. literarijs post octogesimũ annũ procreatis, Maro Xenophon, Varro rusticanis suis excitauit. Hoc ergo bone lector fruere tibiq;, auctoriq; posteritatiq; applaude. Anno salutis 1620. Martij die 5.

Matthæus Gurttnerus.

Ph.P. & C.F. ad S.B.

SERIES

SERIES TITVLORVM QVI in hoc opere pertractantur.

DIVIDVNTVR

HÆ DEAMBVLATIONES VERNÆ IN DVAS PARtes: prior agit de obambulationum ruralium iucunditate; posterior de earundem vtilitate.

IN PRIORI PARTE REPERIVNTVR HÆ SVBSEQVENTES MATERIÆ, EX QVIBVS rerum seriem videre est.

14 Equi-

42 Flu-

IN POSTERIORI PARTE REPERIVNTVR HÆ SVBSEQVENTES MATERIÆ, EX quibus rerum seriem videre est:

84 *Ars*

134 *Octa-*

166 *Agri-*



HIERO-



HIERONYMI ELVERI

DEAMBVLATIONVM VERNARVM PARS PRIOR.

I.

OCCASIO ET INGRESSIO huius Dissertationis.



Vod multi iam dies profluxerint, in quibus neque hospitem, neq; hospitam conspexi, quodque per hos dies illorum conuictum vitauerim, atque interim clausus in Musæo meo quotidie semel tantum ederim, & sic vere Socraticam vitam vixerim, quid miraris, mi Iuli Porphyri? quid quæris? Nunquid oblitus es prouerbia ista? *impossibile simul sorbere & flare: Neminem valere duobus pariter inseruire dominis.* (Matth. 6. 24.) Mineruæ me vota fecisse, & non Libero haud ignoras? Si illi inseruiam,

 qui

qui potero isti? O si nostri hospitis culinam & concursantes inter tot ignes coquos aspiceres, totque amphoras vino plenas labascentium famulorum & rapparum rapacibus manibus ex humidis & rapidis cellis noctesque diesque latas & adportatas oculis tuis videres, atque illos homines, (quos probe nosti) non aliam quam communem cum spongia virtutem habentes, lurcones illos, gurguliones & bibulos, luminibus tuis vsurpares, eorumque lurcandi & ingurgitandi stupendas figuras perspiceres: longe feliciorem me diceres, qui conuictum illum vitauerim, istiusmodi gulas & crapulas effugerim, me in Musæum meum receperim, sobrie vixerim, fores clauserim, hosque dies partemque noctium politicis studiis hoc fine mihi vindicauerim, vt olim multis prosim. Sic hoc tempore ebriis & vomitantibus illis non solum siccus fui & sobrius, verum in sedecula mea Mineruæ nostræ holocausta obtuli, eique placere studui: Humiles sordidasque curas & rugas aliis mandaui, & ipse in medio, alto, pinguique secessu studiis adhæsi, effingens atque excudens aliquid, quod sit perpetuo meum; illis ea relinquens, quæ post ipsos alios atque alios sortientur dominos, feliciori ego studio adfui, siue meditando aliquid & scribendo mei memoriam posteris relinquere, atque ita dierum fugam sistere, hoc breuissimum vitæ tempus extendere, & me literarum monumentis à mortalitate vindicare studui. Hoc meum fuit negotium,

hoc

hoc otium, hic labor, hęc quies. In his vigiliam, in his somnum reposui. Sic est. Strenue operam dedi studiis. Quoties tamen lassus, relaxationem studiorum animo dedi, & grauiora studia itionibus, obambulationibus leuibus, breuibusque itineribus, tam equestribus & naualibus, quam pedestribus distinxi; rus, gramine floribusque picta prata, frondifluas & vmbriferas syluas, nec non amœnos illos hortulos & paradisos inter se colore & odore certantium herbarum cum ludentibus variis flosculis plenissimos & lætissimos inuisi. Et fuere obambulationes istæ tantum crebriores, quantum campi & syluæ iam temporis sunt lætiores. cum omnia nunc luxurient, vitulentur, rideant; vt cum Virgiliano colono (*Ecl. 3.*) dicere possis,

——— Nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent syluæ, nunc formosissimus annus:

Nunc magna naturæ pars læte renouatur,
Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos,

Nunc omne animal plena lætitia & nouo amore mouetur insectum per hyemem demortuum resuscitatur, omnis plantæ occulta virtus emittitur, totusque terrarum globus iucunde floribus, herbis & frondibus reuestitur, & odoribus dotatur. Sed heus tua, amicissime Iuli Porphyri, non otiose ictus otium transegi, neque me tantum arborum aspectu, aut pratorum, camporum & hortulorum floribus interpunctorum atque amnium & riuulorum

obmurmuratione, & auicularum grato dulcique concentu me oblectaui; sed etiam cum tot Dei donis totaque Natura modo ruri obambulans atque oberrans, modo in tenaci mollique gramine, modo sub vmbrosa ilice iacens sermones communicaui, & philosophatus sum cum creaturis, tot animalibus, arboribus, herbis, fontibus, amnibus, auiculis, cæterisque creaturis quoties mihi obuiis collocutus sum, & de omnipotentia ac sapientia Dei confabulatus.

II.

RERVM NATVRA Loquax.

RErum namque natura haud muta est, vndiquaq; illa loquax est, & garrlens. Nec inuidens est; sed multa contemplantem & meditantem philosophum docet: apertis oribus, quocunque ille se vertit, amœna naturæ vernantis facies clamitat, vbique creatoris Dei sapientiam, bonitatem, benignitatem, prædestinationem, prouidentiam & potentiam abunde prædicat. Confiteri expertus cogor: contemplationem in naturæ secretis animique ingeniique pabulum esse; quo me aliis negotiis lassum & nauseabundum sæpissime refeci. Exinde non secus ac apicula ex floribus mel, ego iucunda pariter atq; vtilia in ingenii, iudicii, animiq; aluenum meum congessi. Subsiste hic parum mi Iuli Porphyri, & meum deambulationum mearum iucun-

iucunditate pariter & vtilitate, more meo philosophare.

III.

DEAMBVLATIONVM Ruralium Iucunditas.

ET vt de ambulationum mearum iucunditate prius pauca dicam, quid, quæso, magis volupe ac gratum nunc temporis, Maio scilicet mense,

IV.

DESCRIPTIO MENSIS Maij, eiusque pulchræ faciei.

VBi (non immodicus calor æstatis, non iniquum frigus hyemis, aut nimia siccitas autumni; sed vbi hæc omnia, frigus, calor, humor, siccitas discordia concordissima miscentur, atque ad mediocritatem singulæ temporum vices, quod habent amœnitatis optumum, tanquam symbola contulisse videntur;) dici, pingi, aut fingi potest, quam in opacis & querulis sylvis, nec non in floridis, latis & lætis pratis; itidem in vberibus, amplis, & apertis campis, atque floriferis, odoriferis & nitide excultis illis hortis spaciari, deambulare, vagari, huc illucque oberrare, & quasi lente volare? ô quam delectabile nunc temporis est, loca petere molli gramine induta, & florum purpura, tanquam vermiculato, aut tessellis insititiis variato emblema-

blemate, picta siue inter puncta, iucundissima luce, velut decenti risu aspectus nostros remunerantia? ibidem variis flosculis oculos animosque pascere, quibus quasi lætissimis coloribus humus depingitur, & gemmeis honoribus coronatur, cuius viriditate, pulcherrimis flosculis arbustisque multis, aliarumque herbarum & arborum varietate, nihil ad aspectum pingi iucundius potest. Quam amabile inter purpureos florum thoros, inter frōdium aceruos requiescere, solis radios fallere, flores legere, & nares odoribus diuersarum herbarum perfundere, & permulcere? nunquid pratorum viriditate pulcherrimis variata flosculis, arborum tam belle dispositarum ordinibus, vinearum specie, quicquam ad aspectum fingi amabilius potest? quam iucundum, campos & colles intueri, segetum copia & densitate fluctuantes; mox ad montium iuga arboribus tanquam comis conuestita oculos vertere? quæ sedes sunt summarum deliciarum, qua corporis, qua animi plenissimæ, plus quam verbis enarrari, plus quam mente fingi potest, pulcherrimæ, amœnissimæ; vbi ventus mediocri susurro delectat euntes, extremisque aliis afflat, per interualla lasciuiēs redit, & arborum ramos foliaque dulci murmure inspirat. Quam suaue arbores sparsim consitas, earumque ramos primum in flores, tum in frondes se induentes aspicere? quæ frondium comis gratissimas nobis præbēt vmbras, & oculos auresque pariter recreant pro-

lixorum

lixorum ramorum & errantium frondium textu,& naturæ magiſtræ manus complicatione.

V.

AVIVM CONCENTVS.

VBI omnis generis auiculæ volitant, nidificant, oberrant; quæ non ſolum oculos noſtros colorib. variis, diuerſis & picturatis pennis, miraque pulchritudine oblectant; verum etiam aures cantus ſuauitate demulcent, & delicatis mellitiſque voculis, ſuauiſſimis & liquidiſſimis cantilenis tenui gutture meditantes, mira dulcedine reficientes auroram gratiorem, ver amabilius, & hortulos ſyluaſque delectabiliores reddunt, quibus lenibus auris perſtrictæ arborum comæ placide admurmurant? Nulla Muſica hac gratior eſſe poteſt, cum in auiariis, maxime contentione orta, gutturculo ſuó anguſto ſibilans & garrula philomela dulci gemitu vocum diſcrimina, mille modos, milleque ſonos refert, tanto tamque indefeſſo ſtudio, vt cunctas alias volucres ſuauiſſima carmina arguantes ad certamen prouocet:

Scribere me voces auium philomela coegit,
Quæ cantu cunctas exuperet volucres.
Dulcis amica veni, noctis ſolatia præſtans:
Inter oues etenim nulla tibi ſimilis.
Tu, philomela, potes vocum diſcrimina mille,
Mille potes varios ipſa referre modos.
Nam quamuis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla poteſt modulis æquiualere tuis.

Insuper est auium, spaciis garrire diurnis,
Tu cantare simul nocte dieque potes.

VI.

VARIARVM AVIVM VOCES.

MOdulatur ibidem argutula vocula cantillat tenera acanthis,

Hinc fringultit acanthis, & hinc acredula questus
Ingeminat, ——— ——— ——— ———

Pia cothurnix queritur, trutilat raulus turdus, edax sturnus pisat, cacabat picta perdix, castus & pudicus turtur gemit, plausitat torquata palumbes, famelicus coruus crocitat, garrit & cornicatur longæua & fusca cornix, vagæ & lasciuæ hirundines trinsant, cucuriunt salaces & tithonei galli, cristatæ & sollicitæ gallinæ glocitant siue gracillant, frigulant loquaces & obstreperi graculi, gemmei & siderei pauones pupillant, murmurãt pleno gutture candidi & blandi columbi, gracilipedes ciconiæ pietatis illæ cultrices, globatant, siue gloterant & crepitant, boant & mugiunt interpunctæ & stellares ardeæ, obscœni & ingrati cuculi cuculant, gruunt & clangunt altiuolæ & aduenæ grues, paruuli reguli & meropes zinzizulant, ducunt in aere varios gyros & dulci rostro minurizant blandisonæ & argutæ alacidæ, planipedes & aquatici anseres gracitant, pulpant diri & obscœni vultures, cupidi & rapaces accipitres pipant, pipiunt quoque saltitantes passeres, vna cum omnis generis pullis & pipionibus:

Pessimus & passer tristia flendo pipit.

Cacabat hic perdix, hic gracitat improbus anser,
Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena
Nunc sturnos inopes, fringillarumque querelas
Audit, & arguto passere vernat ager.
Inde salutatus pica respondet arator;
Hinc prope summa rapax miluus in astra volat.
——— ——— ——— *Syluester aedon*
Atque vrbana Progne, quæ circum gramina fusa
Et molles violas, cantu sua rura colebant.
——— ——— ——— ——— *Totumque canora*
Voce nemus loquitur ——— ——— ——— ———
Argutisq; sonat modulatos vocibus hymnos.

Ibidemq; & suo tempore vespertilio strider, nec non vlulæ & bubones vlulant. Cum summa iucunditate obseruamus naturam quibusdam auibus breuem & temporarium, ad certum scilicet anni tempus, cãtum accommodasse, hirundinibus matutinũ, cicadis meridianum, noctuis serum, vlulis vespertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum. Nulla tali Musica gratior, vbi auicularum delicatulis mellitisq; voculis reficimur, cum nos circumsonant veluti salutantes chori illi alitum suauiter frutillantium zinzizulantium, trutilantium, & minurizãtium, quarum minurizationibus non æquiparant se tibiæ, cytharæ, fistulæ, chelyes, aut ex arte vlli cantus. Si porro verum est, quod de Musica perhibetur, quod ea graues labores leuet, grauia fortunæ vulnera sanet, anxiferas curas pellat & sopiat, timorem eximat, tristitiam tollat, coer-

ceat & reprimat furorem, vt Flaccus quodammodo innuere vult, cum canit:

O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Iouis! o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salue
Rite vocanti:

Inprimis & merito de volatilium Musica hoc dici debet. Ego ingenue fateor, quod tali animum meum Musica satiare non possim, & præ istis illecebris & deliciis multas Regum Principumque voluptates despiciam, contemnam, non aueam.

VII.
DIVERSARVM AVIVM certamina.

HAud minor voluptas est, diuersarum auium certamina aspicere, aliam aliam insequi & persequi, fugare, deuorare; quomodo coruos, vultures, miluos, accipitres fere omnes cæteræ aues timent, fugiunt, nec non coruorum & miluorum circa columbarum domos, pullorumque nidos accuratam vigilantiam obseruare, alteram alteram odio habere, hanc illam deuorare, aliam aliam fugere, naturale atque æternum odium in iisdem considerare, & quomodo altera alterius inuadit nidum, atque confractionis spem prolis interimit, ad oculum comprehendere: & quale porro odium sit & inimicitia inter cuculum & cæteras aues, animaduertere. Huic enim non vnus est hostis, omnes

mnes fere auiculas illi insultare cernimus profugo semper & querulo. Hic animosi galli sese calcaribus impetunt, & superbus alter alteri cristas vulnerant; ibi latipedes anates atque anseres pectoribus sese perurgent, clangoribus increpitant, aliisque diuerberant.

VIII.

VARIÆ VARIARVM auium formæ.

QVid delectabilius denique est ipsis conspectis auiculis, quæ tam variæ sunt formæ & coloris in capite, dorso, in pectore, & cauda? en tibi niueas torquatasque columbas, cristatos gallos, inauratos phasianos, candidos cygnos, oleumque pauonem pennis suis gloriantem, erectoque pennatum flabello seipsum admirantem:

Explicat atque suas ales Iunonia pennas,
Pandentemque alas caudamque ad terga rotantem,

Qui colores suos, vt fulgentius radient, sole aduerso expandit, qui quasi sidera portans, forma sua superbit, qui ventilat insignem rotam composito orbe, inprimis cum se laudari sentit; & vbi crura non pulchro cum pede correspondentia conspicit, illico tristior decus illud admirabile stellantis caudæ demittens plenus multi pudoris abit.

IX. VA-

IX.

VARIÆ SYLVESTRES bestiæ.

MVltum etiam oblectamenti nobis offert visa & audita varietas diuersarum syluestrium bestiarũ. Hic animalia sanguinea, ἔναιμα, ibi exsanguia, ἄναιμα, vt sunt omnia insecta singulari cum voluptate contemplamur, hic volatilia; ibi gressilia; alibi reptilia; atque alio loco natatilia, quorum aliqua sunt viuipara, alia ouipara; quædam societatem diligentia, & gregatim incedentia; quædam societatem fugientia; quædam muta; quædam vocalia.

X.

QVORVNDAM QVADRVpedum voces.

GLocitat hic velocipes & pauens ceruus, ibi astuta & fallax vulpecula gannit; alio loco auritus & pauidus lepus vagit; in ingentibus syluis osseus & raucus vrsus vncat, vlulat auidus & famescens lupus, spumeus & hirsutus aper frendit.

XI.

VARIARVM BESTIARVM certamina.

PVgnant hæ dentibus; illæ vnguibus certant: sunt cornibus quæ dimicent, vt tauri & animalia alia: *(Verg. Georg. 3.)*

Illi alternantes multa vi prælia miscent,
Vulneribus crebris:lauat ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos vrgentur cornua vasto
Cum gemitu:reboant syluaq; & magnus olympus;
Nec mos,bellantes vna stabulare; sed alter
Victus abit,longeque ignotis exsulat oris,
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris,tum quos amisit multus amores;
Et stabula adspectans regnis excessit auitis.
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura iacet peruix instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis,& carice pastus acuta:
Et tentat sese,atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco,venasque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Post,vbi collectum robur, viresq; recepta,
Signa mouet, præcepsq; oblitum fertur in hostem.

Reperiuntur etiam animalcula, quæ morsu; nonnulla quæ stercoris effusione se defendunt, vt quædam aues,& quædam saltu,fuga,latebris & occultatione sese tuentur:alio modo alia vim à se propulsant; quædam aperto id Marte; quædam astutia. Natura enim tam prouida est, vt animalibus de certis præsidiis prospexerit. Videmus alia valere cornibus; alia & cornibus carentia,vel dentibus prominentibus esse prædita,vt sues;vel rostris,vnguibus,calcaribus, vt aues;vel pedum celeritate,en tibi equos,ceruos, capreolos;vel corporis vastitate & mole; vt vrsi; vel spinis,vt echinus. Et armis non prædita; maiori astutia natura prouidit.

XII.

obmurmuratione, & auicularum grato dulcique concentu me oblectaui; sed etiam cum tot Dei donis totaque Natura modo ruri obambulans atque oberrans, modo in tenaci molliquè gramine, modo sub vmbrosa ilice iacens sermones communicaui, & philosophatus sum cum creaturis, tot animalibus, arboribus, herbis, fontibus, amnibus, auiculis, cæterisque creaturis quoties mihi obuiis collocutus sum, & de omnipotentia ac sapientia Dei confabulatus.

II.

RERVM NATVRA Loquax.

Rerum namque natura haud muta est, vndiquaq; illa loquax est, & garrlens. Nec inuidens est; sed multa contemplantem & meditantem philosophum docet: apertis oribus, quocunque ille se vertit, amœna naturæ vernantis facies clamitat, vbique creatoris Dei sapientiam, bonitatem, benignitatem, prædestinationem, prouidentiam & potentiam abunde prædicat. Confiteri expertus cogor: contemplationem in naturæ secretis animique ingeniique pabulum esse; quo me aliis negotiis lassum & nauseabundum sæpissime refeci. Exinde non secus ac apicula ex floribus mel, ego iucunda pariter atq; vtilia in ingenii, iudicii, animiq; aluearium meum congessi. Subsiste hic parum mi Iuli Porphyri, & meum deambulationum mearum iucun-

iucunditate pariter & vtilitate, more meo philosophare.

III.
DEAMBVLATIONVM Ruralium Iucunditas.

ET vt deambulationum mearum iucunditate prius pauca dicam, quid, quæso, magis volupe ac gratum nunc temporis, Maio scilicet mense,

IV.
DESCRIPTIO MENSIS Maij, eiusque pulchræ faciei.

VBi (non immodicus calor æstatis, non iniquum frigus hyemis, aut nimia siccitas autumni; sed vbi hæc omnia, frigus, calor, humor, siccitas discordia concordissima miscentur, atque ad mediocritatem singulæ temporum vices, quod habent amœnitatis optumum, tanquam symbola contulisse videntur;) dici, pingi, aut fingi potest, quam in opacis & querulis syluis, nec non in floridis, latis & lætis pratis; itidem in vberibus, amplis, & apertis campis, atque floriferis, odoriferis & nitide excultis illis hortis spaciari, deambulare, vagari, huc illucque oberrare, & quasi lente volare? ô quam delectabile nunc temporis est, loca petere molli gramine induta, & florum purpura, tanquam vermiculato, aut tessellis insititiis variato emblema-

blemate, picta siue inter puncta, iucundissima luce, velut decenti risu aspectus nostros remunerantia: ibidem variis flosculis oculos animosque pascere, quibus quasi lætissimis coloribus humus depingitur, & gemmeis honoribus coronatur, cuius viriditate, pulcherrimis flosculis arbustisque multis, aliarumque herbarum & arborum varietate, nihil ad aspectum pingi iucundius potest. Quam amabile inter purpureos florum thoros, inter frōdium aceruos requiescere, solis radios fallere, flores legere, & nares odoribus diuersarum herbarum perfundere, & permulcere? nunquid pratorum viriditate pulcherrimis variata flosculis, arborum tam belle dispositarum ordinibus, vinearum specie, quicquam ad aspectum fingi amabilius potest? quam iucundum, campos & colles intueri, segetum copia & densitate fluctuantes; mox ad montium iuga arboribus tanquam comis conuestita oculos vertere? quæ sedes sunt summarum deliciarum, qua corporis, qua animi plenissimæ, plus quam verbis enarrari, plus quam mente fingi potest, pulcherrimæ, amœnissimæ; vbi ventus mediocri susurro delectat euntes, extremisque aliis afflat, per interualla lasciuiēs redit, & arborum ramos foliaque dulci murmure inspirat. Quam suaue arbores sparsim consitas, earumque ramos primum in flores, tum in frondes se induentes aspicere? quæ frondium comis gratissimas nobis præbēt vmbras, & oculos auresque pariter recreant prolixorum

l'xorum ramorum & errantium frondium textu, & naturæ magistræ manus complicatione.

V.

AVIVM CONCENTVS.

VBI omnis generis auiculæ volitant, nidificant, oberrant; quæ non solum oculos nostros colorib. variis, diuersis & picturatis pennis, miraque pulchritudine oblectant; verum etiam aures cantus suauitate demulcent, & delicatis mellitisque voculis, suauissimis & liquidissimis cantilenis tenui gutture meditantes, mira dulcedine reficientes auroram gratiorem, ver amabilius, & hortulos syluasque delectabiliores reddunt, quibus lenibus auris perstrictæ arborum comæ placide admurmurant? Nulla Musica hac gratior esse potest, cum in auiariis, maxime contentione orta, gutturculo suô angusto sibilans & garrula philomela dulci gemitu vocum discrimina, mille modos, milleque sonos refert, tanto tamque indefesso studio, vt cunctas alias volucres suauissima carmina argutantes ad certamen prouocet:

Scribere me voces auium philomela coegit,
Quæ cantu cunctas exuperet volucres.
Dulcis amica veni, noctis solatia præstans:
Inter oues etenim nulla tibi similis.
Tu, philomela, potes vocum discrimina mille,
Mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamuis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquiualere tuis.

Insuper est auium spaciis garrire diurnis,
Tu cantare simul nocte dieque potes.

VI.

VARIARVM AVIVM VOCES.

MOdulatur ibidem argutula vocula cantillat tenera acanthis,

Hinc fringultit acanthis, & hinc acredula questus
Ingeminat, —— —— —— ——

Pia cothurnix queritur, trutilat raulus turdus, edax sturnus pisat, cacabat picta perdix, castus & pudicus turtur gemit, plausitat torquata palumbes, famelicus coruus crocitat, garrit & cornicatur longæua & fusca cornix, vagæ & lasciuæ hirundines trinsant, cucuriunt salaces & tithonei galli, cristatæ & sollicitæ gallinæ glocitant siue gracillant, frigulant loquaces & obstreperi graculi, gemmei & siderei pauones pupillant, murmurãt pleno gutture candidi & blandi columbi, gracilipedes ciconiæ pietatis illæ cultrices, globarant, siue gloterant & crepitant, boant & mugiunt interpunctæ & stellares ardeæ, obscœni & ingrati cuculi cuculant, gruunt & clangunt altiuolæ & aduenæ grues, paruuli reguli & meropes zinzizulant, ducunt in aere varios gyros & dulci rostro minurizant blandisonæ & argutæ alacidæ, planipedes & aquatici anseres gracitant, pulpant diri & obscœni vultures, cupidi & rapaces accipitres pipant, pipiunt quoque saltitantes passeres, vna cum omnis generis pullis & pipionibus:

Pessimus & passer tristia flendo pipit.

Cacabat

Cacabat hic perdix, hic gracitat improbus anser,
Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena
Nunc sturnos inopes, fringillarumque querelas
Audit, & arguto passere vernat ager.
Inde salutatus pica respondet arator;
Hinc prope summa rapax miluus in astra volat.
— — — *Syluester aedon*
Atque vrbana Progne, quæ circum gramina fusa
Et molles violas, cantu sua rura colebant.
— — — — *Totumque canora*
Voce nemus loquitur — — — —
Argutisq; sonat modulatos vocibus hymnos.

Ibidemq; & suo tempore vespertilio stridet, nec non vlulæ & bubones vlulant. Cum summa iucunditate obseruamus naturam quibusdam auibus breuem & temporarium, ad certum scilicet anni tempus, cãtum accommodasse, hirundinibus matutinũ, cicadis meridianum, noctuis serum, vlulis vespertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum. Nulla tali Musica gratior, vbi auicularum delicatulis mellitisq; voculis reficimur, cum nos circumsonant veluti salutantes chori illi alitum suauiter frutillantium zinzizulantium, trutilantium, & minurizãtium, quarum minurizationibus non æquiparant se tibiæ, cytharæ, fistulæ, chelyes, aut ex arte vlli cantus. Si porro verum est, quod de Musica perhibetur, quod ea graues labores leuet, grauia fortunæ vulnera sanet, anxiferas curas pellat & sopiat, timorem eximat, tristitiam tollat, coer-

ceat & reprimat furorem, vt Flaccus quodammodo innuere vult, cum canit:

O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Iouis! o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salue
Rite vocanti:

Inprimis & merito de volatilium Musica hoc dici debet. Ego ingenue fateor, quod tali animum meum Musica satiare non possim, & præ istis illecebris & delitiis multas Regum Principumque voluptates despiciam, contemnam, non aueam.

VII.

DIVERSARVM AVIVM certamina.

HAud minor voluptas est, diuersarum auium certamina aspicere, aliam aliam insequi & persequi, fugare, deuorare; quomodo coruos, vultures, miluos, accipitres fere omnes cæteræ aues timent, fugiunt, nec non coruorum & miluorum circa columbarum domos, pullorumque nidos accuratam vigilantiam obseruare, alteram alteram odio habere, hanc illam deuorare, aliam aliam fugere, naturale atque æternum odium in iisdem considerare, & quomodo altera alterius inuadit nidum, atque conf. actionis spem prolis interimit, ad oculum comprehendere: & quale porro odium sit & inimicitia inter cuculum & cæteras aues, animaduertere. Huic enim non vnus est hostis, omnes

mnes fere auiculas illi insultare cernimus profugo semper & querulo. Hic animosi galli sese calcaribus impetunt, & superbus alter alteri cristas vulnerant; ibi latipedes anates atque anseres pectoribus sese perurgent, clangoribus increpitant, alisque diuerberant.

VIII.

VARIÆ VARIARVM auium formæ.

QVid delectabilius denique est ipsis conspectis auiculis, quæ tam variæ sunt formæ & coloris in capite, dorso, in pectore, & cauda? en tibi niueas torquatasque columbas, cristatos gallos, inauratos phasianos, candidos cygnos, oleumque pauonem pennis suis gloriantem, erectoque pennarum flabello seipsum admirantem:

Explicat atque suas ales Iunonia pennas,
Pandentemque alas, caudamque ad terga rotantem,

Qui colores suos, vt fulgentius radient, sole aduerso expandit, qui quasi sidera portans, forma sua superbit, qui ventilat insignem totam composito orbe, inprimis cum se laudari sentit; & vbi crura non pulchro cum pede correspondentia conspicit, illico tristior decus illud admirabile stellantis caudæ demittens plenus multi pudoris abit.

IX.

VARIÆ SYLVESTRES bestiæ.

MVltum etiam oblectamenti nobis offert visa & audita varietas diuersarum sylue-strium bestiarũ. Hic animalia sanguinea, ἔναιμα, ibi exsanguia, ἄναιμα, vt sunt omnia insecta singulari cum voluptate contemplamur, hic volatilia; ibi gressilia; alibi reptilia; atque alio loco natatilia, quorum aliqua sunt viuipara, alia ouipara; quædam societatem diligentia, & gregatim incedentia; quædam societatem fugientia; quædam muta; quædam vocalia.

X.

QVORVNDAM QVADRVpedum voces.

GLocitat hic velocipes & pauens ceruus, ibi astuta & fallax vulpecula gannit; alio loco auritus & pauidus lepus vagit; in ingentibus syluis osseus & raucus vrsus vncat, vlulat auidus & famescens lupus, spumeus & hirsutus aper frendit.

XI.

VARIARVM BESTIARVM certamina.

PVgnant hæ dentibus, illæ vnguibus certant: sunt cornibus quæ dimicent, vt tauri & animalia alia: *(Verg. Georg. 3.)*

Illi

Illi alternantes multa vi prælia miſcent,
Vulneribus crebris:lauat ater corpora ſanguis,
Verſaque in obnixos vrgentur cornua vaſto
Cum gemitu:reboant ſyluaq; & magnus olympus;
Nec mos,bellantes vna ſtabulare; ſed alter
Victus abit,longeque ignotis exſulat oris,
Multa gemens ignominiam plagaſque ſuperbi
Victoris,tum quos amiſit inultus amores;
Et ſtabula adſpectans regnis exceſſit auitis.
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura iacet peruix inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis,& carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe,atque iraſci in cornua diſcit,
Arboris obnixus trunco;venaſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt,vbi collectum robur, vireſq; receptæ,
Signa mouet; præcepsq; oblitum fertur in hoſtem.

Reperiuntur etiam animalcula, quæ morſu; nonnulla quæ ſtercoris effuſione ſe defendunt, vt quædam aues,& quædam ſaltu,fuga;latebris & occultatione ſeſe tuentur:alio modo alia vim à ſe propulſant;quædam aperto id Marte; quædam aſtutia. Natura enim tam prouida eſt, vt animalibus de certis præſidiis proſpexerit. Videmus alia valere cornibus; alia & cornibus carentia,vel dentibus prominentibus eſſe prædita,vt ſues;vel roſtris,vnguibus,calcaribus, vt aues;vel pedum celeritate,en tibi equos,ceruos, capreolos;vel corporis vaſtitate & mole; vt vrſi; vel ſpinis,vt echinus. Et armis non præditas maiori aſtutia natura prouidit.

XII.

XII.

DIVERSORVM ANIMAlium diuersæ naturæ & qualitates.

VT de feris animalibus, in syluis mensurandis & percurrendis dies noctesque transigentibus, vel aerem scindentibus tantum dicam; cum summa (profiteor) delectatione obseruamus singulis speciebus singulares & distinctas esse voces, cantus, vociferationes; singulis speciebus esse certos pennarum, pellium siue crinium colores: singulis certas habitationes & latibula certosque affectus; hæc in aliis arboribus nidificat; illa agrorum in sulcis: hæc in herbis; illa in hominum ædibus: hæc in antris & cauernis; illa sub frutice. Singulares insuper esse singulis amores, conceptus & partus, singulis singulares appetitus, ætates, aliasque proprietates ad oculum obseruamus. Hæc species est callidior; illa simplicior.

XIII.

VENATIONES.

POrro accidit istis in itionibus & in campis deambulationibus, vt venatores offendamus, qui feras artificiose quærere & capere didicerunt: (*Verg. 1. Georg.*)

Tunc gruibus pedicas, & retia ponere ceruis,
Auritosque sequi lepores, tum figere damas.

Iucun-

Iucundum eſt, eos in agris verſicoloribus pratis per montes, ſyluas, & colles quaſi volitantes, canes auritorum leporum ſagaciſſime inueſtigando veſtigia, huc illuc mira alacritate curſitantes cernere, & videre, quomodo venantes retia figant, & pauidas ſequantur feras, omniſque generis animalia venabulis proſequantur, inſidientur, laqueiſque fallant, & caſſibus irretiant. Ibidem vulpecula canibus eludere conſpicitur, doliſque & technis variis contra venatores ſeſe tueri: quomodo inſuper venatores ad retia ſedentes prædam expectent, huc illuc per dumeta cum canibus & falconibus curſitent, vnius lepuſculi gratia in otioſo illo negocio totos dies conterant, vnius capreoli cauſa algorem perpetiantur, per dumeta genuetenus obambulent, torreantur calore, perferant ſitim, tolerent inediam, ſæpe humi & ſub Ioue frigido quieſcant & dormiant, omniſque generis cœli iniurias conſtanter perferant. Iucundum demum venatorum exclamationes auribus percipere: *Iô canes, Iô ſegnes: bene canes, probè canes, ita canes, optimi canes, Euge, Euge, Euge, ô canes, inſtate, inſtate optimi canes*: & reuocantes: *retro retro, canes, retro, heu canes.*

XIV.

EQVITATIO.

OCcurrunt & nobis iuuenes equites, generoſis & ſpumantibus equis inſidentes. O quam pulchrum eoſdem cernere ſaltibus curſibus

ſibuſque equum immotum concitare in orbem exiguum circumflecteret à præcipiti curſu retinere? in gyrum vertere: commode tractare? Iucundum inſuper videre equum terram fodientem; audire hinnientem, qui ſpumantia frena ferox mandit; qui ardua ceruice, capite arguto ſuperbe & generoſe ingreditur, micat auribus, nunc ſuccuſſat, mox tollutim incedit, & quaſi ad numerum vngulas colligit: qui (*Verg. 3. Georg.*)

Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
Nec vanos horret ſtrepitus (illi ardua ceruix
Argutumq; caput, breuis aluus, obeſaq; terga,
Luxuriatq; toris animoſum pectus, Honeſti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis;
Et giluo) tum ſi qua ſonum procul arma dedere;
Stare loco neſcit micat auribus, & tremit artus,
nec finit
Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos:
iam
Carpere mox gyrum incipiet gradibuſque ſonare
Compoſitis, ſinuatq; alterna volumina crurum:

XV.
NATATVS.

IN oculos porro noſtros incurrunt ruſtici iuuenes in fluminibus quaſi cum piſciculis natantes, diuerſis natandi figuris luxuriantes; atque indefeſſo labore; velocitatis ſtudio certantes, quos non ſine voluptate aſpicimus:

XVI.

AVCVPIVM.

Reperimus etiam aucupes, non secus quàm venatores per arbusta & spineta properantes, per saxosa & aspera locorum, per syluas modo huc, modo illuc, modo sursum, modo deorsum, per montes cursitantes, variis instrumentis suum munus exsequentes: Cum incredibili voluptate audimus, quo sibilo, quaue fistula aerias auiculas alliciant;& videmus, quibus dolis easdem decipiāt, quibusq; rebus irretiant; quomodo aream concinnent, quæ semina spargant; quo gestu plagas ex tuguriis obducant. Alio modo aliisque inescamentis aues campestres; aliis lacustres & palustres ad retia alliciunt: Alias reti, alias visco, alias cauea, alias accipitre & falcone capiunt: Aliter perdices ad exemplum gallinarum pullos suos & fouentes & ductitantes decipiunt, atque à canibus hucque illucque currētibus excitatos falcone prehendunt: Dispositis porrò hastis per arborum ramos visco perlitis adhibitaque noctua fœmina aues capiunt, Coturnices aliasque aues fistula vocem muliebrem imitante inuitant, funiculisque visco illitis eorumque capitibus ad ripam religatis, reliquo in aquam immisso, incautas volucres nantes illaqueant.

XVII.

PISCATVS.

Mirum porro in modum delectamur, cum diuersis locis piscatores squamigeros vndarum incolas capientes cernimus. Nec minus volupe innumerabilia instrumenta intueri, quibus amnigenæ pisces, squamosæ illæ pecudes & natantium omne genus in terram captiuum trahuntur, aliæ hamo & vnco, in quibus esca suspensa decipiuntur; aliæ aliis instrumentis capiuntur, vt sunt retia, fundæ, tragulæ, euerricula, cirpiculi, excipulæ, lineæ, nassæ, fuscinæ, conti, corbes vimineæ, fiscellæ, & innumerabilia instrumenta alia, quibus incauti illi vndicolæ & fluctigenæ, aquosa & vndiuaga illa animalcula inuaduntur, occupantur, & quasi carceri quidam inclusa, è mari fluminibusque in ripam trahuntur. Huc referendum, quod olim apud Pontanum me legisse memini: *Nec nolens*, inquit, *ego hanc disputationem ingredior: præsertim cum viros nobiles, honoratos copiosos hac procuratione mirifice delectari consuesse, me non fugiat, quos non piduit interdum, vt in equis expeditos venationi, sic ocreatos piscationi tempus dare; nec maiorem perceperunt animis suauitatem, cum feras insectando aculus configerent, aut immissis canibus comprehenderent, quam cum retia suis trahentes manibus squamosas pecudes & natantium omne genus in ripas captiuum educerent.* Maximum quoque delectamentum est, fluctigenarum species con-

tem-

templari piscium, qui numero sunt innumerabiles, vario colore & forma mirabiles. En tortas sinuosasque anguillas, quam pulchræ illæ sine squamis appareãt. En pulchras Lampretas siue murenas, à lambendis petris nomen sortientes, atque per tot minutissima foramina videntes. En inauratas trutas, lautos Salmones milleque alios tortiles pisces.

XVIII.

RANARVM COAXATIOnes, gryllorum, locustarum, scarabæorumque stridores & murmura.

IVcundum & volupe insuper est in fluminibus limosisque lacubus garrulas ranas coaxãtes & blaterantes audire, atque ad ripam saltantes videre, Argutorumque gryllorum, locustarum & cicadarum stridores, etiam scarabæorum, & id genus aliorum insectorum mugitus & murmura auribus combibere, non inter minima est oblectamenta.

XIX.

ERRANTES IN RVRIBVS greges.

NEc minor voluptas & delectatio mihi videtur, cum per curuas & irriguas velles, formo-

formosa & herbosa prata longo agmine pascentes gregres intueor,

Lasciuos errare greges, hircosque procaces.

XX.
PECORVM VOCES.

VDus porcus hic volutatur & grunnit: illic boues, tauri & vaccæ lente pascuntur, oberrant, mugiunt, boant: alibi pecudes, iuuenculæ & hœdi vagè lasciuiunt.

Lasciuique procul vituli sine matribus errant;
Praterea teneri tremulis cum vocibus hœdi,
— imbelles vituli, mollesque iuuenca.

qui in floridis pratis vndique vitulantur; pauidæ & inermes oues, & querulæ petulcæque capræ hic balant: ibi hinniunt audaces & bellaces equi; dossuariique & lentipedes asini rudunt, & ignauo sese sonitu produnt: grunnit hic proteruus verres: alibi opilionis canis latrat. Istorum iumentorum agrestiumque bestiarum sonitus ita iucundum est auribus percipere, vt Scytharum ille Rex asseruerit, malle se hinnitus equorum, aut boum mugitus, aut ouium balatus, aut canum latratus, quam Musicam audire.

XXI.
APES FLORES AD MEL Faciendum Carpentes.

IVcundum demũ videre, quomodo in syluis, pratis & hortis apiculæ hinc inde volitent,

vagen-

vagentur, & flores ad mel faciendum idoneos carpant, succum ex illis optimum colligant, & oneratæ domum redeant: deinde, quicquid attulerunt, quomodo id disponant, per fauos digerant, componant, &

——— ——— ——— Liquentia mella
Stipent, & dulci distentent nectare cellas,
(Verg. lib. 1. Æn.)

Et offendentes eas nocentesque ipsis, quomodo aculeis petant.

XXII.
AGRICOLARVM OPERÆ.

QVid gratius porro videri agricola potest, cum ille (*Verg. 1. Georg.*)

——— ——— in curuo terram molitur aratro,
(idem 3. Georg.)
——— ——— ——— aut scindere terram,
& campum horrentem fractis inuertere glebis

sudat, cum scilicet arat, occat, serit, metit, pastinat, palas & marras tractat, piscatur, lanam ouibus demit, fructus carpit, viticulas deponit & ablactat, pecus cogit, colligit, atque in vnum redigit; cum fertilem vineam colit, vtiles piscinas, lacus fossasque veteres tergit & purgat, virentia prata sicilit, olida stercora æquat, resectum fœnum siccat, vertit, componit: hic attritam & lubricam viam munit; ibi densos & asperos vepres recidit; alibi syluestres carduos, pungentes spinas cæterasque inutiles herbas & no-

rios frutices runcat, euellit, exstirpat, (*idem eodem.*)

—— —— —— —— & ipsis
Vnguibus infodiunt fruges, montesque per altos,
Contenta ceruice trahit stridentia plaustra.

& quomodo terræ imperat, quæ imperium nunquam aspernatur, nec, cum sciat beneficia sumere, reddere nescit, quæ tradita sibi maiore cum fœnore cultori suo rependit, quæque (vt Tullius in Cat. maiore loquitur.) nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura reddit, quod accepit; sed alias minore plerunque maiore cum fœnore.

XXIII.
TERRÆ VIS IN PLANTIS.

QVanquam nos non fructus modo; sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat, quod ea fici vel pomi tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum aut stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreet, si planta colitur, seges labori respondet: si vitis curatur, vitis magnam vini copiam persoluit: *Ouid. 1. Pont. el. 6.*

Vt puto, fructus adest iustissima causa malorum,
Et sata cum multo fœnore reddit ager.
idem 1. lib. remed. v. 173.
Obrue versata cerealia semina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddit ager.

Iucundum demum spectaculum & miraculum est,

est, positos surculos, iacta semina, insitos malleolos consideratione aspicere, & quomodo pullulascant, crescant, & fructum ferāt, probe speculari: quia neque qui plantat, aut qui rigat, est aliquid: sed qui incrementum dat, Deus. Sic mirificam, mi Iuli Porphyri, & nunquam deficientem Dei benignitatem voluptate magna contemplamur & admiramur. Quam suaue, inquit ille, vites intueri & racemos pendentes? quam volupe etiam, sub pinu, vel platano tempore meridiano recumbere, & somno corpora locare? quam gratum, segetes auris fauonii agitatas cernere? quā iucundum boues mugientes & oues balantes audire? quam amœnum spectaculum iuuencarum saltitantium, & lac sugentium? Equidem ea nihil esse duco, quæ in Theatris docentur, præ voluptatibus, quæ ex illis rebus hauriuntur. Aquā certe, quæ per tubos & longos canales ducitur, deteriorem esse affirmauerim ea, quæ ex ipsis fontibus manat. At enim longe puriores sunt riui, qui è terra emergunt, iis, quæ ad oppida aquæductorum manibus deducuntur.

XXIV.
TAVRVS COLLVM IVGO lubens submittens:

VOlupe quoque est videre taurum, animal ferocissimum, ita natura cornibus munitum, vt contra omnem vim atq; impetum sese

defendere queat, quomodo, inquam, quasi cornua non habens collum iugo lubens submittat, in agris arandis opem operamque suam non deneget, flagelli patiens currus ducat, omnis generis onera composita prouehat, hominum vsui inseruiat, homini in omnibus obsecundet, & cibos varios suppeditet.

XXV.
EQVVS REGI PATIENS.

ITidemque haud ingratum est equum aspicere, qui alias calceis solum fodit, audacia insultat, auribus micat, & à puero rustico sese regi, & ferula tactus coerceri patitur.

XXVI.
CANIS VILLATICI LAtratus.

NEc minus delectationis (cum in villam appellimus) affert, rixosorum canum ex casulis vndique prodeuntium, varios latratus audire.

XXVII.
VILLICAE OPERAE.

DEin videre agricolæ & ruricolæ vxorem, quæ reuertenti marito, & sæpè algenti lignis super foco repositis illud frigus dissoluit, quæ

quæ redeuntes à pabulatione greges stabulo concludit, atque ad mulctram sese accingit; *quæ de esciis (* Pontani sunt verba *) sponte humo exortis esurientem cocta canula reficit, & vino siue tenui cereuisia è cupa deprompta sitientem potat.* Quam suaue insuper est, oues & capellas (felix pecus) domum properare saturas & lacte multo completa referentes vbera, bouesque lassos sulcorum attritu splendescentem habentes vomerem aspicere? Multum voluptatis etiam capimus, cum vaccas cernimus, quæ lacte suo vitulos nutriunt, ac patienter se mulgeri sinunt, & quomodo ex lacte rusticæ butyrum & caseos conficiunt.

XXIIX.

RVSTICORVM OPERÆ, cum per tempestatem foris esse non licet.

DEin diebus pluuiis, cum ob tempestatem aerisq; inclementiam foris esse non licet, & agricolæ per inertem cessationem horulas trãsigere haud velint, volupe est ruricolas contemplari quomodo scilicet domi far expinsant, virgas vinciant, retia conficiant, sæpe (*Verg. 1. Georg.*)

—— —— Durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem, cauat arbore lintres,
Aut pecori signum, aut numeros impreßit aceruis,

Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga,
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & iura sinunt: riuos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias auibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluuio mersare salubri.

XXIX.

RVRIS VENVSTA ET iucunda facies.

POrro *agro bene culto*, scribit Cicero, in Cat. maiore, *nil potest esse nec vsu vberius, nec specie pulchrius*. Et Maioraggius: *Quid dulcius agrorum bene cultorum amœnitate, pratorum viriditate, arborum ordinibus, vinearum oliuetorumque specie? quid bene posita villa aspectu iucundius, vbi cœli nitor est & salubritas, vbi terra maxime variis herbis, & suauissimis floribus exornata; vbi proceræ arbores & opacæ, maximeque fructuosæ; vbi fruges grauidæ, vitesque fertilissimæ; vbi fontes limpidissimi, vbi speluncæ recessusque amœnissimi? Quibus rebus quid fieri potest aut fructu suauius, aut aspectu iucundius?* Quare verissime Cato affirmat, agricolarum voluptates proxime ad sapiẽtis vitam accedere. Audiamus Lipsium: *Vt cœlum & æternos illos ignes nemini aspicere fas, sine occulto horrore quodã & religione; non item terræ sacras opes & hunc inferioris mundi mundum, sine tacita quadam gaudii titillatione & sensu. Animum tuum mentemque percontare:*

capisse

tpi se hoc aspectu dicet, imo pasci. Oculos sensumq; fatentur non alibi libentius se acquiescere, quam in his hortorum areis & puluillis. Circumsiste quaso te, paullulum hac agmina florum & augmenta. Vide mihi illum è calyce, hunc è vagina, alium è gemma protuberantem. Vide hunc morientem subito, alium subnascẽtem. Denique inspice in vno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diuersa. Quæ illa tam rigida mẽs, quæ inter hæc nõ flectat se molli aliqua cogitatione, & liquescat? Iam ades curiose tu ocule, defigere paululũ in nitores istos & pigmenta. Inspice hanc natiuam purpuram, hunc sanguinem, hoc ebur, hanc niuem, hanc flammam, hoc aurũ: & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmularis fas. Æmulari, sed non imitari. Denique quis exhalans ille odor? quis penetrans spiritus? & nescio quæ pars ætherea auræ infusa ab alto? Vt non vane poetarum nostra gens, flores plerosque natos finxerit, è succo aut sanguine immortalium deorum. O gaudii & liquidæ voluptatis vere fons! O Venerum & Gratiarum sedes! mihi in vestris vmbraculis quies & vita sit: mihi fas remoto extra ciuicos tumultus, inter has herbas, inter hos noti ignotique orbis flores hilari & hiante oculo oberrare, & modo ad hunc Occidentem, modo ad illum exorientem manum vultumque circumferre; & cum vaga quadam alucinatione curarum hic omnium falli & laborum. Huiusmodi iucũditates, delitias, & quas dixi amœnitates probe considerans, ita scribit Ioannes Baptista: *in quamcunq; partẽ te verteris, incideritq; visus, decussatis plantarũ ordinibus, ipsa loca circumspiciẽdi libertate se extendẽte oculi alliciuntur, iucundiori prospectu depascuntur, vt nunquã satureris admiratione: imo*

oculi

oculi prospectu allecti, velut ex occulto magnete ex seipsis conuertuntur cōtrahunturque, vt abstrahere eos non possis, si ad ramos oculos sustollis patulis frondibus & tremulis iactantibus solem non excludere; sed vt potius eludere videantur. Hedera serpens arbores amplexatur. Arbores pedamenta ipsa eas circumdat, & hilari casarie comat. Nec minus subtus ferax est graminum prouentus, qui terræ superficiem omnem viriditate ornat amœna, ac iucundo amicit decore, variaque florum lasciuia gemmeis coloribus depingit, qui non ingrato naturæ certamine, dum alius alium superare nititur, Smaragdi Hyacinthi Amethystique vice terræ amictum interlinunt. Odor flores comitatur, variaque odorum fragrantia nares oblectat. Pratorum medio clari limpidique fontes internitent, nec solum eorum frigiditate tactum reficiunt, sed transparentia exaugent iucunditatem. Nam lucidissimo veluti in speculo geminatum pratum & nemus ostēdunt, verum alterum, imaginatiuum alterum: supra verum; in imo, falsum. Satis admodum suaue dixit Tibullus, æstate in media, sub canis flagranti æstu arborum vmbris refocillari:

Tum canis æstiuos æstus vitare sub vmbra.

Et Claudianus:

Quum post labores sub Platani cubes
Virentis vmbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere sirium,
Et membra somno fessa resolueris.

Zephyrus præterea susurrantibus foliis ac lasciuientibus refrigerantem auram inspirat, vt auium cantus imitari videatur.

Ausonius:

Somni-

Somniferumque canit sepes depasta susurrum:
Est & arundineis Modulatio Musica ripis,
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.

Vento enim arundines feriente, & earum sibilo, Poetæ figmentum auspicati sunt, vt inde fistula reperta sit. Tum demum non nihil est, vt variis fructibus delecteris, non tempore vno, sed diuersis, alio maturescente, alio renascente, alio decidere, vt vnusquisque iucunditate te afficere satagat. Rami fructibus onerati pondere incuruantur, ac se infra decumbenti offerunt. Et dulcius est fructus ex arboribus, quas seuisti, inseruisti & coluisti, propriis manibus colligere, & amicis agnatisque iactabundum largiri. Ita est mi Iuli Porphyri, obambulationibus ruralibus nil est iucundius, amœnius, delectabilius, omnia ruri ridere, omnia iubilare & cantare videntur.

XXX.
IVBILATIONES RVRICOLARUM TEMPORE MESSIUM:

ET solent campi in primis quando messis agricolarum votis respondet, lætis ipsorum ruricolarum canentium vocibus personare, vti & sacræ literæ quoque attestantur: Psal. 65. *Valles cooperta sunt frumento: iubilabunt & hymnum dicent.*

XXXI.

XXXI.

ELEMENTA LIBERIVS clariusque ruri nitere, quam in vrbe.

IN summa, ipsa elementa liberalius & clarius ruri, quam in vrbibus naturam, vim, vsumque suum & toto sinu impertiuntur.

XXXII.

SOL.

RAdiantem solem cum aspicio, purius ille micare videtur & nitere, & sparsi eius radii ibi magnitudinem & pulchritudinem illius melius docent, ita vt ruri obambulantes merito cum sapienti dicere possimus: *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem*: Et verum: quia delectabile est, contemplari, quod semper rotundus ille, claros & viuificantes suos radios emittat & super terrarum globum spargat, mirabiliter pulchreque luceat, igneam rotam in circulo suo gyret, cum qua cuncta calefacit, & tanquam lucentissima lampade mundi theatrum illuminat, atque instar cœlestis pulchri oculi cunctas res reddit visibiles, multas viuificat & lætificat.

XXXIII.

LVNA.

NEc minor est noctis moderatricis cornigeræ Lunæ laus & encomium, iam gratiosis corni-

cornibus iam delectabili ſemicirculo, iam nō-ua facie, iam tota plenitudine ſe manifeſtantis.

XXXIV.
STELLÆ.

PIcturæ, porro, & ornamenta cætera illa ſtellarum & cœleſtium globorum innumerabilium chori ſiue agmina, flores illi & orę & rotæ cœleſtes, clariſſima mundi lumina, vna cum altero nocturno ſcilicet atque inſtabili cœli oculo noctu cum maiori maieſtate noſtraque admiratione, ruri, quam in turritis vrbibus ſeſe offerunt, Lunam tanquam reginam ducemque ſuam comitantes, amabilem & delectabilem cœcam furuamque noctem reddunt, mortales ad ſcintillans cœlum aſpiciendum inuitant, & varietate ſua ornatiſſima ingentiorem illic ingerunt lætitiam, ita vt expleri contemplando haud queamus.

XXXV.
AER.

AEr quoque lætior latiorque ruri diffunditur, ridetque, & ſubinde candidas nubeculas iridesque monſtrat, aurulaſque gratas laſciuiens ſuppetit.

XXXVI.
AVRORA.

IBidem pudoricolorem, fulgidam gratamque auroram, ſplendorem inquam, illum ſolis

ſolis præuium, qui noctem diſcurrit; & diem reducit, Tithoni Cephaliquè amantem, iucundiorem animaduertimus. Supra modum delectabile & gratum oculis vſurpare, quomodo illius greſſum micantes cœli oculi; ſidereæ illæ ſtellæ, comitentur; quomodo diua illa diues

(*Verg. 1. Georg.*)

— — — — *pallida ſurgat*,
Tithoni croceum linguens Aurora cubile;

& tam bruta, quam rationalia ex ſollicitis & denuis ſomniis, & prurientibus mitibuſque ſomnis excitet.

XXXVII.

D I E S.

QVid clarus nitiduſq; ipſe dies, nunquid ille in noſtros oculos amabilius lucidiuſq; ruri, quam in vrbe, incurrit? qui ex oriente gratis crepuſculis oritur, eleuatus meridie ridet, candidiſſime lucet, cunctas res alias manifeſtat, declarat, atque vmbrifero veſpere breui reuerſurus oboritur?

XXXIIX.

N O X.

QVid de flammifera (quam ſupra paulum tetigi) picta narrem nocte? nunquid illa cœleſtia lucidaque illa ſigna ruri potius, quam in vrbe reddit perſpicua, & in ipſis (ô quam gratum!) tenebris pulchritudinem ſuam venuſtatemque clarius monſtret?

XXXIX.

AQVÆ.

AQuæ limpidiores & puriores ibidem perſpiciuntur; earumque ſuſurri auribus percipiuntur.

XL.

TERRA.

TErræ verus & natiuus vultus ibi ſolum cernitur; alibi in collem (vt Lipſius loquitur) placide aſſurgit, aut magis rigide in montem; illic herbis & ſpontenatis arbuſtis veſtitur; hic fruge fructibuſq; & feliciore ligno; vel vt Pontanus, *hic ſe in planitiem extendit; ibi clementius cliuis aſſurgit; alibi in montes excelſos ſe ſubrigit; hic herbis conueſtitur; ibi meßibus flaueſcit; illic botris; ibi pomis exuperat.* Hic, mi Iuli Porphyri, diuites inſulas videbis; ibi elatos & falcatos montes proſpicies, herboſa prata, curuatas ripas, fertiles campos.

——— ——— ——— *Iuuat arua videre*
Non caſtris hominum, non vlli obnoxia turbæ.

XLI.

SCATVRIGINES.

QVid memorem ebullientes perenneſque ſcaturigines, trepidantes garruloſque riuulos, quæ curſibus recurſibuſque læta & interpicta prata irrigant, quorum aquulæ vitro pellucidiores ad vmbilicos alios veſicolores la-

pillos molliter allisæ fractæque dulcissime strepitantes delicatissimisq; pisciculis complentur, quæ potu insuper sunt suauissimæ & saluberrimæ?

—— Hic gelidi fontes, hic mollia prata.
(Hor. Epod. 2.)
labuntur altis interim ripis aquæ.
—— queruntur in syluis aues,
fontesque lymphis obstrepunt manantibus:
somnos quod inuitet leues.
(id eod. 16.)
———— montibus altis
leuis crepante lympha desilit pede.

XLII.

FLVMINA.

QVid vastos turgidosque amnes? quid strepentia & praeterlabentia adumbrabo flumina? quæ quasi anxia quo cursum flectant, quę erranti quandoque diuisa ambitu querulo strepitu, diuiso alueo præterfluunt; mox postquam sorores recipiant vndas, in consuetum & legitimum flumen reuertuntur.

Ac vbi curuo littore latrans
Vnda sub vndis labunda sonat
Simul & circum magni sonantibus
Excita saxis sæua sonando
Crepitu clangente cachinnat.
Has (arbores) *inter ludebat aquis errantibus amnis*
Spumeus, & querulo vexabat rore lapillos.

Quid

Quid cæteras aquas ex terræ viſceribus perpetuo ſcaturientes, perennitateſque bullis ſtillantium fontium, eorumque perlucidos liquores delineabo? Mira eſt aquarnm pulchritudo & ferme ineffabilis, colorem cæruleum in fluctiuomo mari, in piſcoſis lacubus & raucis fontibus argẽteum, in obliquis fluminibus mixtum repræſentantiũ, nec non & ſplendida cœli aſtra & in ſinuoſo littore ripaue prope ſtantes arbores, herbas, gramina referentium ſiue adumbrantium?

XLIII.

RIPÆ.

QVid pluribus attingam obliquarum riparum veſtitus viridiſſimos?

XLIV.

SYLVÆ.

QVid opacas longiore ſtylo deſcribam & argutas illas ſyluas, lucos, arborumque gratas illas vmbras, ad facilem ſomnum inuitantes, Zephyrumq; per interualla laſciue ſpirantem? quid denſitatem germinum ac frondium?

(*Verg. lib. 9.*)

Aeriæ ſurgunt quercus, intonſaque cœlo
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.

Quid addam de herbis, arboribus, frugibus, fructibus? quibus ipſa terra vndique in ſeſe nutibus ſuis conglobata, ornata, veſtita eſt: quæ omnia

patulos colles, concauas valles, vda prata, feraces campos & sublimes montes diuersitate sua & varietate reddunt amœnissimos & ditissimos.

XLV.

FLORES.

QVid de inclyta pulchritudine amicorum florum, qui fragrantia sua mortales delectant, qui ob mollitiem chari sunt veneri, qui vario colore contemplantes in admirationem rapiunt, qui terrarum globi faciem adornant, atque placidos hortos & graminea prata decorant.

XLVI.

ARBORES.

QVid de cauarum & curuatarum arborum venustate? En tibi pini altitudinem, fagi magnitudinem, iuglandis amplitudinem, & cæterarum arborum elegantiam, varios in illis pendentes fructus, folia & ramos: Quid, inquam, de florum, odorum & locorum omnis generis pulchritudine, decore & venustate attexam? Hæc omnia in vrbibus nulla, nisi in libris & parietibus; Quin ne imago quidem satis certa & expressa, sed futiles saltem vmbræ? Igitur ii, qui in vrbanis vmbris perpetuo degunt, quasi in vrbicis carceribus introclusi exulesque mundi, & mundi bonorum donorumque ignari,

gnari, nescii atque inexpertes videntur: contra vero

Campestris vere vita est vitalis: in agro
Gratia cum Nymphis habitacula fixit.

XLVII.

EPILOGVS DELITIARUM RURALIUM DEAMBULATIONUM.

ADhuc alia rerum ruralium oblectamenta, quæ ex nostris itionibus percipimus, percensere fas essecti: sed hæc pro tempore sufficiunt. Neque crediderim vllum hominem in hoc mundo existere ita plumbeum, ita blennum, fatuum, fungum, aut ita hebetem, quem non delectet tam varius aspectus, amœnissimus cultus, & pulcherrima facies MAGNÆ MATRIS; nec quenquam tam esse lapidem, aut fruticem, quem non titillet amœna illa diuersaque locorum inspectio.

XLVIII.

ÆQVIPARATIO VITÆ rusticæ ruraliumque deambulationum & conuersationum.

QVippe cum veteres poetæ insulas Fortunatas ita vt ego vera rura vere celebraui, descripserint, de quibus Antonius Muretus ita habet: *Proditum est à veteribus poetis, esse quasdam in*

Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi, qui sancte religioseque vixerint. Ibi eos inter se iucundißime ac suauißime viuere, in amœnißimo quodam prato, quod gemmea florum, oculis naribusq; gratißimorum, varietate perpetuo distinctum picturatumque sit. frondere illic arbores, pubescere herbas, nitere cœlū, ridere omnia, spirare aßidue mollißimos Fauonios, quorū flabellis arborum comæ leuiter ventilata placidißimo murmure auribus blandiantur, eo accedere innumerabilem vim ac copiam auicularum, quæ vsq; & vsque liquidißimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium sensus incredibili voluptate permulceant. Pratum ipsum perennibus riuulis varie intersecari, quorū aquula nitidißima ad versicolores lapillos molliter fracta & allisa susurrum efficiat dulcißimū. Ita, quæ flosculorum ambrosios odores exhalantium suauitate, quæ Zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium sibilo, quæ volucrum concentibus, quæ blando murmurantium riuulorum strepitu beatas illas mentes continentes exhilarari: Ergo alios ad Orphei Amphionis-ue lyram choreas agere, alios psallere, alios Gorollas siue flores texere, alios in herba fusos, quæ tellus tremulis laurorum ac myrtorum opacarum vmbraculis, iucundißimos sermones conferre. &c;

XLIX.
DEAMBVLATIONVM RVralium vtilitates:

At heus tu, mi Iuli Porphyri, cum quislibet rusticans siue ruri obambulans istiusmodi rurales delicias & felicitates expertus, eique, vt dixi, placuerint; satius te facturum esse puto, vt itio-

ltionum ruralium iucunditatem hic linquam, & obambulationum ruralium vtilitatem leuiter pangam & describam.

L.

PRIMA DEAMBVLATIOnum ruralium vtilitas: EX CREATIS CREATORIS agnitio:

PRima & omnium principalissima, mi Iuli Porphyri, in campis, agris & syluis, tot donis à Deo ornatis ambulationum vtilitas hæc est, quod tam amœna naturæ facies, creatoris & opificis Dei sapientiam, bonitatem, benignitatẽ, prouidentiã & potentiam spectãtem & probe contemplantem doceat, & sic speculantes molitorem istarum rerum omnium melius cognoscamus, diligamus, eique gratias agamus, quod non solũ omnia illa hominis ergo creauerit; verum etiam eadem perpetuo conseruet, sustentet & alat. Agnoscitur enim Deus, post reuelationem illam, quæ in sacris literis, vere ex ipsius operibus, quã in campis melius, locupletius clariusq; quam in vrbico famoso illo carcere videmus. Iisdemq; rebus creatis satis superq; elucet, hominẽ contemplandũ, colendũ, & laudãdum autorẽ suum, cæterarumq; creaturarũ, Deum, esse creatũ, huncq; fuisse principalissimũ creationis finẽ. Nam *cũ Deus & rector ille omniũ rerũ* (verba Heinrici Dorgangi vsurpabo) *ab initio totũ hoc vniuersum ex nihilo fecisset; admiranda atque innumera*

rerum & formarum diuersarum pulchritudine ornasset, vt cœlorum infinita astrorum & stellarum multitudine lucentium sphæris mirifice fabricatis, elementorum mirandũ in modum distinctorum circulis; dedissetq; cœlis & corporibus superioribus influentias miras, ad nutriendum & conseruandũ hæc inferiora, ignem virtute ardendi & consumendi noxia, calefaciendi vero & fouendi defendẽdique vtilia instruxisset; aerem pulchris figuris discretis, & suaue cantillantibus auibus implesset; aquam grandibus cete, & mirabilibus monstris, piscibusque innumeris ingurgitasset; terram, dici non potest, quam variis fluminibus, montibus, herbarum & animalium formis & virtutibus decorasset, eamque metallis multis, vt auro rutilante, argento splendente, stanno lucente, ferro duro, lapidibus pretiosis, saxisque ponderosis & ad ædificandum aliasque res efficiendum aptis, crystallinorum fontium perpetuo fluentium splendore, aliarumque aquarum & rerum varia virtute & numero ditasset: frustra id omne se effecisse arbitratus est, nisi contemplatorem & admiratorem tantarum rerum, & tantæ pulchritudinis in pulchrum hoc mundi palatium introduceret, huic hæc omnia vtenda daret, & perlustranda, perpetuoque consideranda proponeret, qui per ea, quæ creata sunt, cognosceret, admiraretur, amaret, & perpetuis laudibus extolleret creatorem tantorũ effectuum & rerum. Itaq; eo introduxit hominem factum ad imaginem suam, cui hæc omnia ad dictum dedit finem: non secus ac potentissimi & magnanimi faciunt reges vbi ædificarunt magnificam ciuitatem, illamque variis modis exornarunt, tandem præficiunt huic ciuitati virum quendam insignem, cui suam ipsorum autoritatem conferunt, qui ipsorum glo-

riam,

riam, qui magnificentiam, qui potentiam, qui benignitatem prædicet: *Ita*, inquam, *Deus, Rex & Dominus regum & dominantium, hominem quoque mundo & vniuerso præfecit, potestatemq́ ei & imperiū in omne spirans & vegetans dedit, non solum vt regnaret & dominaretur animantibus, terramque sibi subiiceret; sed & creauit Deus hominem, & imperium ei dedit, vt eo magis illum laudaret, bonitatemque ipsius agnosceret, nihil, inquam, aliud studeret, quam noscere Deum creatorem suum, Deum amaret, & Deum laudaret: qui finis est verissimus quare factus sit homo rationalis.* Hoc sapientissimi viri, quotquot, animaduertentes & considerantes, aperto ore magno cum stupore exclamare: *O magnum illum & benignum Deum, qui nosque cunctasque ceaturas fecit, & cœlum & terram, cœlorumque terrarumque ornamenta, diuitias & delitias, tot dona & bona nobis dedit: at contra: O ingratum & socordem hominem, qui quasi dormiens & sopitus, non agnoscens hæc omnia, negligit, non suspicit & admiratur*; & propterea proclamare, eum tanto bono, & vt hominis titulo insigniretur, indignum, *qui non omnes huius mundi singulasque partes peragraret, perlustraret, easque, quam fieri possit, quam perfectissime cognosceret; vt & sic perfecte creatorem & factorem eius agnoscerent.* Artificem & architectum non bene cognoscit is, qui opera eius non perspecta habet; sed ignorat, nec diiudicare potest censu istius boni, cum careat: igitur quod non noscit, omnino negligit. Agnoscimus igitur & nos Deum creatorem nostrum nostris in itionibus, ex ipsius operibus, eumque amamus, cantamus

 & ce-

& celebramus. Quo enim cunq; nos vertimus, haud leniter creatoris Dei cum ſapientiæ, tum bonitatis & clementiæ impreſſa veſtigia deprehendimus, licet, vt ille loquitur, aſſiduitate vſuque crebro & oculorũ conſuetudine animi aſſueſcant, rerũ nouitate magis afficiantur; quam magnitudine, dignitate, prçſtantia moueantur. Cœlum aſpiciamus, & merito ornatum & pulchritudinẽ mirabimur, affabre facta capiemur rotunditate; & cogitabimus, quanã iſtud ratione fiat, quod lõgis temporum interuallis, multis illud altercationibus obnoxium ſit; motus (vt Faber loquitur) certos definitoſque habeat: ratos ac firmos perpetuo aſtrorum ordines obſeruet; inter ſe mirifi :e connexa, ac cuncta alia comprehendat. Aer porro ita inter ſummũ cœlum terramq; collocatus: vt certis veluti cãcellis limitibuſq; contineatur, non ſepta metaſq; tranſiliat, tã homines, quã animalia bruta recreet, reficiat, foueat, cõſeruet: nec tamẽ crebro aſſiduoq; vſu conſumatur. Terra inſuper, fidæ nutriculę inſtar primũ in lucem nos datos excipit, exceptos alit ac fouet, etiã deſertos ab aliis gremio legit, floribus, herbis, frugibus, fructibus, nõ neceſſitati modo inſeruit; ſed & voluptati & iucunditati honeſtæ conſulit. Non fluminũ perennitates attingã: non amniũ proferam liquores; non fontiũ ſcaturigines producam, nihil de marium conditionibus multiplicibus proferã, inter quæ mira & diuina illa, quod turbinibus variis commota, agitata vẽtis vehemẽtiſſimis,

terras

terras tamen non opprimant, ſed retro veſtigia legant. Si me ad animalia bruta conuertam, eorumq; naturã & ingenium contempler, ecquod quæſo, in his omnibus tam puſillũ deprehendi poteſt, ꝙ non Dei omnipotentiã, prouidentiã, prædeſtinationẽ & bonitatẽ nobis prædicet; ad cognoſcendum, eumq; laudandum inuitet. Huc pertinet, ꝙ Mornæus dicit: *ſi argumenta*, inquit, *omnia perſequi velim, quæ mundus, quæq; ea, quæ in mundo continẽtur, paſsim ſuppeditant: mundum ipſum euoluam & ediſſeram neceſſe ſit, qui ſane nil aliud eſt, quam liber omnibus obuius, omnibus apertus, in quo adulti Deum legere, & infantuli ipſi, vt ita loquar, combinare poſſint. Eenim vero vt hi libri* (ita pergit Mornæus) *mũdus, inquam, & homo: ita ex horũ lectione omnes omnino gentes Deum didicerunt: etſi diuerſe diuerſa de eo conceperunt. Percurre enim orbẽ ab ortu ad occaſum, à ſeptentrione ad Auſtrũ: perluſtra mente quotquot anteceſſerunt ſecula: quotq; viguerunt regna: ipſa demum ſcrutare Barbarorum ſiue luſtra, ſiue mapalia & magalia, vbicunque homines inveneris, ibi continuo religionẽ & numinis cultum, ibi ſacrorum ritus, preces deniq; & ſacrificia reperies. Diuerſa quidẽ hæc & confuſa: at in eo ſaltẽ congruentia: quod Deus eſt. Et omnino, vt enunciẽ quod ſecum volutat animus viſo mundo mundiq; partibus, dico, quinq; res fidelem iſtã ſpectionem docere; eſſe Deũ, vnum eſſe: mundũ cœpiſſe, eundem regi ac procurari à Deo, quemadmodum à parentibus regitur procreaturque quod ex iis natum eſt, omniaque creata eſſe in laudem creatoris & fabricatoris omniũ.* Quam plurima ſunt, quæ de hac re hic aſcribere poſſem: at quia in huius diſſer-

tationis fine, vbi de creaturis ſat dixiſſe videbitur, eadem tractare in animo eſt, illuc iſta remittens, hic ſuperſedeo.

L I.

SECVNDA DEAMBVLAtionum ruralium vtilitas: reſuſcitandę carnis noſtræ conſideratio.

DEin ad hoc ſpectio rerum ruralium vtilis, vt articulus fidei de reſuſcitãda noſtra carne in cor noſtrum fortius imprimatur; & quoties hyeme in terra abſcondita gramina & herbas, nec non omnis generis vermes, omneſque illas volucres, quæ brumali tempore noſtros lares relinquunt, aliaſq; terras petunt, nouum ver reduxiſſe contemplamur, toties cogitemus, ita & nos ſaluis membris & articulis noſtris ex terris aliquando reſuſcitatum iri. His adiice hirundines, muſcas & alia inſecta, quæ per hyemem mortua iacent, & ad nouum ver reuiuiſcunt. Hoc primitiua eccleſia probe conſiderans, tali ſimili contra ethnicos vſa fuit: Sicut hirundines, muſcæ, & aliæ aues, aliaque inſecta hyeme intermoriuntur, & ſub vernum tempus reuiuiſcunt: ita quoque noſtra corpora interire; ſed vltimo die rurſus viuificatum iri.

LII. TER-

LII.

TERTIA DEAMBVLATIO-num ruralium vtilitas: rerum creatarum crebræ mutationis obseruatio.

COnsideramus porro & obseruamus in nostris deambulationibus, mutationem vnius anni. Alia est calido & humido vere: alia calida & sicca æstate: alia frigida & humida hyeme.

LIII.

ANNI IN QVATVOR partes distributio.

IAm hic mihi Dei prouidentiam perpende. *Noluit ille* (verbis vtor Pontani) *in duo duntaxat tempora annum diuidere, in æstatem & hyemem, nec ab extremis ad extrema nos cum pernicie transire. Itaque ver & autumnum intermiscuit, quorum temporum est quoddam temperamentum, vt per vnum disceremus ferre futuram æstatem: per alterum tolerare secuturam hyemem: neque statim summus calor summum frigus: neque immodicos calores immodica frigora exciperent.*

LIV.

VER.

VErno tempore, quia moderato calore humoreque miscetur, producendis stirpibus, gene-

generandis animantibus, alendis, fouendis, cō-seruandis omnibus mirifice, opportune benignissima parens tellus herbarum virescentium & bene olentium multitudines expromit, prata tunc florum copia condecorantur, arbores nouis se frondibus induunt, & quæ hyems abstulit ac perdidit, restituit. Pulsis frigoribus auræ tepent, redit florida vis animorum & amœni gratia ruris, vbera tumentia pecudes domum reportant, implentur mulctræ humore lacteo, parturit omnis ager, reuiuiscunt & rident omnia, serta texunt virgines, ducuntur chori, lætantur renascente mundo mundana vniuersa.

LV.

ÆSTAS.

VEr æstas sequitur, quam vna cum cæteris anni partibus & vicissitudinibus ex Pontano nostro vt describam mihi, Porphyrimi, concesseris: *Æstas mater frugum, & annonæ potius, quo tempore falces quæruntur, & ad colligendam Cererem pubes rustica vocatur, vuæ nigrescunt, poma maturescunt, plaustra manipulis gemunt, complentur horrea, tondentur campis gramina, lauantur oues, iisdemque lana demitur. Et hæc quidem periucunda & optata: verum illa iniucunda & horribilia, quæ cœlorum vehementia creantur, morbi & pestilitas sæuit, inclementique ardore vruntur agri, moriuntur herbæ, decrescunt amnes, exsiccantur fontes, conficiuntur sudore & siti animantes,*

atque

at que idcirco antra & ſpecus ſub terra ad captandas vmbras & frigora quæritant.

LVI.
AVTVMNVS.

IN *autumnum porro, quam æſtatem, maius morborum agmen irrumpit. Haud enim certa temperies, ſed inæqualitas dominatur. Eodem die modo æſtu ſudas, modo algore tremis: quin dies quodammodo æſtiui ſunt, noctes hybernæ. Hæc mutatio ſalutaris eſſe corporibus non poteſt. Spumat autumno plenis vindemia labris, hortorum opes larga copia decerpuntur, & in hyemem reponuntur, omnia ſuis cultoribus matura & victa exhibentur. Noua ſemina, ſpes anni conſequentis, coloni ſulcis mandare inſiſtunt.*

LVII.
HYEMS.

AT *hyems, triſtis, dura, immitis, fera, pigra, aſpera, deformis, vnde laudabitur? exuuntur honore ſuo arbores, viduantur foliis, herbæ intereunt, ſqualent prata, lugent horti, concreſcunt glacie flumina: montes, ſyluæ, tellus niuibus obruuntur, clauditur in ſtabulis pecus, venti tempeſtateſque graſſantur, intempeſtiuum fit ad nauigãdum mare, humus crebris albicat pruinis, cœli facies ſemper turbida, irata, minax. Caput lanoſis pellibus veſtitur, corpus villoſo tegmine inuoluitur, & tanquã aduerſus hoſtẽ atrocẽ obarmatur, viatores cucullũ ſibi iniiciunt, per quẽ ſoli oculi patẽt: prodeuntibus foras extra tecta, vi frigoris mox è barba rigẽte pendent ſtiria, intermit-*

tuntur

tuntur commercia, cessant ludi, dies totos domi ad focum sedetur; daturque opera fabulosis sermonibus, commessationibus, perpotationibus. Perge hic, mi Iuli Porphyri, mecum de instabilitate omnium rerum more meo philosophari, & amore erga hanc rem ex cæteris meis scriptis huc pertinentia repete:

LVIII.

INSTABILITATIS ET MVtationis omnium rerum altæ meditationis continuatio.

ECce, mi Iuli, vt istas, quas dixi, res, gramina & herbæ, flores & folia, brumali tempore cadunt, pereunt, putrescunt, vermes & pulices aboriuntur: vtque omnia, quę ex terra crescũt, breui itidem decrescunt: sic cuncta quę sub cœlo oriuntur, iterum aboriri, & cuncta, quæ sub sole nascuntur, iterum & breui denasci necesse est. Obseruauimus cuncta, quæ viuunt, vigent, & sunt, vitam & vigorem accepisse cum mortis exceptione, omnia tempus gyrare, tempus rotare, cuncta volui & reuolui, cuncta gliscere & degliscere, in hoc orbe & ordine ab initio rerum, vsque ad nostra secula inuicem versa, in futurumque versum iri, incipere, crescere, florere & decrescere, perire. Cuncta in se remeant, nec extinguuntur, sed vicibus descendunt & resurgunt. Æstas abit, sed alter annus illam reducet: hyems

hyems cedit, referent illam (vt Seneca dicit) sui menses. Sic est, mi Porphyri, referent illam (vt Hiob loquitur) suæ lunæ. Sol cæteraque coruscantia astra micantesque stellæ omnes, quicquid hodie prætereunt, breui repetunt. Videmus noctem obruere solem, & ipsam statim diem abigere. Truditur hora hora, dies die, mensis mense, annus anno, secula seculis. Eadem ratio est rerum omnium in illis horis, diebus, annis, seculis prouenientium. Exoriens reddit aliud aboriens; suppullulans pellit & perdit florens, generatum fugat vigens, corrumpitque & in nihilum vertit. Quoties ego flumina intueor, ilico hæc verba mihi in lingua: *corpora nostra fluminum more rapiuntur, totumque nostrum viuere, cum tempore currere, dumque datur (ô mirum & miserum) eripi.*

(Verg. 1. Georg.)

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis.

Mundus etiam, qui æternus videtur, & ipse quotidie mutatur, nec idem manet, de quo ita meus loquitur philosophus: *Mundus quamuis omnia in se habeat, quæ habuit, aliter habet, quam habuit ordinem mutat.* Hæc satis superque in quotidiana nostra vita experimur, & apud Historicos legimus. Hic mundus nondum sex annorum millia habitatus. At quæ (Dii boni!) in eo mutationes? omnia sub eodem fati iugo esse experimur, herbę, gramina, syluæ, maria, homines, anima-

D lia, re-

lia, respublica, imperia, & vno verbo cunctâ cuncta intereunt & pereunt, & alia in præteritorum & perditorum locum reuertuntur. In summa abeunt omnia in hunc (vt Lipsii verbis vtar) nascendi pereundique fatalem gyrum; & longæuum aliquid in hac machina est, nihil æternum. Aer quotidie mutatur, in ventos ille abit, in nubes, in nebulas, in imbres, in procellas, Flumina & amnes alueos mutant, vel ipsi pereunt, & ipse Oceanus modo crescit & tumescit, modo decrescit. Terra, communis illa & magna mater, occultis spiritibus mouetur, tremore concutitur, & aqua corrumpitur.

LIX.

IMPERIORVM ET RERVMpublicarum mutatio.

NEc solum hæc motio, interitus & mutatio, vt supra dixi, in herbis & floribus, foliis & arboribus, amnibus & animalibus, diebus, annis & seculis, verum etiam in potentissimis imperiis & rebuspublicis. En tibi, mi Iulii Porphyri imperiorum imperium summum, summe admirandum, & sub sole prędicandum, illud Romanum. Vbi antiquæ Romæ potentia & magnificentia? vbi fortissima castra & arces? vbi amplissima & superbissima mœnia? vbi stupenda theatra, amplissima amphitheatra,

tra,circi,templa,basilicæ,curiæ,porticus,aquæ-ductus,obelisci, columnæ, arcus triumphales, pōtes,palatia,pyramides, tropæa, horti, viridaria,cenacula statuæ, sepulchra, innumerabiliaq; miracula alia?Romę & hæc singula fuerunt,floruerunt, interierunt,perierunt. Functa est fatis suis Roma, & nacta finem, mortua & in puluerem sepulta est. Illa antiqua Roma, olim mundi caput, miraculum, compendium, Musarum templum, arx patriaque gentium, quicquid in orbe opportunū, aut dignum vinci videbatur, vicit, & victa tandem: regna & imperia debellauit & domuit, atque ipsa debellata tandem & domita. Regere, proprium Romæ tum erat, & iam Roma regitur. Deus ille, qui cœlorum orbes & syderum cursus gubernat, cœlumque quotidie voluit & reuoluit, solem ducit & reducit, qui marium fluxus & refluxus temperat & moderatur, Romæ quoque non secus ac quondam superbiæ domicilio & luxuriæ sedi Capuæ, & opulentæ atque eleganti Numantię, nec nō Thebis Larissæ, Athenis, Hierosolymis, milleq; aliis claris vrbibus, non sine graui causa finē imposuit, ipsasq; deiecit. A vobis igitur discimus, instabilia esse omnia & fluida. Vanitas omnia & bulla, nec vlla stabilitas. Atq; in tāta rerū volutatione nil nisi interitus certū. Docetis nos, quomodo Deus in reb. humanis ludat, & nos eludat; quomodo mortali eminere & crescere faciat, & breui cadere atq; euanescere: iā implet ille bonis, & donis ditat; mox exhaurit, denudat,

ſpoliat. Omnia interitu damnata eſſe diſcimus, cum caduca didicerimus, & quæ fuere, perdita eſſe, & quæ ſunt, exiſtere peritura. Superbas Romæ reliquias extantes ipſe in repullaſcente iterum noua Roma contemplatus, circaque eam per ſyluas, aut vepreta: Dii boni! quot columnas, aut earum fragmenta? quot diruta & diſiecta ædium membra? ipſumque reſtans cadauer? Hæc mutatio placuit Deo. Ille enim vult, vt quædam imperia creſcant in magnam potentiam & magnificentiam, in quibus quaſi in imagine oſtendit cœleſtem ipſius & ſine fine & modo potentiã. Fluxus, inquit ille, & omnis refluxus hic rerum humanarum ab illa luna dependet, ortus regnorum & occaſus ab illo ſole. Vt cœlum & micantia illa aſtra ad primam æternamque lucem nos ducunt, ita etiam imperia illa magna, ad autorem illorum, ſtabilitorem & fontem æternum & omnipotentem illum Imperatorem & Monarcham DEVM. Ille, ille eſt, qui Babylonicum, Perſicum, Macedonicum & Romanum, omniumque internum orbe ſumma imperia oriri voluit & ſtabiliuit, idem ille, qui deiecit, in nihilumque vertit. Quid illa omnia nunc, aut vbi ſunt? vbi cum ſeptem illis ſtupendis principalioribus, miracula innumerabilia alia? vti diuitiæ ac delitiæ? vbi opes? vbi opera? abierunt, obierunt, diſceſſerunt, deceſſerunt, preierunt, perierunt, defluxerunt, euanuerunt: omnia illa nunc ſunt ſomnium, vmbra, nihil, de quibus nihil aliud, quam quæri eadem

dem videmus. A vobis discimus, cuncta mutationibus obnoxia, atque existere peritura & casura. Vt omne hominum genus damnatum mortalitate, ita & manuum ingeniorumque opera cuncta, pyramides, obelisci, columnæ, sepulchra & cætera, quæ æternitati dicantur. Leges quoque, consuetudines, mores, politiæ, & omne regnum & imperium, cui

(*Hor.* 1. *Ser.* 1.)

—— ——sunt certi denique fines,
quos vltra citraque nequit consistere verum.

quo cum venerit, sistitur, mutatur, languescit, retroit, ruit. *Intuentes*, inquit quidam historicus, *historias à prima antiquitate, reperimus regna & resp. potentiores* 500. *annos plerumq; floruisse, plurima hunc terminum non attigisse, nulla aut paucissima superasse; sed in quingentesimi anni momento, aut prope, incidisse mutationes, quibus vel euersa ac deleta funditus, vel alio constituta desierint, vel in aliam nouam sint transmutata formam.* Nullum igitur imperium æternum, nulla vrbs, nulla Babylonia, aut Roma, nulla Thebæ, nullæ Venetiæ. Itaque omnes vrbes, omnia regna, quæ hodie decora, quæ florentia, quæ potentia, vbi fuerint, aliquando quæretur, sed non inuenientur. Sæpe enim, vt legimus & experimur, vna nox interest inter vrbem maximam & nullam, semperque alia atque alia eligit Fortuna, quæ, velut oblitis vires suas ingerit, aduersus imperia illa, idem iuris habet, quam aduersus imperantes; aduersus vrbes, quam homines. Nihil illi inausum est.

Quot post excidium Troiæ sunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Seruitium imperiumque tulit, varieque reuertit?
Troianos cineres in quantum oblita refouit
Imperium? fatis Asia ni Græcia pressa est.
Secula dinumerare piget, quotiesque recurrens
Lustraret mundum vario sol igneus orbe:
Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec se cognoscunt terræ vertentibus annis,
Exutas variam faciem per secula gentes.

Hæc omnia probe considerans Ioachimus Bellaius iam tumulatam Romam flebili abiectaque lyra deplorat, eique parentat:

Montibus è septem totum diffusa per orbem,
sidera sublimi vertice Roma tuli.
Sub pedibus terras, vtroque à littore pressi:
Atlantem tenuit dextra, sinistra Scytham.
Iuppiter hos etiam disiecit flumine montes,
& tumulos iussit corporis esse mei.
Incubuit capiti rupes Tarpeia nostro,
pressa Quirinali pectora nostra iacent.
Crura Palatinus, geminos hinc inde lacertos
collis Auentinus vimineusque tenent.
Exquiliæ hinc surgunt, & surgit Cælius illinc,
hæc quoque sunt pedibus facta sepulchra meis.
Sic quæ viua sibi septem circumdedit arces,
mortua nunc septem contegitur tumulis.

His appone epitaphium veteris Romæ, Andrea Fusio autore:

Languentem gressum paulisper siste viator,
& lege marmoreis carmina sculpta notis.

Roma fui quondam toto celeberrima mundo,
Marte, situ, ingenio, nobilitate potens:
Quippe triumphalis frænaui legibus orbem,
paruit ingenio terra fretumque meo.
Imposita septem micuerunt collibus arces,
totque arcus, thermæ, templa, theatra, viæ.
Prorsus eram felix, si non peritura fuissem,
& nisi tam multas sors rapuisset opes.
Roma ego iam non sum, perii, propiusque ruinis
obruta sum, gremio condor & ipsa meo.
Relliquias quascunque vides, quæ diruta cernis
mœnia, splendoris sunt monumenta mei.
Frustra igitur Romam Romæ tu quæris; abire
iam potes hinc, Romæ Roma sepulta iacet.
Interea temere perituras ne strue moles,
cautior exemplo cum potes esse meo.
Carpe viam, volui scires hæc pauca, memento
vt meminisse mei, sic meminisse tui.

In eandem, qualis est hodie, Ianus Vitalis Panormitanus ita scribit:

Qui Romam in media quæris, nouus aduena, Roma;
& Romæ in Roma nil reperis media,
Aspice murorum moles, præruptaque saxa,
obrutaque horrenti vasta theatra situ,
Hæc sunt Roma, viden velut ipsa cadauera tanta
Vrbis adhuc spirent imperiosa minas?
Vicit vt hæc mundum, visa est se vincere: vicit
à se non victum ne quid in orbe foret.

Nunc victa in Roma victrix Roma illa sepulta est,
atque eadem victrix victaque Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis index,
quaque etiam rapidis fertur in aquor aquis,
Disce hinc, quid possit fortuna: immota labascunt,
& quæ perpetuo sunt agitata, manent.

Et licet iam noua Roma (quod mirum, à cæterisque semel dilapsis imperantibus vribibus haud auditum) renascatur, repullulascat, reflorescat, superbeque iterum caput extollat: (Audi de hac re Georgium Bingensem:

Qui miseranda videt veteris vestigia Romæ,
ille potest merito dicere, Roma fuit:
At qui celsa noua spectat pallatia Romæ,
hic merito poterit dicere, Roma viget.)

dies tamen aliquando veniet, vt iterum denascatur, & in puluerem sepeliatur; dies, inquam, (quamuis male non ominor) redibit, vt, *vbi fuerit*, quæratur. Videmus omnia venire & oriri, vt abeant & aboriantur. Omnia in puluere sepeliri & perire, vt in ipsorum locum alia pullulent: cuncta quæ sub perpetuo, & perenni cœli motu creata sunt, motionem & mutationem, varietatem & interitum, generationem & corruptionem experiuntur. Mores cum corpore mutantur. inf. p. 59. v. vlt. post, mutantur. Ingenia mortalium in fragili, luteo & mobili corpore inclusa corporalibus externisque mouentur & mutantur. Instab lia omnia in rebus singularibus; multo magis inconstans, instabileque & infirmum in corpore ciuili respub. & regnum,

gnum, quod ex singularibus est compositum, Hominibus non eadem est semper forma, non vigor, non ingenium; alia est senibus, alia infantibus, alia iuuenibus, virisque, dein post mortem, cadauer nomen; paulo post, nec cadauer, nec nomen, nec memoria. Eadem fata sunt rebuspublicis, quæ mutantur, crescuut, decrescunt, intereunt. Vidimus in nostris variis peregrinationibus multorum potentissimorum imperiorum quasdam reliquias, & cadauera, quorundam neque cadauera, neque quorundam vllas reliquias, ita in puluerem, fumum, atque vt vno verbo dicam, in nihilum versa. Apud historicos imperiorum tantum nomina vmbratilesq; imagines legimus. Generata contemplamur regna noua ex corruptione aliorum; & generationem vnius esse corruptionem alterius; & corruptionem huius, esse generationem illius obseruauimus. Hoc accidit interdum subito; interdum temporis successione, interdum breuissimo spatio. Hoc naturale, quia & imperia sub continuo motu sunt cœlestium rotationum & gyrorum. Omnes cinere æquat mortalium dignitates atque honores fortuna. Iam crescunt illi, iam decrescunt. E carcere aliquis educitur, atque ad regnum tollitur; alius in regno natus, solio deiicitur, & in carcerem deducitur:

E carcere hic ad aurea
Decore multo culmina
Transcendit: alius regia

De stirpe, vitam inglorius
Rebus in egenis transigit.

Res humanæ instar rotę sunt, in qua cito ea, quę summa fuerant, fiunt ima. Rotantur res mortalium, circulus mihi videtur ille rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinit:

Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid à vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis:
Nemo desperet meliora, lapsus.
Miscet hæc illis prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
turbine versat.

Hucillud mei philosophi, *vita hominum præterit, errat, abit*, referendum: quod scilicet neminem fortuna eo prouexerit, vt non tantum illi auferre minaretur, quantum permiserat: *noli huic*, inquit, *tranquillitati confidere, momento mare vertitur.* Eodem die, vbi luserunt nauigia, sorbentur.

Pauperies pacem dat, opes pax, copia luxum,
sed luxus bellum, bellaque pauperiem.

Fons

Fons amor est odii, vita mors, turba quietis;
stant quæ deciderant, quæque stetere cadunt,
Et capti capiunt, & qui domuere, domantur,
fit victo supplex, qui modo victor erat.
Sic plebi indomitæ, sic sunt sua fata tyrannis:
sic Deus alternas versat in orbe vices.

Seculis certis eunt cuncta, nascuntur, crescunt, florent, decrescunt, extinguntur. Atq; is est, mi Iuli Porphyri, rerum mundanarum perpetuus ordo & orbis. *Humanarum*, inquit Herodotus, *rerum circulus est, qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non finit.* Et Plinius, *habet*, ait, *has vicissitudines conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus, & plerunque bonorum malorumque causæ sub diuersa specie latent.*

ῥοαὶ δ' ἄλλοτε ἄλλαι
εὐθυμιᾶν τε μετὰ καὶ πόνων
ἐς ἄνδρας ἔβαν.
Fluctus alias alii
Gaudiorum atque laborum
In homines veniunt.
——— ——— ἄλλας θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ
ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ.
——— ——— *alias Deus illi aliique*
Nunc bona, nunc mala dat.
Fortuna nulli currum missum à carcere intimo
Labi inoffensum per æquor ad candidum calcem finit.

—*Nemini*

——— ——— *Nemini*

Fortuna currum à carcere anima missum leui
Inoffensum per æquor candidum calcem subit.
Haudquaquam quenquam semper fortuna secuta est.
Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Consistes ægre; & citius, quam ascendas, decides.
Ouid. Trist. 3. El. 7.)
——— *Dat quodcunque libet fortuna, rapitque.*

Sic est, nihil in humanis firmum, stabile, nihil perpetuum aut est, aut fuit; sed perpetua vicissitudine omnia alterantur atque exercentur. Veniunt, abeunt; oriuntur, moriùntur. Fortunæ munera sunt: quid ergo mirum, si, quod fortuna dedit, iterum eripit?

Nulla sors longa est. Dolor ac voluptas
Inuicem cedunt. Breuior voluptas.

Caduca hæc, inquit Valerius, *& fragilia, puerilibus consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur.*

Vidi cruentos carceri includi duces.
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni.

Hic oculos in vniuersum mitto, & omnia sub eodem fati iugo esse experior, nec secus terrarum, quam hominum fata volui, ad oculum deprehendo, hoc est, totas regiones, montes, maria, & quæ in iis contenta. O Deus! quæ mutationes & vices? quam hæc cogitatio me ad te trahit, infirma & incerta, fluida & lubrica omnia hu-

nia humana ſpectantem, ſpernentem atque deſpicientem? O munde! munde! nuci caſſæ & te comparo & habeo, quam cum veritatis dente frango & aperio, nihil intus inuenio, quam vanitatem, quam inanitatem. Inſtabilia ſunt omnia tua, homines, animalia, montes, flumina, & ipſa maria, nec non cœlorum terrarumque pariter orbes. In ſumma, quicquid eſt rerum, quicquid oritur, id viciſſim breui mutari & aboriri neceſſe eſt, præter rerum omnium parentem Deum. O munde! munde! quanto es blandior, tanto es periculoſior, cum arrides, fallis, & miſere decipis. Bona & dona tua monſtras, porrigis, das, adimis, fruſtras. Quicquid in te boni eſſe videtur, aut eſt præſens, hoc eſt, inſtabile; ſi præteritum, iam eſt nihil; ſi futurum, eſt incertum. Tranſibis atque interibis & tu, cum concupiſcentia totaque tua pompa & gloria.

Vna dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.

Et nos mortales fluidi ſumus, caduci & omnibus obnoxii caſibus, & cum tempore aquarum inſtar in alueo rapimur.

Omnia tranſibunt. ſic ibimus, ibitis, ibunt,
ignari, gnari, conditione pari.

Et ipſe ego, dum meditor, iſta mutari, mutor, & tempus iſtud, in quo rerum omnium ortus & abortus contemplor & conſidero, alteque philoſophor, dum vitæ meæ datur, eripitur. Ego ipſe, qui hæc contemplor, meditor, philoſophor atque eloquor, poſt paucos aliquot ſoles,

vel

——— ——— *Nemini*

Fortuna currum à carcere anima missum leui
Inoffensum per aequor candidum calcem subit.
Haudquaquam quenquam semper fortuna secuta est.
Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Consistes agre; & citius, quam ascendas, decides.
Ouid. Trist. 3. El. 7.)
——— *Dat quodcunque libet fortuna, rapitque.*

Sic est, nihil in humanis firmum, stabile, nihil perpetuum aut est, aut fuit; sed perpetua vicissitudine omnia alterantur atque exercentur. Veniunt, abeunt; oriuntur, moriuntur. Fortunæ munera sunt: quid ergo mirum, si, quod fortuna dedit, iterum eripit?

Nulla sors longa est. Dolor ac voluptas
Inuicem cedunt. Breuior voluptas.

Caduca hac, inquit Valerius, *& fragilia, puerilibus consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur.*

Vidi cruentos carceri includi duces.
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni.

Hic oculos in vniuersum mitto, & omnia sub eodem fati iugo esse experior, nec secus terrarum, quam hominum fata volui, ad oculum deprehendo, hoc est, totas regiones, montes, maria, & quæ in iis contenta. O Deus! quæ mutationes & vices? quam hæc cogitatio me ad te trahit, infirma & incerta, fluida & lubrica omnia hu-

nia humana spectantem, spernentem atque despicientem? O munde! munde! nuci cassæ & te comparo & habeo, quam cum veritatis dente frango & aperio, nihil intus inuenio, quam vanitatem, quam inanitatem. Instabilia sunt omnia tua, homines, animalia, montes, flumina, & ipsa maria, nec non cœlorum terrarumque pariter orbes. In summa, quicquid est rerum, quicquid oritur, id vicissim breui mutari & aboriri necesse est, præter rerum omnium parentem Deum. O munde! munde! quanto es blandior, tanto es periculosior, cum arrides, fallis, & misere decipis. Bona & dona tua monstras, porrigis, das, adimis, frustras. Quicquid in te boni esse videtur, au est præsens, hoc est, instabile; si præteritum, iam est nihil; si futurum, est incertum. Transibis atque interibis & tu, cum concupiscentia totaque tua pompa & gloria.

Vna dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles & machina mundi.

Et nos mortales fluidi sumus, caduci & omnibus obnoxii casibus, & cum tempore aquarum instar in alueo rapimur.

Omnia transibunt. sic ibimus, ibitis, ibunt,
ignari, gnari, conditione pari.

Et ipse ego, dum meditor, ista mutari, mutor, & tempus istud, in quo rerum omnium ortus & abortus contemplor & considero, alteque philosophor, dum vitæ meæ datur, eripitur. Ego ipse, qui hæc contemplor, meditor, philosophor atque eloquor, post paucos aliquot soles,

vel

vel lunas aut hebdomadas, siue clepsydras; puluis, vmbra, nihil. Tales, mi Iuli Porphyri, acistius modi meditationes, infinitasque alias suggerit mihi hortulorum, syluarum, agellulorum, camporum & amnium spectio; & semper vbi solus vel cum amico ruri spacior, & obambulo, ita more meo philosophor, & de fortunæ gyris rerumque mundanarum vicissitudinibus & fatis sermocinor. Huic de omnium rerum mutationibus meditationi meæ, pro clausula hoc Senecæ attexam: *Quocunque me verto* (scribit ille ad Lucidum) *argumenta senectutis meæ video. Veneram in suburbanum meum, & querebar de impensis ædificii dilabentis. Ait villicus: non esse negligentiæ vitium, omnia se facere, sed villam veterem esse. Hæc villa* (ita pergit Seneca) *inter manus meas creuit. Quid mihi futurum est, si iam putria sunt ætatis meæ saxa. Iratus illi proximam occasionem stomachandi arripio. Apparet, inquam, his platanos negligi, nullas habent frondes, quam nodosi sunt & retorridi rami? quam tristes & squalidi trunci? hoc non accideret si quis has circumfoderet, si irrigaret. Iurat per genium meum, se omnia facere, in nulla re cessare curam suam: sed illas vetulas esse. Quod inter nos dictum sit, ego illas posueram, ego illarum primum videram folium. Conuersus ad ianuam, quis est, inquam, iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? foras enim spectat. Vnde istum nactus es? quid te delectauit alienum mortuum tollere? At ille: Non cognoscis me? inquit. Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre: ego sum philositi villici filius, deliciolum tuum. Profecto, inquam,*

inquam, iste delirat. Pupulus etiam deliciolum meum factus est; Prorsus potest fieri, dentes illi cum maxime cadunt. Debeo hoc suburbano meo, quod mihi senectus mea, quocunque aduerteram, apparuit. Complectamur illam & amemus. Plena est voluptatis, si illa scias vti. Huc vsque Seneca. Ita mi Iuli Porphyri, à Seneca & à me Philosophari disce.

LX.

QVARTA DEAMBVLATIOnum ruralium vtilitas, philosophandi instigatio.

NEc est, vt cõtemnas hoc studendi & philosophandi genus. Mirum est, vt animus agitatione motuq; illo corporis excitetur. Sublimiorem animum & spiritum beatiorem locorum amœnitas & libertas parant. Opacæ quoque illæ vndique syluæ, solitudo & nemora, aut patentes & ampli campi, aut herbosa & florida prata, ipsumque illud silentium, quod contẽplationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt, quæ attollunt, & grandiorem animum reddunt, magnumque & arcanum gaudium immittunt. Vt equum ad cursum apertus, liber & amplus campus prouocat & excitat; sic animum experior.

Ad studia vagans vacansque aura & ipse ambulandi, equitandi, aut nauigandi motus, sæpe locus (Petrarchæ verbum est) *ingenio stimulos admouet. Ideo apertus & liber optandus est his qui animum rebus altis applicuerunt, quem in populis innumera vanitatum*

forma

forma deprimunt atque discerpunt. Syluarum nemorumque amœnitas, præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborum auræ, volucrumque cantus; & ipsa late circumspiciendi libertas, sanctas lætasque cogitationes intendunt. Hinc est, quod iterum Petrarcha scribit: *post secundos*, inquit, *ingenii successus egressu facili in syluas & loca virentia, nihil est Musis amicius, queruli amnis in ripam grauedinem potes fatigationemque deponere.* Nec ideo minus in aruum ingenii rerum semina iacere, & inter ipsum quietis reparandique animi tempus venturo labori materiam præparare. Vtile simul & iucundum opus, & actuosa requies, & quietus labor, vt cum ad angustam illam Demosthenis ac secretam aream reditum fuerit, sententiarum sementem inutilibus excussis votiua verborum messis æquiparet; atque ita nullum studio tempus iners aut inane præterfluit, quod his præcipue dictum sit, qui orationes texunt, aut historias. Nam qui philosophiam & maxime poeticam meditantur, quibus acuta potius & arguta, quam multa conquirere mens est, eos libertati propriæ relinquendos censeo, impetum ingenii sequantur, considant vbicunque est animus, vbi locus tempusque suaserint, aut vbi se stimulis maioribus adigi senserint, seu cœlo aperto, seu clausæ tecto domus, seu solidæ rupis obtentu, seu patulæ pinus vmbraculo. Non multorum euolutione voluminum est opus. Illis iam ante perlectis in animo legunt, sæpe etiam in

animo

animo ſcribunt, lectione præterita, ſed præſenti ingenio ſeſe attollunt, nempe ſupra humanum modum rapiantur oportet, ſi ſupra hominem loqui volunt. Id ſane locis apertiſſimis expeditius geri interdum & alacrius animaduerti. Vnde ſæpe montanum carmen, quaſi hœdum è toto grege lætiſſimum atque lectiſſimum vidi, & nitore inſito admonitus originis, dixi mecum:

Gramen alpinum ſapis, ex alto venis.

His aſcribe, quod Horatius Flaccus (*2. Epiſt. 2.*) dicit:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.

Quem ſequutus Petrarcha:

Sylua placet Muſis, vrbs eſt inimica Poetis.

Atque iterum (*ibid.*) Flaccus:

Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, & contracta ſequi veſtigia vatum?

Neque his contentus rurſus (*ibid.*) quærit:

——— ——— *hic ego rerum*
Fluctibus in mediis & tempeſtatibus vrbis.
Verba lyræ motura ſonum connectere digner?

Necdum ſatis eſt, niſi iterum interroget: (*ibid.*)

——— *Romæ me ne poemata cenſes*
Scribere poſſe inter tot curas, totque labores?

Denique autem eleganti tædiorum narratione interpoſita, ironice concludens ait: (*ibid.*)

I nunc, & verſus tecum meditare canoros.

E LXI.

LXI.

NVMÆ POMPILII LEges, Syluestres.

LEgimus quoque de Numa Pompilio, secundo, si ordinem spectes; si iustitiam, primo Romanorum Rege, quod sæpissime opaca & vmbrosa loca ruralia, densa nemora, altumque silentium petierit, hoc fine, vt eo felicius leges hominum ac ceremonias Deorum inueniret, vbi diu tacitus sedens siue obambulans, & dein meditabundus, inde egrediens fictas & scriptas leges extulit, quibus furorum dominatorem gentium populum tenebat & ligabat. Ab historicis porro habemus, Herculum, Achillem, Romulum, alia multa viua belli fulmina in syluis & liberis campis, inque pastorali casa tantum excogitasse, tantisque assuefecisse animum rebus, vt magnorum imperiorum & auctores & rectores fuerint.

LXII.

DEMOSTHENIS VIRTVS oratoria syluestris.

RVri insuper Demosthenem magnum illum oratorem, ingentem illam oratoriam vim, quam in vrbibus tam potenter exercuit, maxime ruri didicisse. De quo ita Quintilianus: (*lib. 10.c.*

10.c.3.) ille inquit, *tãtus amator secreti Demosthenes, in littore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consuescebat concionum fremitus non expauescere.* Eligere & ipse Demosthenes locum tacitum atque vndique abditum est solitus: hic ingenium acuebat, ibi vocem exercebat. Experior ipse, mi Iuli Porphyri, non Dianam, aut Pana aut Satyros magis syluis, quam Mineruam inerrare, campisque, montibus aut pratis vagari. Duo inde simul exercitia obueniunt, & animi & corporis, ad quæ nos Plato adhortatur, cum inquit, *exercitium corporis, animi exercitio coniungendum esse. Corpus enim exercere atque animo, pugilum esse; animum absque corpore, inertium.* Citharœdos videmus, simul & memoriæ & sono, & flexibus plurimis inseruire: interim neruos alios dextra percutere; alios læua trahere, nec pedes plane otiosos esse, sed certam legem temporum seruare. Agricolæ simul & arua & vineta, & arbusta colunt, & pratis dant operam, & hortorum curam gerunt, & pecora non negligunt. Quidni ergo hominem philosophum & simul ire siue equitare, corpusque animumque exercere oporteat? At quia de corporis ex obambulationibus nostris vtilitate in huius dissertationis fine scribere operæ pretium esse duximus; quamobrem eam hic missam facimus, atque ad alia nobis proposita nunc gradimur.

LXIII.

QVINTA DEAMBVLATIOnum ruralium vtilitas: Proprietatum animalium meditatio, atque ad mores hominum comparatio.

IPſa porro animalium, totque arborum & herbarum genera, quoties viſa, mihi philoſophandi præbeant anſam, quantum ſcilicet naturæ ornatus ſtudium ſit in pauone, caſtitatis in turture, fidelitatis in cane, velocitatis in ceruo, longæuitatis in coruo, docilitatis in pſittaco, generoſitatis in equo, fœcunditatis in ſue, conſtantiæ in boue. Animaduertimus in luſcinia inſignem Muſicam, in hirundinibus induſtriam, in columbis humanitatem, in ciconiis pietatem. Admiramur porro ſimplicitatem in columbis, eandemque in ouibus, aſtutiam in vulpeculis, tarditatem in teſtudinibus, patientiam in agnis, ignauiam in aſinis, voracitatem in lupis, bibacitatem in ranis, in talpis cœcitatem, peſtiferum venenum in tarantula, & in aliis animalibus virtutes ſiue vires alias, quas in eadem animalia natura ſeminauit. Adde quod tam diuerſiſſimorum animalium diuerſæ naturæ ſint, diuerſæ voces, ſtaturæ & menſuræ, diuerſæ & ſingulares ſenſuũ intentiones, ſingulares appetitus, ſingulares amores, conceptus, partus, diuerſi pennarum & pilorum colores, quod quibuſ-

busdam sint cum aliis naturales consensiones, quibusdam dissensiones. Diuersę diuersis membrorum organicorum conformationes. Adiice hanc Dei inter terrestria animalia admirandam consuetudinem, vt vnius speciei domesticam & feram pariter creet, tauros domesticos & feros, equos feros & domesticos, itidem feles domesticas & feras, capros cicuratos & feros, cicuratos anseres & anates, & feros. En tibi & cætera animalia, gallinas, columbas, Cygnos. Ne dicam, quod Deus terrestria quædam animalia volare fecerit, & quædam quæ speciem volandi habeant, non tamen volant, vt vespertiliones, struthiones. Ex quibus omnibus satis superque apparet, quam negociosa & operosa in creaturis creandis & formandis Dei sit sapientia & bonitas. Digne igitur & merito illa omnia decet meditari, non propter illa ipsa, sed propter Deum nostrum illorumque factorem & creatorem. O potentem! ô bonum! ô sapientem!

LXIV.

APIVM NATVRA.

DIgnum & iustum quoque est, vt ex animalibus philosophando carpamus, quod ad vsum trásferre possimus. Et ne silétio studiosas & ingeniosas apes prætereamus, operæ pretium erit, vt paucis enumeremus, quantum ingenii & industriæ illis animalculis natura dede-

 rit.

De stirpe, vitam inglorius
Rebus in egenis transigit.

Res humanæ instar rotę sunt, in qua cito ea, quę summa fuerant, fiunt ima. Rotantur res mortalium, circulus mihi videtur ille rotatus, eosdem semper fortunatos esse non sinit:

Vos, quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid à vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis:
Nemo desperet meliora, lapsus.
Miscet hæc illis prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt poßit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
turbine versat.

Huc illud mei philosophi, *vita hominum præterit, errat, abit*, referendum: quod scilicet neminem fortuna eo prouexerit, vt non tantum illi auferre minaretur, quantum permiserat: *noli huic*, inquit, *tranquillitati confidere, momento mare vertitur.* Eodem die, vbi luserunt nauigia, sorbentur.

Pauperies pacem dat, opes pax, copia luxum,
sed luxus bellum, bellaque pauperiem.

Fons

Fons amor est odii, vita mors, turba quietis;
stant quæ deciderant, quæque stetere cadunt.
Et capti capiunt, & qui domuere, domantur,
fit victo supplex, qui modo victor erat.
Sic plebi indomitæ, sic sunt sua fata tyrannis:
sic Deus alternas versat in orbe vices.

Seculis certis eunt cuncta, nascuntur, crescunt, florent, decrescunt, extinguntur. Atq; is est, mi Iuli Porphyri, rerum mundanarum perpetuus ordo & orbis. *Humanarum*, inquit Herodotus, *rerum circulus est, qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit.* Et Plinius, *habet*, ait, *has vicissitudines conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus, & plerunque bonorum malorumque causæ sub diuersa specie latent.*

ῥοαὶ δ' ἄλλοτε ἄλλαι
εὐθυμιᾶν τε μετὰ καὶ πόνων
ἐς ἄνδρας ἔβαν.
Fluctus alias alii
Gaudiorum atque laborum
In homines veniunt.
——— ——— ἄλλας θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ
Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ.
——— ——— *alias Deus illi aliique*
Nunc bona, nunc mala dat.
Fortuna nulli currum missum à carcere intimo
Labi inoffensum per æquor ad candidum calcem sinit.

— Nemini

——— ——— *Nemini*
Fortuna currum à carcere anima missum leui
Inoffensum per æquor candidum calcem subit.
Haudquaquam quenquam semper fortuna secuta est.
Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Consistes ægre; & citius, quam ascendas, decides.
Ouid. Trist. 3. El. 7.)
——— *Dat quodcunque libet fortuna, rapitque.*

Sic est, nihil in humanis firmum, stabile, nihil perpetuum aut est, aut fuit; sed perpetua vicissitudine omnia alterantur atque exercentur. Veniunt, abeunt; oriuntur, moriuntur. Fortunæ munera sunt: quid ergo mirum, si, quod fortuna dedit, iterum eripit?

Nulla sors longa est. Dolor ac voluptas
Inuicem cedunt. Breuior voluptas.

Caduca hæc, inquit Valerius, *& fragilia, puerilibus consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocantur.*

Vidi cruentos carceri includi duces.
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni.

Hic oculos in vniuersum mitto, & omnia sub eodem fati iugo esse experior, nec secus terrarum, quam hominum fata volui, ad oculum deprehendo, hoc est, totas regiones, montes, maria, & quæ in iis contenta. O Deus! quæ mutationes & vices? quam hæc cogitatio me ad te trahit, infirma & incerta, fluida & lubrica omnia hu-

nia humana ſpectantem, ſpernentem atque deſpicientem? O munde! munde! nuci caſſæ & te comparo & habeo, quam cum veritatis dente frango & aperio, nihil intus inuenio, quam vanitatem, quam inanitatem. Inſtabilia ſunt omnia tua, homines, animalia, montes, flumina, & ipſa maria, nec non cœlorum terrarumque pariter orbes. In ſumma, quicquid eſt rerum, quicquid oritur, id viciſſim breui mutari & aboriri neceſſe eſt, præter rerum omnium parentem Deum. O munde! munde! quanto es blandior, tanto es periculoſior, cum arrides, fallis, & miſere decipis. Bona & dona tua monſtras, porrigis, das, adimis, fruſtras. Quicquid in te boni eſſe videtur, ſi eſt præſens, hoc eſt, inſtabile; ſi præteritum, iam eſt nihil; ſi futurum, eſt incertum. Tranſibis atque interibis & tu, cum concupiſcentia totaque tua pompa & gloria.

Vna dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.

Et nos mortales fluidi ſumus, caduci & omnibus obnoxii caſibus, & cum tempore aquarum inſtar in alueo rapimur.

Omnia tranſibunt. ſic ibimus, ibitis, ibunt,
ignari, gnari, conditione pari.

Et ipſe ego, dum meditor, iſta mutari, mutor, & tempus iſtud, in quo rerum omnium ortus & abortus contemplor & conſidero, alteque philoſophor, dum vitæ meæ datur, eripitur. Ego ipſe, qui hæc contemplor, meditor, philoſophor atque eloquor, poſt paucos aliquot ſoles,

vel

vel lunas aut hebdomadas, siue clepsydras; puluis, vmbra, nihil. Tales, mi Iuli Porphyri, ac istius modi meditationes, infinitasque alias suggerit mihi hortulorum, syluarum, agellulorum, camporum & amnium spectio; & semper vbi solus vel cum amico ruri spacior, & obambulo, ita more meo philosophor, & de fortunæ gyris rerumque mundanarum vicissitudinibus & fatis sermocinor. Huic de omnium rerum mutationibus meditationi meæ, pro clausula hoc Senecæ attexam: *Quocunque me verto* (scribit ille ad Lucidum) *argumenta senectutis meæ video. Veneram in suburbanum meum, & querebar de impensis ædificii dilabentis. Ait villicus: non esse negligentiæ vitium, omnia se facere, sed villam veterem esse. Hæc villa* (ita pergit Seneca) *inter manus meas creuit. Quid mihi futurum est, si iam putria sunt ætatis meæ saxa. Iratus illi proximam occasionem stomachandi arripio. Apparet, inquam, his platanos negligi, nullas habent frondes, quam nodosi sunt & retorridi rami? quam tristes & squalidi trunci? hoc non accideret si quis has circumfoderet, si irrigaret. Iurat per genium meum, se omnia facere, in nulla re cessare curam suam: sed illas vetulas esse. Quod inter nos dictum sit, ego illas posueram, ego illarum primum videram folium. Conuersus ad ianuam, quis est, inquam, iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? foras enim spectat. Vnde istum nactus es? quid te delectauit alienum mortuum tollere? At ille:* Non cognoscis me? *inquit. Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre: ego sum philositi villici filius, deliciolum tuum. Profecto, inquam,*

inquam, iste delirat. Pupulus etiam deliciolum meum factus est; Prorsus potest fieri, dentes illi cum maxime cadunt. Debeo hoc suburbano meo, quod mihi senectus mea, quocunque aduerteram, apparuit. Complectamur illam & amemus. Plena est voluptatis, si illa scias vti. Huc vsque Seneca. Ita mi Iuli Porphyri, à Seneca & à me Philosophari disce.

LX.

QVARTA DEAMBVLATIONUM ruralium vtilitas, philosophandi instigatio.

NEc est, vt cōtemnas hoc studendi & philosophandi genus. Mirum est, vt animus agitatione motuq; illo corporis excitetur. Sublimiorem animum & spiritum beatiorem locorum amœnitas & libertas parant. Opacæ quoque illæ vndique syluæ, solitudo & nemora, aut patentes & ampli campi, aut herbosa & florida prata, ipsumque illud silentium, quod contēplationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt, quæ attollunt, & grandiorem animum reddunt, magnumque & arcanum gaudium immittunt. Vt equum ad cursum apertus, liber & amplus campus prouocat & excitat; sic animum experior.

Ad studia vagans vacansque aura & ipse ambulandi, equitandi, aut nauigandi motus, sæpe locus (Petrachæ verbum est) *ingenio stimulos admouet. Ideo apertus & liber optandus est his qui animum rebus altis applicuerunt, quem in populis innumera vanitatum*

forma

forma deprimunt atque discerpunt. Syluarum nemorumque amœnitas, præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborum auræ, volucrumque cantus, & ipsa late circumspiciendi libertas, sanctas lætasque cogitationes intendunt. Hinc est, quod iterum Petrarcha scribit: *post secundos*, inquit, *ingenii successus egressu facili in syluas & loca virentia, nihil est Musis amicius, queruli amnis in ripam grauedinem potes fatigationemque deponere.* Nec ideo minus in aruum ingenii rerum semina iacere, & inter ipsum quietis reparandique animi tempus venturo labori materiam præparare. Vtile simul & iucundum opus, & actuosa requies, & quietus labor, vt cum ad angustam illam Demosthenis ac secretam aream reditum fuerit, sententiarum sementem inutilibus excussis votiua verborum messis æquiparet; atque ita nullum studio tempus iners aut inane præterfluit, quod his præcipue dictum sit, qui orationes texunt, aut historias. Nam qui philosophiam & maxime poeticam meditantur, quibus acuta potius & arguta, quam multa conquirere mens est, eos libertati propriæ relinquendos censeo, impetum ingenii sequantur, confidant vbicunque est animus, vbi locus tempusque suaserint, aut vbi se stimulis maioribus adigi senserint, seu cœlo aperto, seu clausæ tecto domus, seu solidæ rupis obtentu, seu patulæ pinus vmbraculo. Non multorum euolutione voluminum est opus. Illis iam ante perlectis in animo legunt, sæpe etiam in animo

animo scribunt, lectione præterita, sed præsenti ingenio sese attollunt, nempe supra humanum modum rapiantur oportet, si supra hominem loqui volunt. Id sane locis apertissimis expeditius geri interdum & alacrius animaduerti. Vnde sæpe montanum carmen, quasi hœdum è toto grege lætissimum atque lectissimum vidi, & nitore insito admonitus originis, dixi mecum:

Gramen alpinum sapis, ex alto venis.

His ascribe, quod Horatius Flaccus (*2. Epist. 2.*) dicit:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.

Quem sequutus Petrarcha:

Syluaplacet Musis, vrbs est inimica Poetis.

Atque iterum (*ibid.*) Flaccus:

Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, & contracta sequi vestigia vatum?

Neque his contentus rursus (*ibid.*) quærit:

——— ——— hic ego rerum
Fluctibus in mediis & tempestatibus vrbis:
Verba lyræ motura sonum connectere digner?

Necdum satis est, nisi iterum interroget: (*ibid.*)

——— Romæ me ne poemata censes
Scribere posse inter tot curas, totque labores?

Denique autem eleganti tædiorum narratione interposita, ironice concludens ait: (*ibid.*)

I nunc, & versus tecum meditare canoros.

LXI.

NVMÆ POMPILII LEges, Syluestres.

LEgimus quoque de Numa Pompilio, secundo, si ordinem spectes; si iustitiam, primo Romanorum Rege, quod sæpissime opaca & vmbrosa loca ruralia, densa nemora, altumque silentium petierit, hoc fine, vt eo felicius leges hominum ac ceremonias Deorum inueniret, vbi diu tacitus sedens siue obambulans, & dein meditabundus, inde egrediens fictas & scriptas leges extulit, quibus furorum dominatorem gentium populum tenebat & ligabat. Ab historicis porro habemus, Herculum, Achillem, Romulum, alia multa viua belli fulmina in syluis & liberis campis, inque pastorali casa tantum excogitasse, tantisque assuefecisse animum rebus, vt magnorum imperiorum & auctores & rectores fuerint.

LXII.

DEMOSTHENIS VIRTVS oratoria syluestris.

RVri insuper Demosthenem magnum illum oratorem, ingentem illam oratoriam vim, quam in vrbibus tam potenter exercuit, maxime ruri didicisse. De quo ita Quintilianus: (*lib.*

10.c.3.) ille inquit, *tãtus amator secreti Demosthenes, in littore, in quod se maximo cum sono fluctus illideret, meditans consuescebat concionum fremitus non expauescere.* Eligere & ipse Demosthenes locum tacitum atque vndique abditum est solitus: hic ingenium acuebat, ibi vocem exercebat. Experior ipse, mi Iuli Porphyri, non Dianam, aut Pana aut Satyros magis syluis, quam Mineruam inerrare, campisque, montibus aut pratis vagari. Duo inde simul exercitia obueniunt, & animi & corporis, ad quæ nos Plato adhortatur, cum inquit, *exercitium corporis, animi exercitio coniungendum esse. Corpus enim exercere atque animo, pugilum esse; animum absque corpore, inertium.* Citharœdos videmus, simul & memoriæ & sono, & flexibus plurimis inseruire: interim neruos alios dextra percutere; alios læua trahere, nec pedes plane otiosos esse, sed certam legem temporum seruare. Agricolæ simul & arua & vineta, & arbusta colunt, & pratis dant operam, & hortorum curam gerunt, & pecora non negligunt. Quidni ergo hominem philosophum & simul ire siue equitare, corpusque animumque exercere oporteat? At quia de corporis ex obambulationibus nostris vtilitate in huius dissertationis fine scribere operæ pretium esse duximus; quamobrem eam hic missam facimus, atque ad alia nobis proposita nunc gradimur.

LXIII.

QVINTA DEAMBVLATIOnum ruralium vtilitas: Proprietatum animalium meditatio, atque ad mores hominum comparatio.

IPſa porro animalium, totque arborum & herbarum genera, quoties viſa, mihi philoſophandi præbeat anſam, quantum ſcilicet naturæ ornatus ſtudium ſit in pauone, caſtitatis in turture, fidelitatis in cane, velocitatis in ceruo, longæuitatis in coruo, docilitatis in pſittaco, generoſitatis in equo, fœcunditatis in ſue, conſtantiæ in boue. Animaduertimus in luſcinia inſignem Muſicam, in hirundinibus induſtriam, in columbis humanitatem, in ciconiis pietatem. Admiramur porro ſimplicitatem in columbis, eandemque in ouibus, aſtutiam in vulpeculis, tarditatem in teſtudinibus, patientiam in agnis, ignauiam in aſinis, voracitatem in lupis, bibacitatem in ranis, in talpis cœcitatem, peſtiferum venenum in tarantula, & in aliis animalibus virtutes ſiue vires alias, quas in eadem animalia natura ſeminauit. Adde quod tam diuerſiſſimorum animalium diuerſæ naturæ ſint, diuerſæ voces, ſtaturæ & menſuræ, diuerſæ & ſingulares ſenſuũ intentiones, ſingulares appetitus, ſingulares amores, conceptus, partus, diuerſi pennarum & pilorum colores, quod quibuſ-

busdam sint cum aliis naturales consensiones, quibusdam dissensiones. Diuersę diuersis membrorum organicorum conformationes. Adiice hanc Dei inter terrestria animalia admirandam consuetudinem, vt vnius speciei domesticam & feram pariter creet, tauros domesticos & feros, equos feros & domesticos, itidem feles domesticas & feras, capros cicuratos & feros, cicuratos anseres & anates, & feros. En tibi & cætera animalia, gallinas, columbas, Cygnos. Ne dicam, quod Deus terrestria quædam animalia volare fecerit, & quædam quæ speciem volandi habeant, non tamen volant, vt vespertiliones, struthiones. Ex quibus omnibus satis superque apparet, quam negociosa & operosa in creaturis creandis & formandis Dei sit sapientia & bonitas. Digne igitur & merito illa omnia decet meditari, non propter illa ipsa, sed propter Deum nostrum illorumque factorem & creatorem. O potentem! ô bonum! ô sapientem!

LXIV.

APIVM NATVRA.

DIgnum & iustum quoque est, vt ex animalibus philosophando carpamus, quod ad vsum trásferre possimus. Et ne silétio studiosas & ingeniosas apes prætereamus, operæ pretium erit, vt paucis enumeremus, quantum ingenii & industriæ illis animalculis natura dede-

rit. Plinius itemque Aristoteles vna cum cæteris rerum naturalium diligentibus indagatoribus obseruarunt, publicisque scriptis docuerunt, naturam suas vires in illis minutis animalibus non minus, quam in maximis creaturis posuisse. Apes rempublicam consilia priuatim, duces gregatim moresque habere: apibus regem esse cui obediunt, & quem sequuntur, qui & magnitudine & pulchritudine corporis cæteros præstat, nullo eum aculeo, sed maiestate armatum, speciale illi palatium in tuberculo structum esse, totum examen circa eum conglobari, cingere eum, defendere, protegere, nec cerni pati.

Omni labore regem esse immunem, sed opera circumire atque inspicere, prodeuntem foras, examen, totamque communitatem seu plebem vniuersam comitari, simulque demigrare, vbi considat, ibidem cunctarum castra collocari, cum rege abire, vagari, redire, senectute oppressum, aliasue infirmum, alis suis subleuare. Rege defuncto, totum populum mœrere, & plangere, ad aliquot dies à labore desistere & quiescere, à cibis abstinere & temperare, tristi flebilique murmure circa defuncti corpus conglomerari, & sic regis mortem deplangere, sic honestare, sic parentare. dein defunctum proferre & exequias funerantes comitari. Quidam literis testantur, viuente rege, masculos in vno, & altero latere fœmellas commorari, ipso vero demortuo commisceri.

misceri. Et testatur Basilius, apum regem suffragiis constitui, quia sæpe imperita plebs etiam indignissimis defert honores: neque sorte eligatur: quia sæpe sors pessimum quemq; tangit: neq; iure hæreditario alicuius successionis denominatur, quia qui successione creantur, plerunq; sunt aut improbi, aut imperiti, luxui dediti, & alant multos assentatores; sed regẽ apum natura seu Deo principatum obtinere, propter egregiam formã, magnitudinem, mansuetudinem, cæterasq; corporis animiq; virtutes, quibus cæteras excellit, & præ reliquis omnib. pręstat. Scribitur porro de apibus & obseruatur, quod hyeme domi maneãt, & cũgestis cibis victitent, ante flores non exeant, noctu quiescãt, & exceptis excubitoribus, cunctæ dormiãt, donec ab vna, triplici bombo excitentur; tunc si serenus dies, & per cœli clementiam licet, prouolent, & cibos conferãt. Officia illis distincta & diuisa sunt. Iuniores foris, seniores intus operantur, hæ suggerunt, cõferunt; illæ construunt atq; ordine componunt. Apes, inquit Ælianus, Geometriã, figurã, pulchritudinẽ, fingendi elegãtiam sine arte, sine regulis, sine circino, simul & figuras sexangulares & sex laterum & æqualium conficiunt. Merito igitur cum Zornio dicere & referre possumus, quod ab Historicis Mnesides ille architectus, qui arcem Athenis ædificauit, laudatus fuerit; Dædalus ob Vulcani templum affabre in Memphi exstructum; ob ambulationem turrimque pensilem Pharo in

 insula

insula exstructam Sotostrus Gnidius celebratus: nominis post se memoriam perpetuã philo architectus, armamentario mille Athenis nauium fabricato, reliquerit. At parua magnis componere si licet etiam in apiculis hisce architectonices haud exigua peritia deprehenditur, quod ea subtilitate & arte domicilia sua fingunt, vt norma ac perpendiculo nullo applicato angulos æquales efficiant, nullo circumducto circino fauos ita rotundos ducunt, ceras pilis fulciunt eo fornicatis artificio, vt artificibus summis, qui æmulentur, linquere possint. Et scribit Aristoteles, quod apes ordine, non de omni flore promiscue colligant, sed transeundo de viola ad violam. Vbi vero illud, quod colligunt, alteretur, apud physicos disputatur. Hoc quidam obseruarunt, illud, quod afferunt & in cellas deponunt, primum valde esse dilutum, sed mox incipere ferueseere, non secus ac vinum & cereuisia recens, & sic purgari, dein crassescere, & proprie mel fieri: cum ex sobole alueus apibus redundat, tanquam maximæ vrbes hominum multitudine redundantes, sic illæ colonias deducunt. Fucos & ignauos in rempublicam non intromittunt, potius expellunt, abigunt, sæpe morte interimunt, nec vllam spurcitiem seu immunditiem permittunt, excrementa intus operantium vnum in locum congesta turbidis diebus per ocium exportant, nullo in loco inquinato aut male olenti assident, nec si quis etiam bonis

vnguen-

vnguentis redoleat, & hisce delibutum, si ad alueos accesserit, spiculis abiguut. Exorta tempestate & procella pedibus lapillum corripiunt, ne venti & flatus impetu auferantur. *Res apiaria*, scribit Columella, *non tantum curatorem fraudulentum; sed etiam immundæ segnitiæ perosa est: æque enim dedignatur, si minus pure habita est, ac si tractaretur fraudulenter. Curatori apum, cum alueos tractare debebit; custodiendum, vt pridie castus sit ab rebus venereis, neue temulentus, nec nisi lotus ad eos accedat, abstineatque fere ab omnibus redolentibus escis, vt sunt salsamenta, & eorum omnia eliquamina, itemque fœtentibus acrimonijs allii vel cæparum cæterarumque rerum. Cum porro ad vesperam venit, vna circumuolat, eademque, quo mane excitauit, bombo ad quietem captādam vocat. Et licet vespis, crabronibus, araneis, hirundinibus, ranis, serpentibus, formicis & quibusdam aliis animalibus mel inhiantibus impugnentur: se tamen suaque mella ex amarissimis herbis bitumine confecto defendunt, quod circa alueare ponunt, & sic inimicos suos & reipublic. perditores repellunt, & bona pace viuunt.* Quis hic non admiretur, tam minuta animalia tantum habere ingenii, tantum memoriæ & industriæ, tantum sagacitatis & artis, tantumque politicæ virtutis, quæ quasi normam docent bene formatæ reipublicæ & vere domesticæ œconomiæ: siquidem politiæ proprium est; vt ad vnum communem finem singulorum actiones sint destinatæ, vt in apibus est videre, ita vt dicam, vix Americæ, Scythię siue Sarmatię populos tantas, quam aper bonis moribus con-

ſtitutas reſpub. olim habuiſſe. Has ob recitatas rationes Eccleſiaſticus apiculas laudat. Et Baſilius magnus vocat *ciuilia animalia*: nec immerito, quia omnes & ſingulas actiones referent ad vnum communem & ciuilem finem, & vnice amant ſuam ciuitatem, ad quam conuehunt. Longum foret, ſi omnes & ſingulas apum virtutes decantare vellem. Vrſo, boue, aſino infinities minores ſunt, ſed illis infinities excellentiores, quo ad animi, puta, dotes, prudentiam, pietatem, iuſtitiam, æquitatem, ſedulitatem, adde quod multos homines præſtẽt. Erubeſcãt igitur hic homines pigri, ſegnes, ſomnolenti, oſcitantes, compreſſisq; ſedẽtes manibus, mulierum illi podices, & illis qui ſine arte & induſtria in delitiis & vitiis in diem viuũt, erubeſcãt illi, rubore & pudore ſuffundantur, atq; ad horum animalium, horum nobiliſſimorũ inſectorum conſpectum conturbentur. Solæ enim apiculæ cõſpectæ, vitæ inſtituendæ cum aliis, tũ nobis (vt nõ meis, ſed Stollii verbis vtar) in literis qui viuimus, rationes indicant. Si ſomnus ignauus, oriũ iners præclaros in ſtudiis retardat conatus, ab ipſis apiculis ad laborandum nos excitari cogitemus. Si ſuperba ac pernicioſa nos φιλαυτία pungit, vt autorum bonorum lectionem neglıgamus; apiculæ, varios ſeſe demittentes in floſculos, indeque vtiliſſima petentes, occurrant. Si ſuſque deque ferimus, laudemurne, an vituperemur, amemur an odio habeamur? apiculæ in mentem veniant, quæ plauſu ſonituque

que excitantur. Si praua nos sodalitia irretire atque seducere cupiunt: nostri nos officii cōmonefaciāt apiculę, quæ fucos, pecus ignauū, aliaq; noxia animalia ferre nequeunt: si cauponulæ, si ludi, si de ambulationes intēpestiuę nos vexant, excitantq; ad turpia, apiculæ exemplo sint, quæ non nisi castis purisque delectantur oderunt ac fugiunt Veneri Bacchoq; deditos. Porro docet noster Seneca, & nos adhortatur, vt in legendo scribendoq; apes imitemur: *Apes, inquit, debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quicquid attulere, disponunt, ac per fauos digerunt, & vt Vergilius noster (Verg. Æneid. 1.) ait,*

—————— liquentia mella
stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

De ipsis non satis constat, vtrū succū ex floribus ducant, qui protinus mel sit? an quæ collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam & proprietate spiritus sui mutent? quibusdam non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Aiunt inueniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim eandem, sed minus manifestam & notabilem poni, quam persequatur & contrahat animal huic rei genitū. Quidā existimant cōditura & dispositione in hanc qualitatē verti, quæ ex tenerrimis virentiū florentiumq; decerpserint, non sine quodam, vt ita dicam, fermento, quo in vnum diuersa coalescunt.

Sed nec ad aliud, quam de quo agitur, deuiemus, nos quoque apes debemus imitari, & quęcunque ex diuersa lectione congessimus, separare. Melius enim distincta seruantur. Deinde adhibita ingenii nostri cura & facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere: vt, etiam si apparuerit, vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quam vnde sumptum est, appareat. Quod in corpore nostro videmus sine vlla opera nostra facere naturam. Alimenta quæ accepimus, quandiu in sua facultate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt. At cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires & in sanguinem transeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia præstemus, vt quæcunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint: sed concoquamus illa, alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Assentiamur illis fideliter, & nostra faciamus, vt vnum quiddam fiat ex multis: sicut vnus numerus fit ex singulis, cum minores summas dissidentes computatio vna comprehendit. Hoc faciat animus noster. Dein si magistratus, si legum, si disciplinæ denique honestæ contemptus suboritur, apiculas nobis proponamus, quæ ordinis ac disciplinæ sunt amantissimæ. Et puto, nullius rei pulchriorem imaginem in apibus nobis proponi, quam regni & regionis alicuius politiæ. Apes enim, vt supra dixi, magno studio obseruarunt, comitantur, & amant regem; nunquam excurrunt, nisi præcedentem regem videant,

videant, infirmum alis subleuant, defunctum proferunt, & exequias funerantes comitantur. Idẽ peragere discũt subditi. Rex intus circumit, & omnia diligenter inspicit, ad labores adhortatur, & sua præsentia opus fideliter adiuuat. Eodem modo nostri Principes suos alueolos in Curia & ecclesiâ, cæterisque, vbi opus est locis, inspicere addiscant. Sicut rex apum nutrimentis reliquis contentus, ne si illas partes, vnde res apiaria interiret esset necesse, auferat, societas turbaretur: ita Reges quoque & Principes tondere debent pecus, non deglubere. Sicut apum reges facilime bellum suscitant; sed iacto lapide, siue moto puluere ipsorum acies profligatur atque interimitur; ita mortalium quoque Reges sæpe leuissimam ob causam ad arma descendunt, & ad bellum sese accingunt: ast paucis post momentis ipsi terræ redduntur, & cippus siue sepulchri lapis, terræque pulueres super eosdem mittuntur, bellum corrumpitur & abrumpitur, euanescit, debellatum est. Sicut porro viuente apum rege masculi in vno latere, & fœmellæ in altero commorantur, sed demortuo illo miscentur; sic quoque viuente in repub. optimo & splendidis virtutum ornamentis Rege omnis generis vitia opprimuntur; demortuo vero illo, siue vitiis & delitiis sopito omnia vitia & flagitia caput extollunt. Sicut in examine demum nulla apis est otiosa, quia aliæ cum aliis certant, aliæ annonæ sedulis oculis aduigilant, aliæ tempestatem obseruant, aliæ

ex

ex floribus ſuccum ſugunt, & mel faciunt, aliæ cellulas fabricant: ita in bonis legibus constituta republic. haud eſt concedendum, vt vllus ciuis reperiatur otioſus aut oſcitabũdus, propter vitam ſolũ viuere putans, toto die ceſſans, ſtertens, voluptatem amans. Nunc vultum tuũ admiratione quadam defixum videre, & perturbato lenique cum murmure hæc verba audire videor: ô diuinæ liberalitatis, infinitæ ſapientiæ, inclytę bonitatis abyſſum, non ſolum admirandam, ſed & ſtupendam! Tu ſubſiſte hic, mi Iuli, cohibe gradum, & de ſtupenda Dei ſapientia, quam in minutis illis animalibus in noſtris itionibus rimamur atque admiramur, nobiſcum philoſophari perge. Dabis mihi veniam, ſi iſtarum rerum cõmemoratione, quibus valde delector, ſim longior, nec minus indulgendũ philoſophiam tradenti, quam militi, quam nautæ, quorum ille multus ſolet eſſe in enumerandis bellorum ſuorum & vulnerum, hic in deſcribendis nauigationum ſuarum caſibus. (*Propert. lib. 2, eleg. 1.*)

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
enumerat miles vulnera, paſtor oues.

LXV.
FORMICARVM NATVRA.

HAud minus quam apes, etiam formicas rempub. habere, ad oculum comprehendimus: in hoc vero differre, quod apum reſp. ad Monarchiam; formicarum ad Democratiã aut Ariſtocratiã pertinent. Nullus formicis rex eſt, nullus

nullus dux, nullus præses. Ex æquo seruant reip. mores, ita vt quædā subsint, quædam præsint. Boni & veri ciuis officio funguntur. Vnanimi omnes ad communē vtilitatē laborant, sudant, anhelant. Nō omittere hîc possum recitare, me in Marchia Brandenburgensi in sylua Spandouiana animi causa cū quodam aucupe inerrantem sub inueterato ligno siue trabe totam solertiū formicarū ciuitatem ordine bene dispositam reperisse, ad similitudinē ferme illius, quā Episcopus Vulturatiensis describit, atq; in Apulia reperisse his verbis affirmat: *Inambulabam aliquando corporis exercēdi causa summo mane, Iulio mense, extra Apuliæ oppidum, cui nomen est,* S. Bartholomęi, *comperique quadratam trabem, longam pedes octo, animaduertique sub ea formicarum esse domicilium. Quamobrem subiit mihi desiderium spectandi illarum habitacula. Moxq; necessarii trabē tanta leuitate submouerūt, vt nulla earum rerum, quæ suberant, facta fuerit motio, aut perturbatio. Apparuit in argillosa humo vrbs quædam quadrangularis, longa fere pedes quatuor, lata vltra pedem, in qua per vias, velut ad negocia vltro citroq; cursitare velut ciues ipsæ formicæ videbātur. Admirāda erat angulorum laterumq; directa delineatio, quam artificiū amussi circinoq; factam putasses, quod æqualis semper dimensio longitudinis latitudinisq; seruaretur. Vrbis longitudinem media secabat via, quædam, directissima profunditate & latitudine digitali, quam rursum per transuersum æqualibus inter se spaciis tres aliæ viæ eadem digitali profunditate & latitudine directissime intersecabant, vt ita tria compita foraque spectarentur.*

Ita

Ita extremis viarum angulis, velut angiportibus spectabamus collecta in aceruo seruari oua, vnde formicarum genus gignitur. Altera vrbis parte antra vidimus frumento ita impleta, vt in vias ipsas redundarent. Mira fuit viarum munditties, nihil in illis lapillorum nihil pulueris, nihil festucarum, nihil humoris, vt deprehendas, vrbem illam ab suis ciuibus ita curatam, vt prolis eximium studium, annonæ, & structurarum ornatus vbique spectaretur. Cum omnes illi ciues communi studio ad reip. beneficia incumbentes, dum alii domi de rebus consulunt, alii foris res agunt; summa pace concordiaque curandam rempublicam nos docebant. Studuisse quoque iidem ciues visi sunt omnium incolarum incolumitati. Erat enim in vrbis lõgitudinis medio vnica porta Zephyro obiecta, quod ab Aquilone, Euro atque Austro immunem vrbem, sua philosophia oportere esse didicissent. Res istas omnes spectabamus, curiose admirabamur; industriam eximie operantem omnia in obscuris, cæcisque tenebris, memoriaque dignam censuimus, quod in plano, pro opportunitate loci, eam vrbem formicæ condidissent, haud dubie alibi inter saxa inæqualiaque loca pari industria vrbes suas consulto ædificaturas eis iudicabamus. Neque adeo mirati sumus Neapolim, quam homo rationis compos condidisset, sicut eam vrbem perspeximus, quam ratione carens animal ornate construxisset. Atque hæc de ista vrbe sufficiant. Est præterea in formicis œconomiæ memoria. Exeunt primum vna eademque hora multi, sed vna post aliam: Certam semitam ad frumentum faciunt, quam postea infallibiliter currunt, cum semina & grana pro hyeme congerunt. Grana & semina,

ac rur-

ne rursus ex terra in fruges crescant, perfodiunt atque arrodunt, arrosa condunt, imbre madefacta proferunt & sub solis radiis siccant, & sic corrumpendi periculum tollunt. Et obseruarunt aliqui, quod nunquam soleant imbres sequi, quando formicæ sua grana exponunt. Loca altissima humilimaque sursum & deorsum arbores quasuis prægrandes, turres, horrea, cellaria, omnes angulos, omnes parietes infra & supra, extus & intus, omnes herbas, agros, areas, sulcos perrepunt & percurrunt: Grandiores & validiores in loca eminentissima irrepunt, & gramina minoribus portãda deiiciunt, & cunctæ eadem, qua profectæ via, reuertuntur, quam ita frequentant, vt silices in ea attritos videamus. In itinere porro vltro citroque contemplamur aliquas, quæ alias ipsarum onera portare iuuant. Gestantes nihil, gestantibus de via decedunt, & manifeste cernimus obuias inter sese quasi colloqui, & percontari, donec singulæ suos populares agnoscant. Interea locum habent pro communi granario, locum alium pro communi domicilio, & tertium pro defunctis. Hoc notabile est, quod præter hominem solę formicę ex omnibus animalibus mortuos suos reuerenter curent. Non relinquunt eas in suis cauernis, neque temere abiiciunt, sed efferunt, & honeste in vicinia infrumentorum folliculis sepeliũt. Huc referendum quoq; est, quod Cleanthes se vidisse testatus est: formicas mortuã gestantes formicam, ad Mymetiam

venisse, inde quasdam prodiisse, seque pompæ illi funerali seu exequiis obuiā tulisse, cum aduenientibus defunere redimendo sermonem quasi miscuisse, gestaq; quæ essent veluti ad senatum referē es, intro se recepisse, idq; iterum, ac tertio fecisse; deniq; quasi expacto, vermem redimendi cadaueris pretiū extulisse, quo accepto quæ aduene āt mortuam tradidisse atq; discessisse. Si hoc fit inter formicas, tā pusillas bestiolas, quāto magis hominib. curę esse debet, vt suorū cadauera terrę cōmendentur? Hisce insectis longe sunt deteriores illi homines, qui hāc pietatē suis propinquis & cōciuibus haud præstant. Addiscāt igitur ab hisce animalibus pietatem illi, & cū rubore abeāt. Ad formicarū insuper miracula recēsendum, quod sensum ita exquisitum habeāt, vt dulciū rerum odorē longo interuallo percipiāt. Quoties ego formicas cōspicio, earundemq; industriā probe cōsidero, in auribus meis quasi sonare atq; inerrare videtur illud Salomonis (*Prou. 6. v. 6.*) *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate sibi cibum, & congregat in messe, quod comedat.* Nec non illud Prouerb. 30. v. 24. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Adveniant igitur homines ratione prædi-

diti, igna-

diti, ignaui illi & pigri, atque ab hoc paruo animalculo virtutem œconomicam, politicam, ciuilemque concordiam ediſcant. Cum igitur tot & tam magnarum virtutum (hæc pro clauſula, antequam ad alia progrediar, ex Francio anneĉtere lubet) veſtigia nobis appareant in formicis, non fruſtra Spiritus Sanctus eas appellauit ſapientiores ſapientibus, & pigros inprimis ad haſce mittere voluit. Loquitur autem Prouerb. 6. cap. de debitoribus & ſponſoribus. Hos igitur monet, vt ſicut honeſtos decet, ſtent promiſſis, & qui ſponſores ſunt facti, ſine mora ſoluant, quod debent, neque quærant ſubterfugia. Sicut enim auis dat operam vt liberetur ex reti, & damula omnibus modis conatur ſe liberare ex caſſibus, ita debitores ſimili modo agant. Ne quis autem prætenderet, ſibi deeſſe facultates ad ſoluendum, dicit Spiritus S. non requieſcendum eſſe, ſed ſine intermiſſione laborandum, & inſpiciendam eſſe induſtriam formicæ, quæ non mendicat, neque decipit alias beſtias, mutuo ſumendo, ſed omnibus modis ſibi aliquid præparat. Quæ eſt ſententia genuina loci allegati ex Prouerbiorum libro. Quanquam interim cuique pigro analogice quoque inculcari poterit. Porro accommodetur illud ipſum ad diligentiſſimam inueſtigationem eorum, quæ ad vſum ſpiritualis vitæ pertinent, & ad laborem in illis inſumendum, & ad perſeuerantiam in illis. Hæc vita eſt meſſis & æſtas, vbi laborare decet inter tentationes.

Extrema dies est multis futura hyems rigida, nisi seposuisti horreum fidei & dilectionis, vnde viuere, recompensationem sperare liceat. Qui hoc non fecerit, is habebit experiri in hyeme caligines mentis, nubes timoris, ventum & gelu iudicii. Formica morsu & vnguiculis resecat seminiferum in grano: ita nos in vita inutiles resecemus affectus, vnde peccata grandia possent sequi. Formica grana madefacta exponit soli: sic nos malam vitam & verbo solis iustitiæ discamus exsiccare & emendare. Serenitatis igitur seu gratiæ tempus diligenter attendamus, & recte colamus, dum sol gratiæ Christus adhuc lucet. In altero die cum Esau multi quærent cum lachrymis pœnitentiam, sed non reperient gratiam (*Heb.* 18. *v.* 17.) Metuendi igitur superuenturi dies imbrium, & exsiccentur fructus vitæ madefacti. Sicut enim hæ bestiolæ feruenti & sitiendi æstate laborant, anhelant, sedant, vt brumali tempore, quod inhabitent, quod edant, habeant: ita, inquam, nos Christianos quoque huius vitæ æstiuum tempus Dei ope transigere & peragere oportet, ne omnibus destituti & nudati bonis, egentes, esurientes atque eiulantes æternum frigus misere miseri patiamur.

LXVI.

ARANEARVM NATVRA.

QVantum reip. & œconomiæ studium habere apes & formicas disseruimus, tantum

ferme

ferme etiam araneas & artis & industrię habere obſeruamus. Geometrica quædam ars ex eo elucet, quod filum textrinæ ſuæ velut integro corpore pariant, præclare texant, centrum ſeruent, & quaſi circino circumducant. Sciunt inſuper ſarciēdi artem. Si quid ſuæ telæ fuerit diſruptum, aut ſciſſum, protinus reficiunt. De hoc animalculo ait Plinius: (*lib.* 11. *c.* 24.) *Orditur telas araneus, tantique operis materia vterus eius ſufficit, ſiue ita corrupta alui natura, ſtato tempore, ſiue eſt intus quadā lanigena fertilitas tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquali deducit ſtamina ipſo ſe pondere vſus Texere à medio incipit, circinato orbe ſubtegmina annectens, maculasque paribus ſemper interuallis, ſed ſubinde creſcentibus, ex anguſto dilatans, indiſſolubili modo implicat. Quanta arte celant pedicas ſcutulato rete ad capiendas muſcas circa graſſantes? Specus ipſe qua concameratur architectura, & contra frigora quanto villoſior? quam remotus à medio, aliudque agenti ſimilis? inclusus luſus vero ſic, vt ſit nec ne intus aliquis, cerni non poſſit. Cum vero captura incidit, quam vigilans & paratus ad curſum? Incremento amnium futuro telas ſuas altius tollit. Sereno non texit, ſed nubilo: ideoque aranei imbrium ſigna ſunt. Fœminam ego puto, quæ texit; marem, qui venatur.* Et obſeruaui ego ipſe, quod araneus nubilo tempore inprimis venetur, puto hoc fine, vt facilius tum temporis incautos culices & vermes capere poſſit. Nec ſatis admirari poſſum, quoties araneorum telas probe contemplor, & ipſam ſtructuram conſidero, in illa centrum reperitur, circa quod multi circuli ſi-

 necir-

ne circino facti reperiuntur, ita vt à centró remotiores sint ampliores. Tanta & tam excellens est in opere subtilitas, vt nullæ puellæ imitari possint, imo magnos mathematicos præstant, qui sine circino & sine regula ex propria manus agitatione circulum elegantem pingere, & ex centro lineas rectas protrahere nequeunt. Homines quicquid artificiosæ rei faciunt, ex idonea quadam materia componunt; araneæ vero illa omnia absque externa materia, sed ex sua substantia interna faciunt. Et reperi ipse sæpe mortuas araneas in suis nidis, forte ideo emortuas, quod totam substantiam in opus insumserint. Notabile porro & admirabile, quod tam firmissime telas affigat, Et à ventorum impetu, vel puluerum pondere, vel imbrium violentia, vel muscarum aduolatu, non facile disturbentur. Quoties ego in paruulas bestiolas, muscas & culices, in araneorum telis hærentes, oculos infero, memoriam habeo Solonis, qui interrogatus, quid esset lex? respondit: *tela aranearum*, in quam si muscæ leuiores & culices incidunt, retinentur; si vero vespæ aut aues, ea disrupta auolant. Et Iuuenalis:

Dat veniam coruis vexat censura columbas.

Sicut parua bestia implicatur aranearum telis; sed fortis perrumpit: ita homo sapiens & fortis per fortunæ labyrinthos & fortunæ telam perrumpit; pusillanimus & stultus inhæret. His ascribe, quod nostra vita tam à prophanis quam

sanctis

sanctis viris aranearum telis comparetur, quæ variis persecutionibus & periculis est opposita. Quo videtur Ouidius respexisse, dum ita scribit: (*4. de Pont. eleg. 3.*)

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
& subito casu, quæ valuere, ruunt.

Et inquit Iob: *Domus aranea, fiducia eius.* Telam igitur aranearum texunt, qui fortunæ diuitiis & deliciis, honoribus, pecuniis, pompę & gloriæ voluptatibus, amoribus cæterisq; ancipitis & lubricæ illius Deæ volubilibus ludibriis & mendaciis fidunt. Omnia ista vanitatum sunt vanitates, fumus sunt, vmbra, nihil. Et propheta Dauid, *Psal. 89. v. 9. anni*, inquit, *nostri sicut aranea meditabuntur*: id est, vita nostra instar vita est araneæ. Et verum est, quia postquam aranea nata est, nihil aliud agit, quam vt se ipsam longo & sedulo labore consumat, hoc fine, vt telam ex corpore texat, & eadem muscas capiat. Sic mortales telam ex corde suo, per varias curas habendi, huc illucque ducunt & suspendunt: sed heu (quod miramur & indignamur) ad vana & lubrica. Quare Æschines gemens, *caduca*, dicit, *molitur gens semper mortalium.*

Quibus innuere vult, quod omnes hominum cogitationes, nihil sunt aliud, quam vanitates, in quibus sese consumunt & perdunt. Illi telas filant, quibus honorem, dignitatem & splendidum officium piscentur. Alii telas conficiunt, vt diuitias capiant & aucupentur.

 Ast sic-

Aſt ſicut tela aranearum ipſarum interitus eſt cauſa (en tibi famulos noſtros, qui conſpecta aranearum tela, eam abrumpentes & in terram deiicientes, araneam pede conterunt:) ita quoque mortales antiquus ille ſerpens & draco in telis ſuis quærit, reperit, perdit. Idem docet & monet Apoſtolus, cum (1.*Tim.*6.*v.*9.) ita ſcribit. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Hæc omnia quotidiana experientia (ô miſerrimum!) nimis ſatis teſtatur. Quid fuit imperium Perſarum? Reſp. Carthaginenſium? regnum Alexandri magni Macedonis? Monarchia Romanorum? telæ, inquam, mi Iuli Porphyri, telæ & retia, in quibus eſſe & viuere ſuum perdidere. Sic adhuc hodie omnia imperia omnes reſp. omnes dignitates & diuitiæ, omnis pompa & gloria, meræ ſunt aranearum telæ, quibus potentes, ambitioſi & diuites irretiuntur, inuoluuntur, interimuntur. Iucundum porro araneam in filo inſtar funambuli ſuſpenſam, & ſic in aere dormientem cernere. Et mirum eſt, quod filum non rumpatur, cum ſit ita tenue & tenerũ. Obſeruaui araneas procellas & imbres humili & tenui ſtridore denũciare, quod nunquam ſcio ab aliquo ſcriptore notatum, à me tamen adhuc hodie in cubili, & ſæpius ad fluminum ripas obſeruatum. Huc referam quoque, quod Iuſtus Meierus de araneis ſcribit: *araneorum*, inquit, *naturam ſi conſideremus, an non dignam illam vel præcipua admiratione deprehendimus? nunquam illi otiantur, ſemper aut venantur aliquid,*

uid, aut ipsi nouum texunt, aut scissum reficiunt: sunt enatione vigilantes, ad cursum parati, quoties in extita retia præda sese aliqua iniecerit. Eorundem in s texendis ingenium mirum, artificium sinare conspicitur; ipsi sibi lanam, ipsi fila argu- ipsi stamina simul atque subtegmina submi- rant, ipsi sibi insilia, fusos, radios, scaposque estant, aliaque suppeditant, sunt ea subtilita- telæ horum contextæ, vt oculos facile fal- t; ea firmitate, vt irretitam prædam firmiter ineant, nec puluere ventoue vllo irrum- nte dissoluantur. Sunt hæc quotidiana. Et ta- nisi essent, pro fabulis aut ægrorum somniis berentur. *Nascitur*, inquit Seneca, *non discitur* hoc est, Deus indit vnicuique insecto suam uram; accedit illis ad artem summa diligen- & sedulitas indefessa; nulla enim, vt inquit il- non hora, nullo non die diligentissima est in ere, in magno silentio. Et licet à famulis & illis subinde opera eius disturbentur; tamen bore nnnquam desistit, cum homines, qui- non semper ex sententia fluit euentus, sæ- deficiant animis, alienaque tractare aggre- ntur, aut ad malas artes conuertantur. Imi- i horum industriam debent puellæ & matro- , in hoc eodem nendi studio. Adueniant iti- n huc fugitantes laboris, pigri illi homines, di, segnes, oscitantes & somnolenti, fixis ob- ibus ad hasce laboriosas pendulasque arane- stent, in easque oculos probe intendant, il- um aspectu conturbentur, & pudore suffun-

 dantur,

dantur, ab illisque laborare & operari discant, atque illud Mœlleri audiant: *quemadmodum volucris ad volatum, sic & homo ad labores conditus est. Imo Deus opt. max. omnibus conditis labores imposuit. Et quo nobilior, præstantior, melior est res condita, eo plura habet, quæ exsequatur. Respice sanctos angelos. Quam sunt occupati atque in nobis miseris hominibus obseruandis assidui? respice solem, lunam, stellas. Quam accurate præstant suam illam, quam debent, obedientiam? quam sunt operosa vt dies suum splendorem, & nox suum lumen habeat, mensesque & dies & anni discernantur? respice terram, quomodo ea sit nostrum penu. Considera cætera animalia omnia, canes, feles, quinimo & araneas in angulis, omnia sane suum laborem habent, & sunt operosa. Hinc sapiens ille, Siracides ca. 39. v. 22.* Non est dicere, quid hoc? Deus enim vt ũ quodque condidit ad vsum aliquem. *Et Salomon (Ecclesiastic. c. 6. v. 7.) ait*: vniuersus labor hominis pro ore eius, & tamen anima non expletur: *imo, quod & amplius est, ne ipse quidem Deus ociosus est, qui tamen summus & omnium rerum conditor est. Sic enim Christus ipse: (Ioh. 5. v. 17.)* pater meus operatur adhuc & ego operor. *Imo si Deo opt. max. vel momentum saltem oscitandum, dormiendum, aut ocium captãdum esset totus mundus interiret. Ille enim ille omnia fert & conseruat singulis momentis, & omnia regit atque moderatur ita sapienter, vt ne minimus quidem pilus de capite tuo sine ipsius voluntate decidere possit. Quid tu ergo de te ipso facies? cur tu pigreris, aut ocieris? pudeat te, ô piger, inquit Rex Salomon. (Prouerb. 6. v. 6.)* Abi ad formicã, & inspice mores eius. *Imo pudeat te, ô deses! Indignus es, cui*

ui laboriosus ille, rapidusque & lucidus sol illuceat. lemus porro nostris oculis, quod in huius- di minimis animantibus natura ipsa maiora ebitur statuisse miracula, quam in enormi- ; animalibus; sicut & in lapidibus & gemmis, as saxis præferendas, ob ingentem virtutem umo. Et verum est quod Aristoteles dicit, llum esse animal adeo exiguum adeoq; abie- m, in quo non aliquid rarum reconditum, ue vt ita dicam, diuinitatis aliquid spectetur.

LXVII.

CÆTERORVM INSECTO- rum naturæ, proprietates, & formæ, stupendæ, admirandam Dei sapientiam contestantes:

Ira atque memorãda alia, quæ de minuto- rum istiusmodi animalculorum siue inse- rũ ingenio, natura, & industria vel ipse no- ui, vel apud alios autores legi, ne nimis lõgus , prætereo, nec stridulas *vespas*, nec mugien- *crabrones scarabæosq;* attingo; taceo crepãtes *lo- las* & *cicadas*; nec plura addam de admirãdis & inutis illis *vermibus*: vt sunt hirsutæ illæ *campæ*, æ arboribus & herbis sunt infensissimę; *cõuol- li*, qui rodunt pubescẽtes vuas; *cẽtipedes*, qui ar- atim pedibus repunt, & arborũ folia arrodũt; *cæ*, quæ arbores quoque turpi facie depastas linquunt: *voluos*, qui pubescentes rodunt v- s: bruchus sine alis volitãs, qui & herbas redi-

xylopha-

xylophagus, qui in lignis & nascitur, & eadem corradit; *rutulus*, qui terram fodit; *buprestis*, qui inter herbas bouem fallit; *gurgulio*, frumenti & fabæ vermis. Nec pluribus *tripsis*, *cipsis*, *ipsis*, *sisis* & *isis* ingenium & virtutem describam, quarum prima, *trips*, lingua rodit, frumenta *cips*, itemque varia ligna *cirps*, vites *ips*, vestes *sis*, & vitra, *is*. Ex his videre est, vt & Galenus sentit, etiam insecta spiritum & aerem in corpus ducere, & respirare, vti quoque cætera animalia, habereque ad eam rem etsi exigua, tamen omnia idonea, necessaria ac interna instrumenta, veluti pulmones, arteriã &c. quamuis nos ea distinguere oculis nequeamus. Id quod etiam Hieronymus contra Plinium verum esse affirmat. *In quo certe* (Danæi sunt verba) *infinita est vis summi illius Dei, earum opificis, qui in tantillo corpore* (*sunt enim insecta immensæ subtilitatis*) *tot illa & tam multa ponere & distinguere membra potuerit. Sed quis Dei sapientiam & potentiam satis vnquam pro dignitate admirari aut commemorare posset? Nusquam sane magis tota natura est, quam in minimis, nusquam spectatius, quam in insectis naturæ artificium est. Ergo non tantum illa viuunt, vt arbores; sed & spirant, vt animalia, & cor refrigerant: etsi intestinum implicatum & quidem duntaxat vnum, multa ex illis habere videntur. Imo audi Augustinum sic loquentem:* inest, *ait*, in omnibus his naturæ suæ decus, sic vt in his maior sit admiratio bene considerantis, & laus vberior omnipotentis Dei artificis. Maiori attentione stupemus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem

nem iumenti gradientis. *Nec scio ipse cum Augustino, an plus debeam mirari dentes apri, an tineæ; caput equi, an locustæ; crura elephanti, an culicis; aquilam, an formicam; leonam, an pulicem: tigridem an testudinem.* Et pergit ille: *sicut enim facilius potest faber componere catenam, cuius annulli sunt magnitudine & circumferentia pedali, quam catenulam, cuius annuli vix instar punctuli, mediam concauitatem habent.* Huc refer quod Plinius (*lib.* 11. *c.* 2.) scribit: *in magnis*, inquit, *siquidem corporibus, aut certe maioribus facilis officina sequaci materia fuit. In his vero tam paruis atque tam minutis, quæ ratio? quanta vis? quam inextricabilis perfectio? vbi tot sensus collocauit in culice? & sunt alia dictu minora. Sed vbi visum in eo prætendit? vbi gustum applicuit? vbi odoratum inseruit? vbi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua subtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura, disposuit ieiunam caueam, vti aluum auidam sanguinis, & potissimum humani, sitim accendit? telum vero perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio? atque vt incapaci (cum cerni non possit exilitas) ita reciproca generauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset. Quos teredini ad perferēda robora cum sono teste dentes affixit? potissimumque è ligno cibatum fecit? sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in sublime iactus, tigridumque rapinas, leonum iubas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis, tota sit. Sicut saxa in montibus* (scribit alius) *grandia, vel ad cœlum extenduntur, & tamen nullarum sunt virtutum, cum contra gemmæ vix visu notabiles, insignibus constent & amplissimis*

ſimis virtutibus: ita in minimis animalculis omnino maiores quaſdam animi dotes, quam maioribus, deprehendere licebit. Pertinet huc, quod Auguſtinus lib. de duab. an. 1. cap. 4. Muſcam magis admirandam eſſe dicit, quam ſolem. *Si forte quis à me quærat, num etiam muſcæ animam huic ſolis luci præſtare cenſerem: reſponderem,* etiam *nec me terreret muſca, quod parua eſt, ſed quod viua formaret. Quæritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet? quid huc atque illuc, pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducat? quid currentes pedes in numerum moueat? quid volantes pennulas moderetur & vibret? Quod qualecunque eſt, bene conſiderantibus, in tam paruo tam magnum eminet, vt cuivis fulgori, perſtringenti oculos, præferatur. Certe, quod nemo dubitat, quicquid intelligibile eſt, omni ſenſili, & ob hoc huic etiam luci diuinis legibus antecellit.*

Ex hiſce videre eſt, quod ea, quæ natura produxit, ipſius Dei admiranda ſint opera, quin & ipſa natura Dei miraculum ſit, cum ille ei tot virtutes vireſq;, etiam occultas certaſque proprietates inſeuerit, præter alias, quas aſſueti videre contemnimus, quoniam nobis nimia (vt ille dicit) aſſiduitate viluerunt, admirabile id tantum putantibus, quod rarum ſingulareque ſit: cum tamen quicquid eſt à ſummo creatum opifice, ſumma ſemper admiratione ſit dignum. Quare non immerito mea, cum Danæo, cuius verba hic refero, vera ſententia eſt: *ad maiorem atque illuſtriorem Dei ipſius*

ipsius opificis gloriam hæc insecta, & tam parua animalia creata esse, cum ipsius omnipotentia & sapientia in his præstantior appareat, quam in aliis maioribus animalibus.

Nam valde mirum est cum hæc sint tam exigua animalcula, tamen tot membra habere potuisse, & tam distincta, & tot sensus, tot deuique functiones posse obire, vt nihil sit pene hoc rerum genere admirabilius. Exemplo sunt apes, quarum industriam ne summi quidem ingenii viri satis vnquam imitari possunt, item nec politiam & mansuetudinem, quum & regnum & regem (qui est sine aculeo) inter se habeant, vti & vespæ quædam.

Exemplo sunt quoque araneæ, quarum in texendo solertia tanta est, vt idem facere homines ipsos docuerim. Exemplo formicæ, quarum est tanta sagacitas & prudentia, vt pigri homines & inertes à viro sapientissimo Salomone ad eas remittantur. Ergo hic primus est eorum finis, Dei nimirum gloria, secundus hominis vtilitas, quem & suo exemplo multa docent, si modo diligenter attendat: & suo artificio & labore iuuant. Ab is mel habemus, ab iisdem ceram, nempe ab ipibus. Iisdem etiam, tanquam cibis, totæ genes vectitarunt olim, & nunc quoque viuunt & luntur, vt locustis. Denique quid dicam, uanta hominum multitudo ex iis vermiculis, ui sericum pariunt, & *bombyces* dicuntur, & victum

victum & quæstum hodie sibi compareret? in Italia præsertim. Denique per hæc ipsa animalcula Dominus grauissima sua iudicia in homines ac totas gentes, etiam potentissimas sæpenumero exercet, id quod Plinius (quanquam profanus scriptor) verum esse agnoscit: veluti per muscas, locustas, & pedunculos gentem potentissimā, nempe Ægyptios, debellauit. *Illud cumprimis* (inquit Wolfgangus Franzius) *magna dignum est consideratione, quod excludendis suis fœtibus animalia hæc quærant tales nidos, seu talia cubilia, seu loca, seu subiecta, quæ simul sint ipsis hospitia tuta, & tamen simul contineant pabuli humidi aliquid. Hinc pediculi corpora animalium: hinc scarabæi stercora equina: hinc vermes carnium crudarum poros: hinc aranea per cistarum foraminula & aditus vix tam bene sensiles irrepunt: hinc alii vermiculi intra segetes, frondes, frumenta arida, intra fæces vini, cereuisiæ, inter stercora brutorum. Ex araneis enim præsertim iunioribus, magna cum iucunditate* in campis conspicere *plus quam facilimum fuerit, quam celeriter, quam longe lateque diu noctuque peregrinentur & excurrant. Hinc in tignis & trabibus nobis non visos, sibi vero satis quæsitos & patentes poros ingredi teredines, ibique paucissimis diebus generare & viuificare fœtum animaduertent, quotquot huic rei plus inquirendæ vacabunt. Ab amnibus semina ranarum in alias piscinas nouas luciorum &c. transportantur. Sic semina vermium, cum pane, cum aliis cibis intra ventriculos animalium. In naues onerarias magnas simul importantur mures, latitantes in mercibus, quos mercatores per bene longa tempora in suis ædibus prius collegerunt.*

nt. Sic meminimus gryllos ex aliis oppidis translatos, n vestibus peregrinantiũ in purissima aliorũ hypocau- . Et quis excogitare valeret omnes modos, quibus hæc ua vel ipsa volatu, reptatione, cursuque suo loco qua- n petunt, vel per alias bestias, & per homines aliò trãs- tantur: Summatim, insecta nidificant in aliis omni- , terra, aqua & quibusuis compositis corporibus, & in ɔorum variis partibus, in chartis, ceris, stagnis, paludi- , puteis, mari, carnibus salitis, carnibus crudis, vestibus, ectis, in singulis arboribus, & in graminibus, floribus; gibus. Tantum cicer ab insectis non infestari dicitur: n est animal vllum pediculis expers, nec pisces vermiũ 'orum: Ipsis quoque inter se paruis insectis tamen alia ɔdam innascentia insecta molestiam creant, apibus cle- u pyrautæ. Habitant etiam intra terram, quam fodi- pro cubiculis sicut ex iis egrediuntur propter pluuiam brici. Huc vsque ille. Et scribit de insectis alio o idem autor; Dei sapientiam admirans: *pro sapientiæ gloria sunt,* inquit, *insecta, in quibus non 'o colorum diuersitates spectare, ita vt illas peritissimi ɔres ad viuum satu exprimere nequeant: sed etiam n aduertere licebit, quod, tanquam pauones, pro va- ositione & obuersione ad solis corpus nunc hosce, nunc de sese præbeant colores, adeo vt, qui nunc apparebat us, mox inclinãtibus sese paululum aureus sit appari- s, itẽ qui sub sole erat cœruleus, sub vmbra erit viridis, res peritissimo philosopho negocium explicãdi redde- test difficilimum;* & hoc in musca volante spe- im obseruare solitus fuit & obseruare iubet- ɔianus. Ecce quã magnas res in vilibus hisce ɔturis creator nobis expendendas exposuit.

LXVII.

SERPENTVM NATVRA.

OFferunt etiã se innumerabilia, quæ de callidis serpentibus scribere possem, atq; inprimis de ipsorũ astutia & prudentia, quomodo illi totius corporis venenum in gutture colligunt, atque ibidem prudenter seruare student, vt ibi, si aliquando necesse fuerit, in promptu habeant, vnde se defendere possint: quod illi, quando in aquam descendere cupiunt, venenum in loco tutissimo reponunt, & recedentes resumunt: quod veterem pellem per singulos annos exuere didicerint, quam depositurі angustum foramen inquirunt, per quod transeuntes cum dolore pellem derelinquunt, vt pelle deposita pulchriores appareant: quod dum lædi quæritur serpens in capite, vt vitam conseruet totum corpus ad percussionem exponit, quia licet corpus percutiatur, si caput illæsum seruat, damna mortis non patitur: quia capite periclitante periclitatur tota ipsius vita. Quapropter in certamine in gyros voluitur, vt caput diligenter defendat. Hinc est, quod Gen. 3. v. 15. Deus Diabolo minatur, quod Christus caput ipsius debeat conterere, tanquam antiqui serpentis, non dicit caudam vel corpus: Mille alia de ipsorum astutia, cauernis, regulis atque certaminibus afferre possem, quæ partim ipse obseruaui, partim apud alios

os legi, quæ omnia temporis gratia prætet-
,Hoc tamen celare non possum, quoties viso
pente, illud mihi in mentem redire, in quam
ıeam serpens genus humanum ab initio im-
lerit, quibus diuitiis & delitiis priuauerit, &
ot vitiis donauerit. Nec non illud : sicut ser-
nte deceptum sit genus humanum , ita per
ım, quem repræsentat Moyses serpentem æ-
um in deserto, vice versa, saluatum sit. Ignei
serpẽtes Diabolicas tentationes & læsiones
nificãt, morsus, fomes sunt; ignis, caro est; vul-
ra, sunt peccata; desertum mundus est; arena,
idi instabilitas, vicissitudo & gyrus sunt; fur-
Christi crucem , & appensus anguis saluato-
n præfigurat. Cum igitur genus humanum
:catis lethaliter vulneratum, pro eius salute
ristus crucifixus est; Beatus, qui cordis fidei-
: oculis illum aspicit: certe non morietur, sed
et cum illo æternum. Porro sicut homo adi-
serpentina vnctus, ab aliis serpentibus tutus
:curus est; ita Christianos merito Christi vn-
s, antiquus ille serpẽs & draco Diabolus ne-
quã nocebit. Et sicut theriaca siue Mithri-
icum, ex viperis confectũ omnibus serpen-
ıs contrariatur; ita sanguis Christi omnium
ima est theriaca, quæ per fidem vulneribus
licata, contra infernale & Diabolicum virus
conseruat. Deinde illud saluatoris nostri a-
Matt. (*c.* 10. *v.* 16.) *Estote prudentes sicut serpen-*
& simplices, sicut columbæ. Hoc vere mihi quo-
accidit vt, viso serpente, ad socium meum
 dixerim,

dixerim, altaque voce exclamauerim: O *quam multi reperiuntur homines, naturam viperarum habetes: hanamque* (vt apud Æsopum est) *sinum pungunt eorum, qui ipsius vitam reseruarunt*. Excitat porro visus serpens memoriam illius Camerarii, vbi ita scribit: *Non tantum in sacris legimus, hominem nuper creatum in paradiso, per serpentem subdola persuasione diabolica deceptum fuisse: sed paßim multa historia extant, de serpentibus, quod conspecti sint veluti irritamenta illecebrarum, & quasi coitum expetentes cum fœminis*. Scribunt etiam historici, serpentes deprehensos esse aliquando amasios puellarum, omniaque amoris & nequitię signa præbuisse. Extat memorabile exemplum apud Plutarchum de serpente *qui Ætoliæ cuiusdam virginis amore captus noctu ad eam adire sűetus, puellæ corpori circumfusus hac atque illac illabens illam nunquam neque vltro, neque inuitus lædebat, opportuneque sub diluculum recedebat. Quod cum ii, quibus puella curæ fuerat, intellexissent, eam alio migrare compulerunt, Serpens per triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateque circuire, illam quæritans, Quam vbi mox inuenit, casu illi obuiam factus, non, vti solitus erat, mitis & blandus, sed asper & horridus in eam insiluit, manibusque primum spira ad corpus astrictus, caudæ residuo femora flagellabat; leuem quidem iram præ se ferens; sed qua, licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen aperte demonstraret*. Hæc Plutarchus. Ideoque veteribus serpens symbolum fuit salacitatis & procacitatis. Huc ascribere placet mirabilem & memorabilem historiam cuius mentionem

Came-

merarius etiam facit in suis horis, quam in- Anglos & Gallos accidisse refert: *Cum vter- Rex, inquit, in Normandia magnum & instru- n exercitum in aciem produxisset, iamiam prælium tri, nonnulli ex Ducibus Gallorum, timentes Anglo- fortitudinem & felicitatem, nec non & dubiam in- mque aleam belli perpendentes, eo rem deduxerunt, mbo Reges prius ad colloquium singuli cum familia- s venirent, si fortasse absque prælio transigi inter ipsos t. Ita enim sperabant, quam olim oraculum Dodo- n Lacedæmoniis aduersus Arcadas pugnaturis respon- ἄδακρυν πόλεμον ἐστ ὡς bellum sine lachrymis fu- m, vel, vt Tacitus dicit,* bellorum egregii fines, *gnoscendo transigitur. Conuentum itaque est vt in anicie, in qua acies instructæ erant, locus idoneus & sidiis tutus eligeretur, ad congressum familiarem um Regum. Explorata re, sacellum quoddam deser- & propemodum dirutum, medium inter acies pla- in quo cum Reges armati remotis arbitris placide querentur, & ipsorum familiares, quos pari numero armatos assumserant, ante ostium interea excubias nt; non difficulter inter eos, mitigatis animis, conue- vt vtriusque exercitus in castra reduceretur, & in- s factis de pacis conditionibus altero die frequentiori lio deliberaretur. Dum his aliisque familiaribus ser- bus duo illi Reges essent occupati, & ex hostibus ami- ti esse viderentur, seque ad suos recipere vellent: ecce ngtiis immanis, vel tumultu hominum, vel Diabo- r tibus, permittente Deo, latebris velut altera Erin- citata, ex angulo quodam sacelli propter opinionem git, & quasi potitura Reges sibilis suis eos perterrefa-*

cit illi videntes hanc minacem & venenosam bestiam ad se tortuosis flexubus accelerantem, colloquium mox abrumpunt, & vt se ab ea defenderent, gladios stringunt, repenteque mutatis animis neuter alteri gladium exsertum habenti fidens, sese foras raptim proripiunt. Familiares ipsorum inscii quid accidisset, & ipsi inopinato re confusi, rati simultatem inter Reges, iamdudum hostes in sacello ex colloquio ortam ibidem faciunt, & vnusquisque suo Regi expeditis armis assistit, veluti conflicturi. Hoc quum alter exercitus, qui in acie non procul stabat, conspicerent, nulla mora, quasi signo dato prælium mexum; & nequicquam prohibentibus Regibus, erroremque demonstrantibus, tanto furore manus conferunt, vt multa millia cæsa sint, durauitque prælium, donec nox eos segregaret. Hoc notabile est de terrestribus serpentibus, quod valde ament loca calida. Quare plures & grandiores in Africa & India, Asia & inprimis in Arabia reperiuntur. Serpens enim sua natura est frigidissimus, & frequentiores sunt in illis locis, vbi pretiosi sunt fructus & aromata. Periculosiores esse fœminarum morsus, quam masculorum, historici testantur. Et videtur *anguis* dici ab angulis, *coluber* à colendis vmbris. Variæ sunt serpentum species, vt aspis, vipera, cerastes, hæmorrhous, seps vel sepedon, dipsas, natrix, amphisbæna, scytale, querculus vel chelydrus, cenchris vel cenchreme, basiliscus, draco. Mouet porro conspectus serpens varias mihi quæstiones resoluendas: *nunquid ille paradiseus serpens naturaliter habuerit facultatem loquendi? nunquid ille fuerit verus serpens*

s, an Diabolus sub serpentis specie? cur maledixerit us serpenti, cum ipse nihil peccauerit? cur Deus expresse ibolo non male dixerit? quid sit, conterere caput pentis? *cur Diabolus per serpentem potius quam per ɩd quod vis animal hominem tentauerit?* & id genus as, de quibus rbus late læteque philosophor.

LXIX.

VuLPECVLÆ NATVRA.

T vt clarius, mi Iuli Porphyri, videas, quid meus philosophans animus meis extitioniıs ruralibut vtilitatis hauriat, pauca quædam cunda tamen, adhuc attexā, quæ meditor, vbi ɩadrupedia animalia propius intueor. Et prium de vulpeculæ mira astutia, calliditate & rsuta, quoties illam video, ita mecū ruminari :cipio; quomodo illa esuriens in loca aprica aendit, supinam se humi iacit, clausis oculis, tento halitu, exertaque lingua, pedibus ereis, se mortuam simulat, qua visa volucres, tanɩam ad cadauer gregatim aduolant, insident insultant; tum illa repente exsilit, incautas as captat atq; deuorat. Et obseruauit quidam ratribus meis, vulpem, prius quam mortuam extinctam se simulasset; in argilla rubra se lutasse, atq; inquinasse, vt vulnerata sanguiɩque cruenta videretur, atque appareret, faciɩsque misellas illas auiculas, quasi de hoste ortuo gaudentes, & advolitantes], caperet & glutiret. Paruulos pisciculos mira quoque aɩtia captat. Caudam illa in aquam deiicit, in

qua ii natantes densis pilis comprehenduntur. Hoc vulpes sentiens caudam ex aqua remouens, & repente in aridum ducens eam excutit, atque excidentes pisciculos deuorat. Cum vesparium refertum esse animaduerterit, retrorsum eo accedit, atque tota à vespero auersa ab aculeorum vulneribus declinans in cellas vesparias immissa hirsuta cauda, eademque bene prolixa vespas concutit. Cum autem circumuestitam spissis pilis caudam impetentium referta est, tum eam ipsam, vel ad arborem, vel ad parietem allidit. Itaque multa caudæ attritione his extinctis, in reliquas inuadit, perindeque vt primas interimit, iamque reliquas cæteras ab aculeis intelligens inopes esse os in vesparium abiiciens, ipsumque, teste Æliano, vorat. Ægrota quoque sui prouida est. Nam lachryma pini incolumitatem recipere scribit Basilius. In antris & foueis habitat, non suo labore comparatis & excauatis, sed à taxo vel mele effossis, quas hoc dolo sibi acquirit & occupat: taxo absente, adita suis incrementis inquinat; reuersus ille, freti odoris impatiens, foueam deserit, abit, & aliam sibi parat. Vulpes infinitæ est malitiæ, fraudis, doli, atque vsque adeo versuta est, vt nullis dolis, laqueis, aut retibus facile capiatur. Sua enim astutia aut alias euadere, aut retia laqueosq; morsu abscindere solet. Quare nō vnus sed multi pariter canes in eam sunt immittendi: *quamuis ne illi quidem* (Oppiani sunt verba) *eam absque sanguine vtcunque validi, domare possint*. Canem

em insectantem vulpes cauda hac atque illac
er ipsius rictum ducta eludit. Vrgentibus à
rgo canibus caudam suam (vt Textor scribit)
tio perfundit, hacque insectantium propius
num ora diuei berat, qua molestia affecti ca-
s insequi desistunt. Ex his omnibus videre est,
ılpem esse animal dolosum, versutum, fallax,
nequam. Notus quoque est apologus, de
ılpe in vestitu religioso aduenientibus galli-
s & anseribus concionante. Hinc illa prouer-
a: *annosa vulpes haud capitur laqueo: Vulpes non ite-
m capitur laqueo: vulpes haud corrumpitur muneri-
s: vulpi esurienti somnus obrepit: vulpes non garrit:
igere vulpes: vulpina pellis assumenda, si leonina non
ficit.* Conspectæ vulpeculæ, memoriam re-
ntegrare videntur illius saluatoris nostri apud
icam: *Euntes dicite vulpi huic*, Herodi scilicet,
c. & quod hypocritæ vulpibus æquiparentur.
ı pis porro mentionem facit Christus apud
atthæum (8.v.20.) & Lucam: (9.58.) *Vulpes fo-
ss habent, & volucres cœli nidos: at filius hominis non
bet vbi caput reclinet.* Suggerunt insuper in me-
oriam vulpes historiam Simsonis ex Iudicum
ıo, (15.v.4.5.) quod ille trecêtas vulpes, binas
que binas caudis colligatas, & adiectis titio-
bus in suorum hostium agros & sementem
ferit. Ex hac probe cõsiderata historia, egre-
ı hæc meditatio resultat: illis vulpibus simili-
os esse ecclesiæ hostes, qui caudis sunt con-
ıctissimi, quia vnanimi sunt, vt ecclesiam dis-
ent, vastent, perdant; sed capitibus distant, &

 distorti

distorti sunt, quia opinionibus dissentiunt. Ingēs insuper vulpis astutia, dolus & calliditas verum symbolū & exemplū calliditatis & astutiæ est Diaboli, eiusque organorum, hæreticorum, hypocritarum, tyrannorum, de qua re præstat potius tacere, quam paucis dicere.

LXX.
CERVI NATVRA.

COnspecto porro timidissimo & velocissimo ceruo, subit mihi in mētem ipsius prudentia & ingenium. Scribit enim Ælianus, quod Ptolemæus secundus, Philadelphus, cerui hinnulum aluerit, atque ad Græcum sermonem assuefecerit, vt loquētes intelligeret, cum tamen ante hunc ipsum creditū esset, solam Indorum linguā ceruos percipere. Ego ipse in Misnia nobilem noui virum, qui ceruis non secus ac equis in curru vsus est, Ita docili sunt ingenio. Olaus quoq; testatur, se vidisse ceruos iugum ferentes & currum trahentes. Et scribit iterum Ælianus: *Mithridates Ponticus, cum somnum caperet, sui corporis custodiam non modo satellitibus cōmittebat sed & tauro, & equo & ceruo, quos mansuefactos habebat.* Ii enim ad custodiam eiq; dormiēti aduigilantes, si quis accederet, quod ex ipsa respiratione statim percipiebant, ille mugitu, alter hinnitu ceruus sua propria voce eum e somno excitabant. Dictamnū ceruos prodidisse, historici testantur, dū eo pasti excutiunt accepta tela. Edunt & herbā cinaram

aram cõtra noxia gramina, & herbas ipsis no-ẽtes, Ipse porro obseruaui, quod & Plinius an-notat, ceruos maria tranare, gregatim nantes, orrecto ordine, & capita, imponentes præce-ẽtium clunibus, vicibusq; ad terga redeuntes, ec vident terras, sed in odore earum natant. I-em scribit Solinus; *si maria tranant, nõ aspectu pe-unt littora, sed obfactu: infirmos ponũt in vltimo, & las-orũ capita clunibus per vices sustinent.* Et Oppianus? *nore classis nauiũ mare tranant, vnus ante cæteros natat Dux ad transmittendũ, hunc alter capite innitens tergo in equitur, & similiter cæteri deinceps subsequuntur. Cum utẽ primus pranatando defatigatur, ad extremum ag-nen recurrit, & caput in alterũ inclinans à labore recre-tur: secundus recens, defatigato succedens anteit, atque lio omnes in aliorum vicem succedẽtes duces efficiuntur, edibus tanquam remis vtãtur, cornua excelsa tanquam ela ventis permittunt.* Solertia porro & calliditas eruorum notãda. Circa semitas & vias pariunt uod ad eas beluæ propter homines minus ac-cedunt. Hinnulos suos cursu exercent, & ad fu-giendũ promtos, paratos & expertos reddunt. Pingues & obesi facti, à viis declinãt, & longius ecedunt, ne ob corporis molem ac grauitatem acilius capiãtur. Montes excelsos nõ ascendũt, t qui nimiũ corpulẽti ad planiciẽ magis quam nontes, idonei sunt. Quamobrẽ syluas, valles & lumina vicina frequentius inhæbitãt. Legimus uoq; vrgentib. maxime canibus, videntẽ ceruũ ullã spẽ restare salutis, vltro & spõte solere fu-gerere ad homines, ab ipsis maiorẽ clementiã &

mise-

misericordiam, quam à latrantibus & à tergo instantibus canibus expectantem. Apud varios autores legi, mirabilem esse ἀντιπάθειαν inter ceruos & serpentes, Sciunt enim cerui, mirifico quodam naturæ instinctu, in quibus cauernis latitent serpentes. Igitur illis incumbunt, & vehementissime suspirant, & hos narium spiritu eliciunt & extrahunt inuitos & renitentes, postea extractos aut pedibus conterunt, aut in multa frusta lacerant, aut denique omnino deuorant. Porro ex tali esu serpentum ceruus fit siticulosus, & tamen ex naturæ instinctu nouit, quod nisi aquam ante illorum concoctionem hauserit, intereat; propterea sitim tolerat, & maximopere accenditur, & tandem properat ad fontes, atque hac properatione fatigatus, glocitat, hoc est, misere lamentatur. Vnde dictum est in Psal. 42. v. 1. *Quemadmodum ceruus glocitat ad fontes aquarum?* Ad fontes seu aquas vbi peruenit, non statim bibit; sed sese immergit, & edit cancros. In Libya, vbi sunt multi serpentes, si viderint iacentem ceruum, quasi vno impetu in ipsum inuolant, sese implicant in pedes, in cornua & ceruicem, & in ventrem, ipsumque acriter mordent: vnde ceruus præ angustia discurrit, atque tandem procumbit in aream, & dorso suo, quod fricat, aliquos occidit, aliquos vero deuorat, & tum cruore tabido sese polluit, iterum festinat ad aquas, sese lauat, & purgat. Tantum autem est istud odium inter serpentem & ceruum, vt etiam post mortem duret.

Nam

Nam accenſo cornu cerui fugantur ſerpentes, ſicut etiam pellibus eiuſdem animalis inſtratis lectulo, eiiciuntur ex ſuis cubilibus. Tandem & hoc eſt notandum, quod cerui ſpirante vento dicuntur ſemper currere aduerſo vento, ne, ſi ſecundo vento decurrerent, odorem ipſorum una cum vento acciperent canes. Hæ contemplationes, ſimul me cum ſupra citato autore ita ſpeculari, & meditari commouent; ſicut ceruus odio maximo proſequitur ſerpentes, ita quoque filius Dei venit in hunc mundum, vt cum Diabolo tanquam antiquo ſerpente congrederetur, & ſua potentia tanquam odore & halitu, caput, id eſt, regnum & imperium tanti hoſtis contereret atque deſtrueret, ſicut Gen. 3. v. 15. promittitur, *ipſum*, ſemen, *conteret caput ſerpentis*. Sicut autem odium inter ſerpentem & ceruum etiam durat poſt mortem; ita quoque Chriſtus poſt mortem; vbi reſurrexit, & ſedet iam ad dexteram æterni patris, multo magis efficax eſt aduerſus ſerpentem Diabolum, eundemque ſpiritu naribus ſeu oris ſui, hoc eſt, per vocem Euangelii, necat atque extinguit. Verum ſicut cerui deuoratis ſerpentibus ita inflammantur, vt ardentiſſimam ſitim concipiant, & faucibus arectis miſerabiles edant eiulationes, glocitant, donec tandem ad fontem viuo gurgite exundantem perueniant; ita Chriſto etiam accidit, ut dictum fuerat, Gen. 3. *Et tu ſerpens mordebis calcaneum eius.* Nam Chriſtus deſtruens Diabolum vere ſenſit ardentiſſimum onus iræ diuinæ in ſe

in se deriuari, adeo vt in horto sanguineas guttas sudaret, & in crucis ara exclamaret, se sitire atque cum eiulatione patrem cœlestem inuocaret; *Deus meus, Deus meus*, atque tandem cum lachrymis & clamore spiritum suum ederet Heb. 5.7. Hæc autem omnia pathetice describuntur in Psalm. 22. per languorem & resolutionem totius corporis, per ossium dissipationem, cordis fluxum, faucium extremam siccitatem, *sicut aqua effusus sum* (*v.* 15.) Nam velut multi serpentes in Libya implicant vnum ceruum; ita quoque plurimi hostes tunc temporis circum veniebant Christum. Sed sicut ceruus in Libya dorso suo renitens partim interficit, partim vero dilaniat angues; & vt cerui norunt sua remedia, & quærunt limpidum fontem, atque emissis lachrymis, quæ in lapidem concrescunt, & ex oculis decidunt, atque studiose colliguntur, mirabiliter à veneno serpentum liberantur: ita Christus non mansit in illis tantis cruciatibus: sed ex tot hostium dolis, & ex ipsa morte victor Diaboli, peccati & mortis ad vitam & ad æternum regnum est reuocatus, & viuit sine fine, & nobis efficacissima remedia in passione ua proposuit, & reliquit, vt quoties ipsius ardentes eiulationes pie cogitamus, paratissimum habeamus pharmacum aduersus quoscunque venenatos morsus & aculeos peccati, mortis & Diaboli. His annecte, sicut cerui vrgente vicanum, aut aliarum bestiarum ferocia, item exanimati metu, longo cursu defatigati,

cum

:um iam consumptæ sunt vires, cum vndique
'ident se cinctos hoste, sua sponte cõfugiunt ad
iomines: ita ecclesia in extremis periculis con-
ugit ad Deum, & quasi supplex agnoscit sua
eccata, fatetur se pœnas meritam esse. Vt por-
o cerui dictamno vulnera sua sanant: ita Chri-
liani peccatis icto vulneri verbum Dei quæ-
unt, quo venenatum illud vulnus medentur.
icut ceruus, qui à canibus agitatus, sæpe ad ho-
ninem, tãquam ad benignum animal currit, &
b illo salutem quærit; ita quoq; Christianus in
ac miseriarum valle, ęrumnarum sylua, diabo-
orũ telis vexatus, in omnibus periculis suis ad
ominem Christum Deum precibus confuge-
e, ab ipso auxilium & salutem, tanquam à cle-
ıẽtissimo & benignissimo saluatore petere de-
e'. Et sicut parturiens cerua, haud hominũ, sed
:rarum vestigia fugit, quia prope vias parit; ita
:hristianus quoque, qui bonũ in ambulando
ropositum corde concepit, bona piaq; opera
ein parere cupiens, ferarum animaliũ vestigia
:linquere, & securam piorum & sanctorum
ominũ viã petere debet. Vt ceruus cornua sua
imis onerosa, sic pius homo mundanos fastus
edibus calcãdos deiicit. Delectãtur cerui Mu-
:a, mulcẽtur fistula pastorali, & cãtu vocis hu-
anæ, atq; sonorũ desiderio ita flagrãt, vt cantu
sibilo venatorũ audito mulceri, allici & capi
ssint. Vidimus nonnunquam venatorem al-
rum in cerui aspectum captasse, & fistula mo-
ılatũ fuisse, & alterum à tergo clam ceruũ fe-
riisse,

riisse,& cepisse. Ceruos seseli se purgare physici docent. Cornibus amissis (quibus Regum Principumque atria magnifice exornantur) sedes mutant, & loca inuia quærunt, & latent, nec nisi noctu pascuntur. Ast cur ita? quod armis quasi nudati de vita periclitari sese cernunt; vel pudore, quod arma & ornamenta sua amiserint: Vbi noua creuerunt, experiuntur illorum firmitatem ad arborem, nec prius in apertum prodire dicuntur, nisi satis firmata portent. Mouet deinceps visi cerui istiusmodi mihi quęstiones: *cur quotannis cornua decidant?* fortassis, respondeo, vtilitatis & necessitatis causa, vt onere leuentur, ne grandis & ingens illa cornuum magnitudo potius obsit, quam prosit: dein ob materiam, qua constant: quoniam sicca & terrea; vt ceruus ipse totus, nempe hirco similis temperamento, calido & sicco. Cadunt autem facilius, vt in stirpium quoque foliis, quæ ita sunt arida, vt nullum habeant tenacem suum, qualis cæterorum animalium cornibus inest, cuius gratia flecti mollirique possunt; adiice, quod non ex carneo loco crescant & nascantur, vt reliquis brutis, sed cuti tantum adhæreant; *Dein cum in ipsornm capite vermes generentur? quo modo dentes & cornua ipsorum ætates docere possint?* singulis ego pro ingenii mei modulo leui & leni murmure respondeo. Occurrunt & inter istiusmodi meditationes & in memoriam incidunt de ceruo vulgata & trita adagia: *vbi cerui cornua abiiciunt: ceruus canes trahit, hinnulus leonem: senecta leonis præstantur*

itior est hinnulorum iuuenta:ceruinus vir,quod di-
ır de eo, qui magis fugæ fidens, quam viri-
ʒ, quem alii ceruum dicunt,& id genus alia.

LXXI.

LVPI NATVRA.

Voties insuper lupum oculis usurpo, vel
vlulare audio, non possum, quin eius in-
uiem atque insatiabilem voracitatem cogi-
ione attingam. Ita vorax atque insatiabilis
vt pilos & ossa deuoret, & rursus aluo red-
. Multa solida deglutit, atque in ventrem
iicit. Quamobrem non pinguescit alimen-
ıon concocto. Vorat potius,quam comedit
ıes. In fame sæuit; dum edit,nemini amicus
sed aspici indignatur,& intuentibus interim
:ensec.vbi caudas intrauerit, non solum in-
ecit, quod satis est ad ventrem; sed totum
ʒem passim iugulat, omnes occidit, ante-
m ad comedendum attingat. Peculiare et-
lupis, si nihil aliud reperiunt, vt terram e-
t. Albertus hoc lupos facere scribit,non nu-
ıenti causa; sed vt ita pondere grauati, faci-
maiora quædam animalia, quæ inuaserint,
e sua deprimant, Vocatur illud terræ genus
iue *argilla*. Cum prædam habent, & alia sese
ılerit, secundam inuadunt, quasi præsentis
ti; insatiabilis voracitas illos ita instigat.
ɔd superest cibi, defodientes abscondunt,
H & quam

& quam mater lupę suis liberis siue catulis prædam attulit, lupus parens præripit & comedit. Quare scribitur de lupa, quod cum hoc intellexerit, quæsitā prædā soleat occultare, & ne sanguinis colore odoreue prodatur, ad flumina illa currit, & lacus, & os lauat & purgat: sæpe quoq; esuriens lupus, vt ostendat exhibeatque, lupam crudeliter cogit. Est præterea lupi natura consideratione digna: oculi lupo splendent, & lucem noctu iaculantur, nocte optime videt: scribunt quidā, lupū interdiu obtusius, nocte clarius videre. *Lupus acerrimis*, inquit Ælianus, *atque acutissimis præditus est oculis, enimuero intempesta nocte, vel luna ipsa silente, lucis vsura ipsa perfruitur.* Et scribit, Strumphius, lupum per noctem vento aduerso escæ odorem, vel per medii miliaris interuallum, aut longius, percipere: Albertus asserit, lupum herbam haud edere nisi ægrotus sit: tunc enim gustare aliquid herbę pro remedio, & vomitare sicut canes. Hoc quoq; in lupis obseruatum est, quod lapides gladiosq; fugiā: hanc ob causam rustici conspecto lupo, si alia tela nō adsunt, silicem comprehendere, & in ipsius, conspectū scintillas excutere solent, quibus visis fuga sibi cōsulit, abit, euadit. Si in foueā ceciderit, vel aliter se inclusum sentit, omnino pauidus, quasiq; attonitus & stupore innoxius est. Audiui olim, quod tria aliquando animalia eandem in fossam ceciderint, muliercula, vulpes & lupus, singuli sibi in fossa locum occupatū primo tota nocte quiete obtinuerunt, lupus neq; vulpem,

; mulierem attigit, sed sua in statione stetit;
ie venator more suo fossas perlustrans præ-
i triplicem insperato conspexit, telo lupum
rfecit, mulierculam humeris extraxit, & in
iiciem stitit. Similē hodie mihi hospes meus
tabat in prādio de lupo & tabellario in fo-
m lupicipulā incidentibus. Nec dissimilē re-
t mihi olim quidā meus præceptor, qui ipse
gnū & lupum viuos & illæsos, placideque in
quēlibet loco commorātes in fouea reperit
xtraxit. Scribit & Albertus de lupo & leone:
omo pariter & aliud animal se offerāt, vt pe-
ipsos electio sit, semper parcere homini. A-
ando lupos homines vorare compertū est,
aro; vbi vero semel lupi gustauerint impetū
iceps propter carnis dulcedinē in eos ferri.
malia cornuta inuadunt à tergo, insidiantur
gi, præcipue cœlo nubilo, vt magis lateant.
n fraudulēter incedit, lambere scribitur, &
icos facere pedes, ne incessus audiatur, atq;
præcipue, cū iter folia per suū dirigit. Lite-
estat⁹ est Ælianus: lupos fluuios transmittēs,
i fluctuum atq; impressione funditus euer-
ur, caudas inter se mordicus tenere, sic ad
erēdos fluctus resistere faciliq; negocio tu-
ne transnatare. Obseruarūt multi homines
s noctu & nubiloso tempore accessuros ad
e, & caulas, accedere contrauentū, ne ipsius
sentiatur. Albertus pergit, lupū frondes &
ilos ore porrigere, vt capras his frondibus
ētes inescet atq; decipiat. Ego ipse à quodā

rustico Morauo audiui quandam historiolam, quomodo scilicet lupus capram auricula prehenderit, & secum duxerit. Idem fere scribit Michael Herus; *si, inquit, lupus in minorem aliquã pecudem, aut suem, aut capram, inciderit, auricula comprehensa secum abducit currendo, renitenti clunes cauda ferit, ita vt misera pecus ipso etiam lupo interdum celerius currat.* Et perhibetur de lupo, quod in vicinia, vbi suos fœtus seu catulos nutrit, prędas haud capiat: quod ita?ne scilicet cõtra se excitet & prouocet homines. In periculis fœtus suos secum defert. Haud silere hic possum, *lupam pro meretrice* poni, propter auaritiam, capacitatem, & versutiam, & *ὠμοφαγίαν, lupula* dicitur meretricula, & puto, Romulum & Remum non à bruta & fera lupa, sed à meretrice nutritos esse. Huc referendum, quod Plutarchus scribit: *sunt*, inquit, *qui dicant, nutricis nomen ambiguitate fabulæ locum dedisse; nam & feras & meretrices communi vocabulo* lupas vocamus. Ita Faustuli vxori, prostrato pastoribus corpore, *lupæ* cognomen esse addictum, cum *Laurentia* ante nuncupata esset. Hinc *lupari*, pro, *scortari, lupanar*, pro *meretricum domicilio.* Et comparantur quoque lupis meretrices & adulteri, qui luporũ instar furari grassarique solent. Itidem latrones & fures Adiice adagia: *alere luporum catulos: auribus lupum tenere: lupus aquilam fugit: lupo agnum eripere postulas: è faucibus lupi: lupi alas quæris: lupus in fabula: in laqueos lupus: ouem lupo committere: non magis parcemus, quam lupis: lupus pilum, non ingenium mutat: lupinus potus: lupus circa*

æ puteum chorum agit: lupus hiat; homo homini lu-furem fur cognoſcit, & lupus lupum; lupus non curat nerum; vt lupus ouem amat: ſuade lupis vt inſaniant: onte præcipitium, à tergo lupi; à lupi venatu; vlula n lupis, cum quibus eſſe cupis.

Replicant & redintegrant lupi memoriam us Chriſti, Matth. 7. v. 15. *Cauete vobis à pſeudo-phetis; pſeudoprophetæ in veſtitu ouium, intrinſecus i rapaces, & 10. v. 16. emitto vos in medio luporum.* riſtus quando lupi mentionem facit, ipſum abolum ſignificare vult; quia ſicut lupus lſatur & ſæuit in pecora; ſic Diabolus in ho-nes. Sicut lupus cautus incedit, pedes lam-, hoc fine ne inceſſus aduentuſque ſuus per-iatur; ita Diabolus inter homines ſe inſinuat, on facile animaduertatur. His adiice & illa, ę ſupra recitauimus, viſum fuiſſe lupum por-ere frondem & ramos ſalicis, vt hiſce capras ſcaret; item quod ſæpe lupus auricula capras ues comprehendat, & quaſi ludibundus eas um abducat, & renitentibus clunes cauda ſoleat ferire, ita vt miſera pecora celerius e currant: necnon hoc, quod lupi acutiſſi-; oculis ſint prædíti. Lupus etiam eſt inſidio-mus, & Diabolus eſt fallaciſſimus & frau-entus. Lupus præcipue nubiloſo & nebulo-empore gregi inſidiatur; & Diabolus etiam biloſo tempore, hoc eſt, in mediis miſeriis & amitatibus pios adoritur, tentat & artes, hnas, vireſque experitur. Lupus clanculum edetentim pedes ſubinde lambens, ad cau-

las progreditur, ne ipsius incessus audiatur, & Diabolus clandestine in hominum corda se insinuat, vt non visus, neq; perceptus facilius perdat. Lupus magnopere metuit ignes, & fugit gladios; & Diabolus lucē Euangelii & arma ecclesiæ, preces & pias lachrymas ferre nō potest. Lupo porro Diabolus æquiparatur. Sicut enim lupus in locis, vbi catulos suos ponit & custodit, nō grassari, nec pecora capere dicitur; sed in lōginquis tantum oris: ita Diabolus propinquos suos, peccatores, intellige, tentationibus, miseriis & ærumnis haud aggreditur; sed procul ab ipso distantes, pios nimirū, persequitur. Noctu tantū furatur lupus; sic Diabolus ignorātiæ nocte quærit q; capit q; prædā. Cæteræ ferocientis lupi proprietates, infernalis lupi qualitatibus quodāmodo conuenire videntur: quod scilicet sit prędo, raptor, insidiator, quod rapax sit, quod atrox, infestus, sæuus, cruentus, rabidus, inhumanus, ferus, tristis, durus, rabiosus, sanguinolentus, cupidus, vorax, inhiās insatiabilis, quod crudā carnem, quodq; terrā deuoret, quod cæcos catulos pariat; quod sub fructibus latitās timidis damis, imbellibus ouibus aliisq; pecoribus insidietur, & quod totum gregem simul interficiat. Afferunt & conspecti lupi recordationem prophetiæ & admonitionis Pauli, quando (Act. 20, 29.) dicit, *quod post ipsius discessum venturi sint lupi, haudquaquam gregi parcentes.* Nec nō illius Christi, Ioh. 10. v. 11. *ego sum pastor ille bonus*: item (Matth. 7. v. 15.) *cauete à pseudoprophetis, qui veniunt in ve-*

stitu ouium; sed intus sunt lupi rapaces. Itidem illi- quod Gen. 49. v. 27. est scriptum: *Beniamin est us rapax, ad matutinum comedet, & ad vesperam dascam.* Et renouant memoriam visi lupi mul- um aliorum sacræ scripturæ locorũ. In mul- qualitatibus lupus auaro & supra modum :uniæ cupienti comparari potest. Atque vt us tantum rei mentionem faciam, cape lupi estina, & ouis, & ex iisdẽ chordas confice, & :helyn mitte. Sicut igitur lupina chorda oui- m perdiderit & consumpserit; nec ambæ istæ ordæ consonauerint; ita argenti sitiens, cum ısdem societatis & collegii, suo socio siue cõ- ıe, honesto viro, neque concors, neque con- ıans erit, sed cum ipso haud cõueniet, deuo- ›it eum & perdet. Longiorẽ huius nostri ser- ›nis telã cõtexere possem; sed quia in animo , de quarundã auium miseris proprietatib. & tutibus etiã quædã afferre; & quia cũ paucis ›ra recitatorũ quadrupedũ proprietatibus, i de reliquis philosophari possis, satansæ tibi di quare de istis orationis filũ hic disrumpam.

LXXII.

CORNICIS ET CORVI natura.

T q; omniũ primũ de natura cornicis & cor- ui simul (quia cõgeneres sunt) quędã enarra- . *Cornices,* inquit Ælianus, *inter se fidißimæ sunt, mi- ilis castitatis & matrimonii ipsis cura est, haud palã co- , amãtes mutuã inter se fidẽ seruãt, cũ semel societatẽ in- ẽ coierũt, extincta cõsorte alteri viduitas impolluta est.*

Hucreferēdum, quod quidam autor scribit; ad amorem coniugalem facere, si vir gestauerit cornicis masculæ cor; mulier fœminæ, mutuo inter se amore pariter per omnem vitam concordes degent. Cornicum fœminæ tantum incubant, assiduequein opere perseuerant, mares his cibum suggerunt, pascuntque incubantes. Idem facere coruos experientia testatur. Plinius & Aristoteles scribunt, solam cornicem volantes pullos alios aliquandiu comitari, & adultis nihilominus ad quoddam tempus prospicere, cum pleræque aliæ simul atque volare possint, non solum pullos non curent, imo vero abigant, & cum nido è tota regione etiam expellant, vt aquilæ & corui. Scribitur porro de cornice, quod tempestatem denunciet; quare Horatius eam *augurem* vocat, dum (3. Carm. od. 17.) inquit;

——— *aquæ nisi fallit augur,*
annosa cornix. Et Vergilius; 1. Georg.
Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Et scribit Aristoteles; *cornix*, inquit, *si velociter bis clamat & tertio, tempestas erit*; item; *si mane clamauerit, serenitatem; si vesperi quiete canit, tempestatem.* Cornicis vita longissima dicitur; quia (teste Plinio & Hesiodo) nouem nostras ætates viuit, quamobrem dicitur *annosa, longæua, vetula, viuax.* Magnum tempestatis indicium est, noctu clamitans. Cornix mire est docilis. Scribit enim lib. 10. c. 43. Plinius, sese vidisse cornicem in vrbe Roma, è Bætica exprimentem plura verba

ordine

rdine contexta, & alia atque alia crebro addi= entem. Merthes, Rex Ægypti, cornicem ha- uit, adeo cicurem, & mansuetam, vt quoquo ussisset ille, epistolas deferret, non ignorans, uo transuolandum esset, aut vbi considendũ. ornices si nucum duriciem rostro perfringe- nequeant, in altum volantes, in saxa & tegu- s iaciunt, iterum atque sæpius, donec quassa- s perfringere valeant. Coruus ante tempus ernum semper Martio mense oua parit. Cau- m docet Albertus, cum scribit, *Coruus coit, pa- t & nidificat mense Martio, timens, vt dicunt experti, nitruum; hoc enim aiunt oua eius perdere.* Plinius lib.).c.12. scribit, coruos ore parere & coire. Hinc lud poetæ Martialis;

Corue salutator, quare fellator haberis?
in caput intrauit mentula nulla tuum.

ristoteles tamen negat, sed exosculationem in s esse, qualem in columbis sæpe cernimus. landestine coeunt. Ego vero prope Pragam in ohemia semel coruos coisse vidi. Aristoteles teris testatur, inter coruos coniugium esse utuum atque fidum. Hanc fidem non solum l mortem vsque durare, Athenæus inquit; ve- m etiam defuncto altero coniugem alterum er omne vitæ tempus viduum permanere, eque alteri vnquam marito copulari. Ideo- ue ita à Scaligero laudatur;

Corue loquax, castique thori seruator honeste,
Cui nihil ad Veneris fœdissima gaudia notum est.

cribitur & de rapacibus & furacibus coruis,

quod ficures hominibus nummos suffuretur & celēt, nescio quā ob nobis adhuc ignotā causam. Legimus apud historicos, coruos olim apud quasdam gentes aucupio mirabiles fuisse. Cicuratus coruus loqui discit. Et scribūt historici Romani, de quodā coruo, qui sermoni assuefactus fuerit, & omnib. matutinis tēporibus euolauerit in rostra, in forū, Tiberiū deinde Germanicū & Drusum Cęsares nominatim, mox transeuntē populum Romanum salutauerit. Mirum est, quod Macrobius de alio coruo testatur, cum ita scribit; *Exprimit coruus sermonē humanum miro modo. Cum ex Actiacā victoria reuerteretur Augustus, occurrit ei inter gratulantes, quidam coruū tenens, quem instituerat proferre hæc verba:* Aue, Cæsar, victor, Imperator. *Miratus Cæsar tam officiosam auem, viginti millibus eam emit.* Notāda hic quoque corui solertia, de qua ita Plinius lib. 10. c. 43. scribit; *Tradendum putauere memoriæ quidam, visum coruum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, sed quæ attingi non posset: ita descendere pauentem expressisse tali congerie, quantum poturo sufficeret.* Hoc Ælianus ita describit: *Corui*, inquit, *Libyci sese inclinātes rostrorum aduncitatē, quoad possunt, in vasa intrudunt, atq; inserunt, quæ homines sitis metu aqua compleuerant, ac supra tecta adseruandā aeris beneficio aquā posuerant, itaq; potione fruuntur. Cū aquam deficere vident, calculos ore & vnguibus apportantes in vasa inferūt, atq; calculi quidē in vasis fundū detruduntur ac desident; aqua vero ex basis fundo ex subsidentium occupatione calculorum eleuata, superiorem vasis vacuitatem replet,*

qua

ta solerti machinatione corui aquam cötingentes potio- :referciūtur;nõ ignorantes,quæ penitius in media philosophia recondita sunt atq; abolita: vnū & eundē locū dua rpora capere non posse. Inde illud prouerbiū, *coruus]uat*, dici solitum, vbi quis non citra negocium .traq; ingenium cõsequeretur ea, quę cuperet, ıt vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere. t licet corui segetibus, pomis, nucibus, cerasis aud parçant; tamen à Deo constituti esse videtur quasi purgatores agrorum, vti & vultures, ε, ni fallor, cornices. Sicut enim vultures cadaera è medio tollunt, & deuorant; ita corui & ornices aratores & occatores sequuntur; teram vomere proscindentes, & vermiculos & a-a insecta vorant, & sic ab illis agros liberant. ;epetendum porro hoc loco, quod Deus in lerisque mysteriis corui opera vsus sit. Nam Ieliam (3. Reg. 17. v. 4.) pauit per coruum, & ıntonium atque Paulum primum Eremitam, t tradit D. Hieronymus in vita Pauli eiusdem. 'isi insuper corui, recordationem afferunt illis corui, quem Noe ex arca sua emiserit, totiusue diluuii historiam in memoriam reuocant; ec non illud Thomæ: *per animalia*, inquit ille, *oruini generis, significantur illi, qui sunt voluptatius dediti, vel, qui sunt expertes bonæ affectionis, quia oruus semel ab arca emissus non est reuersus.* Nuper]uoq; ad fœcundum amicum quendam, quem ro vehiculo ruri obambulans habebam, cor-ıos videns cadaueri insidentes, dixit *Coro illi, qui ex arca Noe emissus non reuertebatur sed*

cadauera

cadauera sectabatur, similes mihi videri homines, qui ad aliorum vitia lynceos habent oculos, ad virtutes talpa cæciores. Conspecti porro cerui, illud Iobi (c.39.v.3.) in memoriam suggerunt: *quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant, vagantes, eo quod non habent cibum?* Item Psal.146. *Qui dat pullis coruorum inuocantibus eum escam suam.* Sicut cornix duram nucem rostro confringere haud valēs eam secum in altum ducit, & in lapidem deiicit, & sic frangit, dein nucleum edit: sic Deus hominem erga proximum nimis durum, strenuum & inhumanum videns, eundem in grauia peccata multasque miserias cadere permittit, vt suę ipsius imbecillitatis consideratione frangatur, ad misericordiam & humanitatem moueatur, vti ex multis sanctissimorum virorum exemplis est videre. Diabolus quoque instar cornicis sæpe bonos viros, quos multis modis confringere & perdere potest, ad magnos splendidosque honores & dignitates alte ducit, vt tali modo eosdem frangere & perdere possit, secundum illud: *in altum sæpius quis tollitur, vt fortius conquassetur: in altum fertur, vt lapsu grauiore ruat.* Sicut coruus cadaueris demortuos oculos primum, dein cerebrum, & demum ipsum corpus deuorat: ita Diabolus hominis fidei oculos primum, dein intellectus & iudicii cerebrum, demum totum hominem vorat. Sicut porro coruorum pulli, donec illis pennæ crescunt, niuei à parentibus derelicti, rore cœlesti sustentātur, acceptis nigris plumis eosdem parentes repetunt, &

cada-

adaueribus alunt; sic Christianos ab omnibus ominibus derelictos, quamdiu candidi & pii int, Deus sustentat, nutrit, seruat, & cœlitus ascit.

LXXIII.

GRVVM NATVRA.

QVoties porro in aduenas & aereas grues obtutum figo, non leue puto, quod matu- e loca candidiora petant, certo tempore rede- nt, cum maria transcurrant, alte admodum tri- ngulari figura volent, ne tempestate agiten- ur, & simul longe prospiciant, excubias noctu edibus lapillos sustinentes agant. Ducem illæ, uem sequuntur, eligunt, silentio volantes per iblime serenitatem presagiunt; festinantes ve- o, gruentes & clangentes, tempestatem: hanc b rem illas obseruant nautæ. Grues etiamnum nplumes tam celeriter currunt, vt homo eas- em non assequatur. Et scribunt Aristoteles, linius & Oppianus, ideo tam alte volare, vt rocul prospicere possint; & si nubes tempesta- emque viderint, descendere & conferre se in erram, & humi quiescere. Ipse quoque puto, tissimum volatū ideo instituere, vt regiones, l quas contendere volunt, è longinquo pos- nt videre & prospicere. Cum nubes pluuiis rauidas conspiciunt, clamant & vociferantur, ducem suum celeriores captare volatus, sol- citant. Et Herodotus lib. 2. *Grues Scythica*, inquit,

quit, *plaga hyemem fugientes ad loca circa Nili fontes se conferunt hybernatum.* Atq; cæteri autores omnes, non ab oriente, neque ad oriētem; sed à septentrione ad Meridiem volare scribunt, cū à nobis discedunt, contra cū redeunt. Vt facilius aerem incidāt, ordinem instituunt triangulum oxygonium, trianguli figurā efficiunt. Et testatur Ælianus, vt hac forma facilius aera aduersum secēt. Et scribit D. Hieronymus ad Rusticum, grues vnam sequi ordine literato. Prouectiores ætate in primū ordinē volando collocant, ne scilicet se fatigent nimiū sequendo si iuniores & imperitiores præcederent; agmen claudere coguntur istę, quæ sunt ætate & calliditate superiores: nunquā aduerso vento volant, nisi quādo est fugiēdum, clamorē & clangorem edunt, ne separentur nimiū aliæ ab aliis. Si quā sensere defessā, aliæ duę vtrinq; alis subleuant, aut etiā dorsis (vt Oppianus scribit) & pedibus ferunt: retrorsum enim cælo sereno pedes extēdere solēt. Cum in terrā descenderint cibi gratia dux earū caput in altū in custodiā omniū erigit, cæteræ securè pascūtur. Dux multū clamitat, vt omnes cōueniāt. Si nimio clamore raucescat, alius constituitur, ita scribit Albertus; atq; Isidorus, *dux*, inquit, *castigat voce, quæ cogit agmen, ea cū raucescit, succedit alia.* Audiamus & Plinium (lib. 10. c. 23.) de gruibus: *excubias*, dicit, *habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno decidens, indiligentiam coarguat.* Ælianus literis iterum testatur, in longissimis terræ tractibus noctu reliquas omnes

nnes somnum capere, tres aut quatuor ad reli-
juarũ custodiã advigilare, & ne somno oppri-
nantur, operoso labore ac molesto stare, & la-
illum summa cautione sublimi pede cõtinere,
t si quãdo somnus obrepserit, edito strepitu ex
apilli casu expergiscãt. Haud preterire possum
lud, quod nescio apud quem autoré de gruum
rudentia legi. Scribit enim quisquis ille sit: *cum
d caucasum montem* (vbi ingens aquilarum ipsarũ
ostiũ copia) *iam appropinquant, ibi lapillos in ora re-
ipiunt, quibus impediũt, ne aliqua sonum emittat; atque
ta sibimet ipsis silentium imperant, ne in ipsarum hostes,
quilas, incidant. Faciunt autem illud noctu, ne ab aqui-
s videantur & deuorentur.* Ex quibus videre est, in
ullo auium genere tantum esse ordinis studi-
m, & tantam obedientiam, quam duci præ-
ant, atque hisce. Scribit Plinius, (lib. 8. c. 27.)
uod se purgent iunco palustri. Suggerunt at-
ue reducunt hic mihi grues in memoriam a-
agium illud; *Ibyci grues*, quod dici consueuit,
uoties sceleribus nouo quodam & improuiso
asu proditis scelesti pœnas dant iis, quos læse-
ant.

Id ex huiusmodi quodam euentu natum,
lutarchus, Ausonius, Erasmus memorant: *Ibi-
us poeta quidam, cum in latrones incidisset, iam occi-
endus, grues forte superuolantes obtestatus est. Aliquan-
o post cum iidem latrones in foro sederent, itutsum grues
peruolarent; per iocum inter se susurrabant in aures em:
lsunt Ibyci vltores. Eum sermonem aßistentes in sus-
cionem rapuerunt, maxime desiderato iam Ibyco
pridem,*

pridem. Rogati quidnam sibi vellet oratio, hæsitanter atque inconstanter responderunt; subiecti tormentis, facinus confessi sunt, atque ita velut gruum indicio, pœnas Ibyco dederunt, & perierunt.

Ibycus vt perii, vindex fuit altiuolans grus.

Ordo, quem (vt supra dixi) obseruant, vera & ipsissima esse potest imago, ritus & ordinis militaris, vbi strenui & fortissimi in initio, in medio promiscua multitudo constituuntur, & in fine agminis haud minus strenui disponuntur, qui medios continent & vrgent. Eundem ordinem siue dispositionem Oratores obseruare solent in disponendis ipsorum argumentis. Et habemus ex illis gruum virtutibus pulcherrimam optimæ formæ regiminis & reipublicæ, quia grues amant suam speciem, colunt mutuam amicitiam, nulla superbit super aliam, senioribus, callidioribus, magisque expeditis demandantur officia, suscipiunt mutuas vices vigiliarum, somni, ducatus; mature fugiunt, & sibi prospiciunt, conspecta aquila conglobantur. Similia igitur hæc pauca habeto, vt melius mentem meam perspicias; sicut grues suscipiunt mutuas vices, vigiliarum, somni, ducatus; ita felicissima est illa respublica, vbi nulla dominatur προσωποληψία, sed omnia æqualia fiunt inter æquales, ita vt supra de formicis quoq; diximus. Sicut porro grues hyeme fugiunt; ita resp. felix, cũ contra bella & fortunæ infortunia sese mature muniat. O felix respublica, quæ tempore pacis de bello cogitat! Et sicut grues conspecto

ecto suo hoste, aquila, conglomeratur in cir-
um: ita necessitatis tempore ciues suas vires &
xilia vnanimi coniungere debent. Est insuper
us imago seduli & sapientis hominis. Sicut e-
n gruum rex siue vigil, in vno pede per totam
octem stat; altero pede lapidem tenet, & no-
em peruigilem ducit, ita mortalium:

Fas non est regi, tota sub nocte soporem
Carpere, cum tanta curarum mole prema-
tur:

ui reip. studium, inquit Cassiodorus, & gene-
le cupit stare fastigium, ad vniuersa debet esse
llicitus: quia non est salus in corpore, nisi quā
membra potuerunt obtinere: Quare omni-
o opus est, vt Rex vigilet, suos curet & seruet.
oc Epaminondas optime intellexit, cum ali-
iando Thebis splendide festum celebraretur;
gilibus vinoque somnoque ebriis & sepultis,
lus ille habitu militari & armis indutus vrbē
rambulasse, solusque vigilasse scribitur; se-
ienti die, quare sobrius & vigilans solus fuis-
; interrogatus, Principis officium esse respō-
:, vigilare, vt ciues secure dormire, & Princi-
m sobrium esse oportere, vt ciues sine metu
ere bibereque possint. Sicut insuper grues
ope terram volitantes tempestatem & pro-
llam; & alte volantes, tempus clarum signifi-
nt; ita homines prope terram volitantes, hoc
, terrenis bonis corde vnice adhærentes, ip-
met procellam; alte vero volantes, hoc est,
elica tantum petentes bona, & animum ad

Deum erectum habentes, æternam claritatem significat. Alia quamplurima ad statum quemlibet alium, politicum, œconomicum, ecclesiasticum applicare solemus, quæ hic breuitati studentes præterimus.

LXXIV.

CICONIÆ NATVRA.

QVis porro indicia iustitiæ, prudentiæ, pietatis in gracili pede ciconia haud depreheñdit? exactæ ætatis parentes vicissim illa alit, humeris gestat, & cibos illis portat: ob senectutem pennis spoliatos, suis circumdatos fouet: coniugalis castitatis amãtissima est: pullos, qui ob ętatem (verba sunt Zornii) è nido euolare nondum valent, ita fouent, vt esculẽtis ante absumptis alant, & sic vicissim vt gratos se exhibeant erga aducẽtantes parẽtes, suaui quodã sibilo eos excipiunt, rostris tanquã osculis escam eliciunt. Ipse sæpe obseruaui, quod parentes mutua cura excludant pullos, & mutuas vices in incubando seruẽt: dum euolat pater, mater fouet oua: dum mater euolat, incubat pater, tanto tamq; indefesso studio, vt ventre pennæ defluant. Statis tẽporibus, quasi tessera militari, simul omnes mouentur, & redire & discedere: sed ita consueuit, vt non venire, sed venisse eas appareat. Primo protinus aduentu veterẽ nidũ repetit, & primũ nidum aliquoties lustrans circumuolitat ciconia, quem siquidem saluum & incolumem inuenit, collectis hyberno situ sordibus, statim repurgat

ɔurgat instauratq; : sin seueriore aliqua ventorũ
empestate deiectum cernit, ramentis ilico vn-
liq; ex agris palustriq; vlua comportatis posses-
ionem sedis nouo nido occupat, & vt Heldeli-
ius obseruauit, pomœria primũ rotunda, scio-
herico valde similia figit, mox ædificat, deinde
:onstabilit. Postremo, si quid distortius hæret,
ıdmirabili quadam rostri industria in ordinem
:omponit. *Ciconia mas*, (Heldelini hic vtor ver-
ɔis) *vero aduentu coniugem suum ad summum decem
lies anteuertit: tum nido, si forte violatum inuenerit, re-
ɔarato, coniugem sollicitus expectat, ea alias prius alias
lecima demum nocte, perlunii scilicet, aduentat. Huic il-
e aduentui mire gratulatur & alis applaudit. Vbi autem
ıido accepit, Dii boni quam dulcißima salutatio: quanta
ıb felicem aduentũ gratulatio? quos applausus? quos com-
ılexus? quam mellita cernas oscula? atque interim lenes
ıuoque susurri quidam audiuntur:*

Glotterat immenso de turre ciconia rostro.

Ciconiæ & abeunt & redeũt nocturnis tempo-
ibus: nemo enim vidit agmen discedentiũ neq;
ıgmen redeuntium; sed ex posteriori intelligi-
nus cum iam redierunt, & discesserunt. Ser-
ɔentibus ciconia pullos nutrit, & lacerta, nec
ınde pereunt. Hoc ipsis est peculiare, quod ve-
ɔeri non alibi indulgeant, quam in nido. Et
cribitur, quod cum qua fœmina mas semel
ese copulauit, illam non dimittat; & si ipsa
ılterum marem admisit, eam rostro punit, at-
que à sese depellit: Et recitat Michael Nean-
ler, in physica hanc historiolam: *Ciconia quædam*

 inquit,

inquit, *mare auolante ad pabula conuehenda pullis, aliquoties interea rem habuit cumpropinqua ciconia, ac ne maritus reuersus adulterium persentisceret, mox à congressu corpus suum in fonte vicino lauit, donec hospes illa re animaduersa eam à fonte arceret. Etsi autem de adulterio constaret reuerso, tamen dissimulauit, pullosque solum educare coegit, & tandem cum migrandum esset ante hyemem, adduxit agmen ciconiarum, cui adulteram laniandam tradidit.* Cum vulnus per pugnā acceperint, origanum plagæ imponunt. *Magna cura* (inquit Ælianus) *ciconiæ exacta ætate parentes alunt, etsi hoc facere legibus nullis iubentur, sed sola bonitate naturæ ad id impelluntur.* Iidem parentes amanter suos fœtus curare dicuntur. Pullos, qui per ætatem è nido nondum euolare queunt, cum aliunde ad eos alendos cibum comparare nequeunt, esculenta, quæ prius ederunt, euomunt, atque in educandos fœtus conuertunt; ad volandumque pullis imperitis duces sunt. Animantium reliqua, excepto Merope, tantum parentes amant agnoscuntque, dum egent illorum ad nutricationem opera; vna ciconia (vt ille ait) parentes senectā defectos vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat; quorum posterius laudatur in Ænea, cui inde pii cognomen; alterum miris laudibus fertur in puella, quæ parentem captiuum complures dies suis vberibus aluit. Hanc ob causam antiquitus in Regum summo sceptro ciconiæ figura ponebatur, vt ipso gestamine admonerentur, pietatem plurimi facere oportere. Hæc quoque causa est, vt

AEgyptii

:gyptii Hieroglyphica litera pietatem scri-
ntes ciconiam pingerent. Merops, cuius iam
:ntionem feci, eo adhuc iustior ciconia æsti-
ındus est, qui non in senectutem parentes a-
e differt, sed statim vt per ætatem volare po-
t, hoc ipsum exsequitur, & iustitia atque pie-
e (teste AEliano) omnibus auibus præstat.
atā accepti beneficii memoriam habere ci-
nia scribitur, de qua re quamplurimas histo-
s referre possem; sed quia nimis longa hæc
:monis mei tela si facerem, fieret, igitur eas si-
o. Scribit porro Heldenius, & ipsa experien-
obseruamus, quod ciconia tempestatē præ-
ıtiat, quæ si imminet, tum ante se medium in
lum an bobus pedibus (nam alternis alias in-
:ens quiescit) confestim sistit, pennas tristior
fundit, rostrum in pectus condit, vnde &
ımas ceu barbam promittit: vultum demis-
n eo obuertit, qua parte tempestas, ventus &
ber ingruit. Dixi supra de Ciconiarum dis-
ssu & recessu, quod scilicet opportuno tem-
re discedant & redeant, nemine animaduer-
ıte; ita prudentes quoque homines tyranni
:ori, & præuiso infortunio sine omni strepi-
cedunt. Sicut ciconiæ antiquos nidis quo-
ınis repetunt; ita quoque homines decet, re-
ere amicos, eos non negligere, & obliuisci.
ciconiis porro experimur, quia super homi-
ım ædibus habitant, non dilaniare columbas,
ares, pullos, sicut rapaces accipitres, sicut aui-
milui, sicut cupidi vultures & corui, non in

propatulo exercere venerem, vt salax saltansque passer; non furari, sicut famelicus coruus, sed esse gratas hospites & amicas, seruitricesq; diligentissimas & vtilissimas, hortos, agros, areas & lacus bufonibus, serpentibus, multisque venenosis noxiisque animalibus sedulo purgātes: ita quoq; nos mortales facere oportet, non peccare, nō scelus committere, nec quicquam, quod Deo & angelis displiceat, peragere, nec proximis nocere, sed prodesse debemus.

LXXV.

GALLORVM NATVRA.

ATque vt de galli gallinacei, gallinarumque natura, virtutibus, ingenio & morib. quædam attingam: illud Plinii lib. 10, c. 21. primum adducam: *Gloriam sentiunt hi nostri vigiles*, inquit, *nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit. Norunt sidera & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitū, quartaq; castrensi vigilia ad curas laboremue reuocant. Nec solis ortū incautis sinunt obrepere, diemq; venientem nunciant cantu: Ipsum vero cantum plausu laterum. Aeris & ventorum mutationes ante denunciāt; quare in castris horologii gnomonici loco à militib. vsurpantur. Dimicatione pariter quoque regnum inter ipsos, velut ideo tela agnata cruribus suis intelligentes.* Huc vsq; ille. Cur vero alas cantaturus gallus quatiat, docet D. Gregorius; scilicet vt se vigilantem reddat, atq; vt maiorem strepitum clamosa voce excitet, itaque iamiam cucuriturus, alis ad latera collisis ingentem ita sonum

num edit. Sicut gallus antequam cantet, ter
l quater alis se quatiat; ita nos homines facere
bemus, vt ante quam aliquid proferamus, di-
ndo siue scribendo, vt ter vel quater ante, an
n sultū sit, cōsideremus. Vt gallus quoq;, cum
ere cantum parat, prius alas excutit, & semet-
ūm feriēs vigilantiorē reddit; ita quoq; orato-
s, & Dei verbi prædicatores facere decet. Vi-
ātia illa gallorum rerump. rectoribus debet
e cōmendata, nec nō verbi ministris. Hāc ob
tionē veteres & antiqui patres super turres &
mpla galli imaginē ponere sunt soliti. Porro
ioties galli imago in turri aspicitur, cogitandū
t de lapsu Petri, & de nostris peccatis, quæ ad
:tri exemplū sunt deplorāda. Et est gallus bo-
Principis & optimi Regis imago in repub. sin-
ilis bene prospiciētis, cū gallū vno oculo gra-
i quærentē, altero miluū obseruantē contem-
amur. Res summa admiratione digna est, Gal-
, vt ille scribit, tū silentio vti, & pulchellā suam
ocē, cucuritū inquā, celare nosse, cū mortua
illina coniūge sua, ipse eius officio fungens, o-
i incubat, vti Ælianus quoque scribit. Cum se
opia sanguinis aggrauari galli sentiunt, vngui-
us cristas tam diu scalpunt, donec illato vul-
ere sanguinis fluxum proliciant, atque ita ab
nminentibus malis, sibi ipsis medici, liberent.
uacunq; gallus in domo siue aula est, regnum
: dominatū exercet, & suis imperitat corona-
is, alta celsaque ceruice superbe incedit, cri-
as erigit, cœlum aspicit, caudam falcatam in

ſublime extollit. Eſtque gallus gallinaceus optimi patrisfamilias exemplar: *is enim* (verba ſunt Aldouandri) *non vigilem tantum ſeſe ſuorum inprimis præbet cuſtodem, & mane dum tempus eſt; ad quotidianum inuitat laborem; ſed ipſe primus exilit, non tam voce, quam reipſa, quid faciendum ſit, oſtendens.* Ipſe omnia verrit, omnia explorat, omnia diſpicit, & ſimul atque aliquid eſcæ nactus eſt, gallinas & pullos ad paſcendum conuocat. Interim ceu pater quidam & ſympoſiarchus excelſus adſtat, & ad epulandum inuitat, hoc vnum ſemper curæ habens, vt ſuis ſit, quod edant. Interea ipſe diſquirit, ecquid in proximo reperiat: quo reperto rurſus ſuam familiam citat alta voce; accurrunt illico; ille ſublimem ſe gerens, & vndique circumſpiciens, ecquid hoſtile vſquam appareat, totam cohortem circumit, & obiter granum aliquando vnum ſibi ſumit, non citra inuitationem, vt ſe ſui ſequantur. Gallus tum ideo quoquo amorem beneuolentiamque ſuam manifeſtat, dum ſe doloris, quo cõiuges ſuas affici credit, conſortẽ cantu longe alio, quam cucuritu, ſed gallinarum cantui ſimilimo atteſtatur. Meminit eius Oppianus his verbis: *Galli partus gallinarum leuare, & doloris participatione ſolari videntur, dum placida & exili voce eis accinunt.* Eſt & ingens erga pullos ſuos gallinis amor & ſedulitas, quos pennis fouent. Et ſi noxium quoddam animal pullis inſidiari vident, recipiunt ſuos ſub alarum vmbra ſeu tegumento, ſeſe tutrices opponunt, cum maximo clamore hoſtibus pauorem incu-

ncutere nituntur. rostro alisque pullos defen-
dunt, adeo vt propriam mortem in illorum tu-
elam potius obire, quam illis hostibus relictis
uga salutem quærere malint. Discant ab his,
xemplaq; sumant, filios amandi, parentes. Nec
ine grauissima causa ipse filius Dei (Matth. 23.
.37.) cum lachrymis sese comparauit gallinæ;
*Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios
tuos, tanquã gallina pullos suos sub alas, & noluisti?* Sic-
ut porro gallus reperta granula haud solus de-
uorat; sed conuocatis galli[n]is communicat; ita
probos piosque homines mundana bona ho-
neste & cum labore quærere, nec quæsitis bo-
nis soli vti frui, sed suos conciues siue egentes
proximos participes facere. Tam magnus por-
ro tamque excelsus gallis est animus, eaque ani-
mi constantia, vt non vitæ pericula tantum su-
bire, sed perdere etiam eam malint, quam alte-
ius (vt ille loquitur) imperium iugumque, vel
d vnicum tãtummodo temporis momentum
ati, dum pungunt, terram feriunt, & plumas
ircacollum erigunt, pennasque caudæ, quan-
um possunt, sursum atque deorsum vibrant, &
alcaribus suis, seu telis, hostem feriunt. Cum
ictor abit, cristas ceruicemque erigit, & cantu
riumphat; victus vero silens & tristis abit, & se
occultat. Pugnat & gallus pro suis gallinis con-
ra serpentes, miluos, aliaque noxia animalia; &
am acriter, vt sæpe nõ nisi morte pugnæ finem
mponat. Scribunt & multi autores, quod leo &
Basiliscus gallum seu galli cantum expauescant

Has ob causas gallus Marti, bellorũ pugnarumque Deo sacer habitus fuit, & prouerbialiter vocatus est, *Martispullus*, Hinc Miltiades, Atheniensium Imperator, gallorũ pugnantiũ exemplo suos adhortatus est, & Socrates Iphicrati animũ addidit galli exemplo. Hinc victoriæ hieroglyphicũ erat gallus gallinaceus. Hinc Lacedæmonii, cũ hostẽ viribus profligassent, gallum immolabãt, nonnunquam etiã ante cladẽ. Obseruamus porro in gallo, quod cũ limen intrat, tametsi superũ altissimũ existit, is tamen sese inclinet, quod ipsum superbia inductus facere videtur, ne crista offendatur. Ob multas gallorum virtutes animique dotes, tam Græci, quam Romani cęteræq; gẽtes his auibus in bellis vsi sunt, & sacris suis adhibuerunt, hincque Cicero non minus delinquere eum dixit, qui gallũ gallinaceum, cum non opus fuerit, occiderit, quã eum, qui patrẽ suffocauerit. Ideoq; in omni auiũ familia, quæ ad mensæ vsum requiruntur apud omnes ferme autores gallũ primas obtinere legimus. Galli, vt diximus rixosi sunt, pugnaces, gloriabundi, superbi & libidinosissimi: emittũt semen, cum vident fœminas, & vt quidã testantur, cum suas imagines in speculis contemplãtur; mutuoq; galli coeunt, cum fœminæ desunt, & secundum quosdam autores, dimicant inter sese, & victus masculũm venerem patitur. Nec contristatur post coitum, sed cantat, & quia aliqua superflui seminis parte leuatus, lætatur. In multis gallus cum militibus conuenire videtur,

Sicut

Sicut enim gallus grauiter superbeque incedit, ita & milites pleriq; superbe incedunt, & totius corporis habitus magnanimitatem præ se fert, & illorum facies terribiles sunt. Sicut gallus audax, ferociens, pugnax, & hilaris est, & calorem, frigus, aliasque quamplurimas fortunæ iniurias perpetitur; ita milites læto animo, pugnaces, & audaces esse solēt, qui neq; cœli, terræ, aeris, aut aquæ iniuriis, neq; fortitudine vrsorum, luporum vlulatu, tarantulæ & serpentum veneno, aspectu basilisci, aut bombardarum sonis, vel, vt dicitur rimbombis terrentur, neque mulierum planctu mouentur, animus enim præsens vbiq; bellantiū non timet. Sicut galli versicolores pēnas portāt; ita quoq; milites versicolores vestes. Sicut gallos natura crista, largo pectore, forti rostro, acutis calcarib. prouidit; ita quoq; milites galea, lorica, gladio promti sunt. Dedecet enim militem, imparatum esse. Sicut galli clara voce, inprimis noctu, cucuriunt, & allio vinoq; (quod vocant) adusto saturati animose certant; ita plerique milites præteruis verbis, & præsertim inter pocula, litigant, execrantur, tumultuantur, & inebriati digladiantur.

LXXVI.

HIRVNDINVM NATVRA.

HIrundines porro (vt mihi hoc de suo Zornius largiatur) quē non sui in admirationē raperent? non sane trinsantes ac fritinnientes placent, ac ita interim hominibus sunt gratæ, vt de

vt de horum sibi cohabitatione mire illæ gratulentur; tanto nidos artificio construunt, ita stramento firmant, plumis flexisque mollibus ad pullos fouendos cõsternunt, vt ab inimicarum tutæ auicularum insidiis sint. Et licet hirundines, vt aliæ aues, non cantillẽt, tamen inepto & vario stridore incolis placere student, circuoso volãtes circuitu trinsant. Nec iniucundum est, illas summo mane ante fenestras stridentes & trinsantes audire; studio enim venire videntur, vt suo garritu turbent somnum. Hinc prouerbium illud pythagoricum: *hirundinem sub tecto ne feras*. Reuocant in memoriam auditę & conspectæ hirundines historiam Tobiæ, quem luminibus priuarunt: stercus enim ipsarum valde est calidum, idcirco arrodit, humorem consumit, perdit, & sic Tobiæ oculis nocuit. In nutriendis pullis æquitati ac iustitiæ cumprimis student. Illud diligentissime obseruant, ne altera alteri escam præripiat, neue ea, quæ ante aliquid accepit, his eripiat. Ratio ætatis & primogenituræ habetur (attestante maximo illo rerum naturæ rimatore AEliano) primum hanc, quæ lucem aspexit, pascitur, sequuntur cætera eo ordine, quo in lucem editæ singulæ fuerunt. Huc referendum, quod apud Aristotelem est legere: *in enutrienda prole*, inquit, *mira tam mas, quam fœmina æquitate hirundo laborat; impertit pullis singulis cibum, obseruans consuetudine quadam, ne, qui acceperit, bis accipiat*. Et Oppianus; *pullos suos hoc ordine pascunt, vt illis, qui cibo accepto locum mutauerint, nihil amplius*

largian-

argiantur, donec ad pristinum locum redierint. Excrẽ-
menta pullorum ex nidis eiiciunt. Discant hic
parentes & admonitionem ab hisce auiculis ex-
emplumque sumant; quod non tantum illis de-
ceat liberos gignere, sed & honeste & liberali-
ter eosdem educare & alere, nec temere, vt qui-
dam sine causa facere solent, plus vni, quam al-
teri faueant. Hirundines porro, licet non hu-
mum à serpentibus, sicut facit ciconia, neque a-
grum à variis vermibus & insectis, vt de coruis
meminimus, aerem tamen purgant à muscis,
papilionibus, culicibus. Et mirum hoc est, quod
fuinosas ædes fugiant. Ab historicis habemus,
Ducem Cecinnam Volaterranum comprehen-
disse hirundines, secumque abstulisse in castra,
& post victoriã alligasse schedulas, & dimisisse
hirundines. Hæ mox redierunt domum ad pri-
stinos nidos, & amicis victoria nuncium attule-
runt. Et puto, quod istiusmodi officia melius ci-
tiusque, quam columbę expediant. Hirundines
hyeme ad loca tepidiora abeunt, si vicina sint,
vt scribit Aristoteles: at si longe distent, nõ mu-
tant sedem, sed se ibidem condunt. Similes hi-
rundinibus meretrices esse videntur. Sicut e-
nim hirundines verno tempore in aere supra
ædes nostras volitant, sub tectis ædificant, habi-
tant, & læte cantillant: ita quoque meretrices,
verno tempore, id est, quando plenum adhuc
est iuuenum marsupium pecuniis, iucunde cum
illis conuersantur, blande illos alloquuntur &
cantant; hyeme vero adueniente, hoc est, vbi
num-

nummi deficiunt, illos despiciunt, tenunt, abigunt. Et sicut hirundines casuras ædes fugiunt; ita quoq; inopia titubantes adolescentes derelinquunt, & ab aliis commodum quærunt, ita vt merito de illis dici possit; *Dum feruet olla, feruet amicitia.*

Hinc quoque Cicero in Lælio mutuatus est similitudinem, quod multi amici similes hirũdinibus, præsto nimirum in fortuna felici, sed tempore ærumnarum discedẽtes. Albertus obseruauit, quod hirundines brumali tempore in plantis quibusdam concauis se abdicarint, atque hoc dicit accidisse in superioris Germaniæ quadam sylua, vbi incisa quercus putrida inuenta sit plena hirundinibus. Quædam hirundines (vt ipsi comperimus) hyeme latere in nidis suis, & in fluminum ripis. Merito dici possunt imago resurrectionis nostrorum corporum. Hinc etiam primitiua ecclesia vsa est similitudine contra ethnicos, pro resurrectione mortuorum. Sicut enim hirundines hyeme inter moriuntur, & sub vernum tempus reuiuiscunt; ita quoque nostra corpora intereunt, sed in vltimo die viuificabũtur & resurgẽt. Hirundinibus adiice muscas & multa alia animalia & insecta. Huc quoque pertinet, quod Ieremiæ 8. v.7. Iudæis exprobratum est, quod nequeant agnoscere tempus visitationis, cum grus, hirundo & ciconia sui aduentus tempus norint. Sicut igitur ciconiæ vernum tempus obseruant, quo ex antris, aquis, longinquisue locis redeunt;

deunt; ita quoque nostrum est, tempus gratiæ quam diligentissime obseruare, vt illo bene vtamur & fruamur, & ad Deum, à quo peccatis nostris declinauimus, reuertamur. Hirundines nidum mirifice è luto conficiunt & construunt stramento (vt Plinius lib. 10. c. 33. scribunt) roborant; si quando inopia est luti, madefactis multa aqua pennis puluerem spargunt, ipsum vero nidum mollibus plumis floccisque consternunt, tepefaciendis ouis, simul ne durus sit infantibus pullis. Audiamus Ælianum; *si luti*, inquit, *facultas sit, hirundo vnguibus fert, nidumque ex eo fingit, & figit: sin minus luti facultas ei datur, aqua se conspergit, atque in puluerem se abiiciens, alas luto mergit, itaque post alis agglutinatum, rostro excutiens nidificat. Primum festucis* (ita Plutarchus) *solidioribus seu fundamento iactis molliores insuper adfigunt hirundines, vbi (quo cæmento & veluti glutino nidum ædificandum relinunt) cum penuria est, ad lacum sinumué proximum aduolantes, summis alis sic stringunt aquas vt humescant liquore tantum, nihil grauentur autem; mox concepto his puluere, illiciunt aspera, hiantia glutinant.* Boreæ & ventorũ, qui ex Thracia spirãt, flatus, hirundines nõ amare, & nidos inde auersos collocare obseruauit Oppianus. Nec præterire hic possum, quod Plinius lib. 10. c. 33. & alii de hirundinib. scribũt; quomodo scilicet aggerẽ Nilo, quo minus inundet, opponant; *In AEgypto*, scribunt, *iuxta oppidũ Copton insulam esse sacram Isidi, quã amnis vndiq; dilacerat; hirundines igitur, nec eã flumen dilaceret & perdat, muniũt opere, incipientibus*

tibus vernis diebus, palea & stramento rostrum eius firmantes, continuatis per triduum noctibus tanto labore, vt multas in opere emori constet: ea militia illis cum anno redit semper: aquam enim in puluerem important & lutum faciunt, ac vt cæmentarii solent, commiscent, atque ita murum struunt. Si forte passer (est enim earum inimicus) septum suum nidum ingreditur, obstruunt cæmento ingressum, vt ita suffocetur; ac postea suffocatum extrahunt. Auget porro admirationem; & laudem hirundinum, illud quod apud Plinio lib. 25. c. 8. est legere: *Chelidonia, inquit; hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum; vt quidam volunt, etiam erutis oculis*: Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes: Et scribit Ælianus, hirundinibus aduersus blattas defensionem Naturam largitam esse; nam cum blattæ earum ouis perniciosæ sunt, matres apii folia ante pullos proiiciunt, ob idq; ab illis ad pullos accessus fieri nequit.

LXXVII.

MORTALIVM ARTES, virtutum animalium participes.

ATque vt de remediis medicis; artibusque cæteris, quas ab animalibus homines didicerunt pluribus agam: dico, omnes ferme artes ab animalibus vel initia sumpsisse; vel aliquid participasse.

LXXVIII.

LXXVIII.
GRAMMATICA.

EN tibi Grammaticam, cui literarum inuentioni aues opitulatæ videntur. Scribunt enim historici, ex gruum volatu Palamedem sibi literas finxisse. Illæ volantes aut Y, aut V, aut Λ efformant. Hinc doctus & Diuus Hieronymus ad Rusticum monachum scribens, *grues*, inquit, *vnam sequuntur ordine literato.* Ad quod etiam Martialis alludit, cum ita scribit:

Turbabis versus, & litera tota volabit,
Vnam perdideris si Palamedis auem.

LXXIX.
RHETORICA.

ECquid Rhetorica? si me interrogas, varias, respondeo, ex animalibus similitudines, diuersas parabolas & apologos, quibus oratores scripta sua quasi pretiosis gemmis exornant, ditant, figurant.

LXXX.
POESIS.

HIs adiice facundos poetas, quam plura, Dii boni! exempla ab animalibus depromunt, omnes humanos habitus ab animalium actio-

nibus, affectibusq; exprimunt, quibus latente vi atque energia calcar hominibus ad virtutes addunt.

XXCI.

ETHICA.

EX his videre est totam Ethicam philosophiam, & sua emolumẽta habere: Docent namque, vt supra meminimus, quamplures homines virtutes: generositatem leo, sedulitatem formicæ & apes, vigilantiam grues, & omnium minima auicula Regulus sua magnanimitate nos admonet, etiam virtutem sub qualibet cute posse latere, ac possessorem suum adornare: & alia animalia alia.

LXXXII.

OECONOMIA.

SVnt & istiusmodi animalcula œconomiæ magistra.

XXCIII.

POLITICA.

COnducit quoque talis animalium consideratio politicis, rerumque publicarum rectoribus. Grues considera, illæ gregatim volantes, communibus suffragiis consentiunt.

XXCIV.

MILITARIS ARS.

GRues insuper militiam exercẽdam; aciemque instruendam edocuerunt. Nonne illæ

in or-

in orbem conglobatæ omnes sibi aduersantibus aquilis rostra obuertentes, ita vt impune lacessiri nequeant: nonne & grues caput sibi regemque constituendo Ducis in bello summam demonstrant necessitatem? aliæ in excubiis nocte locatæ sunt: aliæ cæteris dormientibus circumeunt, atque explorant, ne qua ex parte insidiæ tententur. In duello, quomodo sese quisque acriter defendere debeat, à gallis gallinaceis disci potest. Legimus porro, aues tabellariorum munere in bellis nonnunquam esse functas: vt de Marthe Ægypti Rege, narrat Alexander ab Alexandro, quod cornicem habuit, cui literas perferendas traderet. Idem de columba narrat Egnatius. Galli etiam ac Veneti Ptolemaidem, in ora Syriæ, obsidentes tabellariam columbam literas circumferentem, à Sultano suis ciuib. diutina obsidione defatigatis, adepti sunt, quibus significabatur, regem breui cum maxima classe hostium vires facile exstirpaturum, quo explorato, pro interceptis fictitias literas affigunt, quibus Regis nomine monebantur obsessi, vt se dederent, hostibus parcerent, rebusque suis consulerēt: se aliis negociis districtum minime ipsis opitulari posse. Pertulit ita suis columba fictitias literas, quibus perlectis sine mora earum mandatis obsequentes, repente vrbem dediderunt. Similia apud Batauos nuperrimis bellis factitata & audiuimus & legimus.

nibus, affectibusq; exprimunt, quibus latente vi atque energia calcar hominibus ad virtutes addunt.

XXCI.

ETHICA.

EX his videre est totam Ethicam philosophiam, & sua emolumēta habere: Docent namque, vt supra meminimus, quamplures homines virtutes: generositatem leo, sedulitatem formicæ & apes, vigilantiam grues, & omnium minima auicula Regulus sua magnanimitate nos admonet, etiam virtutem sub qualibet cute posse latere, ac possessorem suum adornare: & alia animalia alia.

LXXXII.

OECONOMIA.

SVnt & istiusmodi animalcula œconomiæ magistra.

XXCIII.

POLITICA.

COnducit quoque talis animalium consideratio politicis, rerumque publicarum rectoribus. Grues considera, illæ gregatim volantes, communibus suffragiis consentiunt.

XXCIV.

MILITARIS ARS.

GRues insuper militiam exercēdam; aciemque instruendam edocuerunt. Nonne illæ

in or-

in orbem conglobatæ omnes sibi aduersantibus aquilis rostra obuertentes, ita vt impune lacessiri nequeant: nonne & grues caput sibi regemque constituendo Ducis in bello summam demonstrant necessitatem? aliæ in excubiis nocte locatæ sunt: aliæ cæteris dormientibus circumeunt, atque explorant, ne qua ex parte insidiæ tententur. In duello, quomodo sese quisque acriter defendere debeat, à gallis gallinaceis disci potest. Legimus porro, aues tabellariorum munere in bellis nonnunquam esse functas: vt de Marthe Ægypti Rege, narrat Alexander ab Alexandro, quod cornicem habuit, cui literas perferendas traderet. Idem de columba narrat Egnatius. Galli etiam ac Veneti Ptolemaidem, in ora Syriæ, obsidentes tabellariam columbam literas circumferentem, à Sultano suis ciuib. diutina obsidione defatigatis, adepti sunt, quibus significabatur, regem breui cum maxima classe hostium vires facile exstirpaturum, quo explorato, pro interceptis fictitias literas affigunt, quibus Regis nomine monebantur obsessi, vt se dederent, hostibus parcerent, rebusque suis consulerét: se aliis negociis districtum minime ipsis opitulari posse. Pertulit ita suis columba fictitias literas, quibus perlectis sine mora earum mandatis obsequentes, repente vrbem dediderunt. Similia apud Batauos nuperrimis bellis factitata & audiuimus & legimus.

XXCV.

AGRICVLTVRA.

QVid agricultura ab animalibus boni? animalium excrementis segetes lętæ fiunt. Auium accessu & recessu imminentes imbres aliasque tempestatum iniurias aduentare colligit agricola. Atque, vt ille loquitur, ex gruum in sublime migrãtium volatu, aduentantis hyemis accessum exploratum habet: ideoque terræ exercendæ magis animo incumbit. Aues porro lationis atque insitionis modum aperuisse videntur. Hoc tradit lib. 17. c. 14. Plinius: *semine quoque*, inquiens, *inserere natura docuit, raptim auium fame deuorato, solidoque & alui tepore madido, cum fæcundo fimi medicamine abiecto in mollibus arborum lecticis, & ventis sæpe translato in aliquas corticũ rimas. Vnde vidimus cerasum in salice, platanum in lauro, laurum in ceraso & baccas simul discolores. Tradunt & monedulam condentem semina in thesauos cauernarum, eiusdem rei præbere causas. Hinc nata inocultatio sutoria simili fistula aperiendi in arbore oculum, cortice exciso semenque includendi eadem fistula sublatum ex alia.* Hactenus Plinius. Sic cornices sæpe ferunt iuglandes, aliæque aues semina alia, quorum fructus sæpe comedimus.

XXCVI.

ARCHITECTVRA.

VIdentur insuper homines architecturam ab auibus edocti. Nunquid ab hirundinis

solertia

solertia & labore in nidi sui constructione architecti superantur? luteas domus qui exstruxerunt homines? vnde habuerunt? ab hirundinum scilicet nidis. Nec addam hic quod de Ægyptiaco aggere ab hirundinibus confecto supra (pag. 147. v. 3. & seqq.) retuli, modo dicam, quod Aristophanes ὀρνιθας τέκτονας, id est, *aues fabros* vocauerit.

XXCVII.
NAVIGATIO.

ARtem porro nauigatoriam, si Plinio (lib. 10. ca. 10.) fides est, aues docuisse: Miluus enim gubernādæ nauis modum edocuisse videtur, flexu caudæ iter suum per aera dirigens; natura præmonstrante in aere quid in aqua fieri oporteat: miluus, inquam, caudæ flexu in cœlo monstrat id, quo opus est in profundo.

XXCVIII.
MEDICINA.

ET ipsi demum Medici, multarum plantarum, earumque virtutum, & variorum medicamentorum inuentionem auibus acceptam referre debent. Chelidoniam visui saluberrimam hirundines docuerunt. Ita venæ sectionem hippopotami monstrarūt. Clysteriorum vsum Ibis Ægyptiaca indicauit auis. Ceruæ

monstrarunt elaphobascum, & dictamnũ contra plagas & vulnera. Ceruus seseli herbã. Coruus quoque venenatis pabulis herba cinara resistit. Vrsi, cum mandragoræ mala gustauere, formicas lambunt. Palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio annuum fastidium purgãt. Idem faciunt columbæ, turtures & galli gallinacei herba, quæ vocatur helxine: anseres & anates herba sideritide: grues & quædam aliæ aues iunco palustri; feles & canes gramine rore madefacto; coruus virus lauro extinguit: Leæna saluiam manducat ad partus maturitatem: testudines cunilã; mustelæ rutam, accipitres hieracium; columbæ verbenacam; ciconiæ origanum manifestarunt.

XXCIX.
ASTRONOMIA.

NVnquid astronomia ab animalibus boni quicquam haurit? Audi Baptistam Mantuanum.

Astra etiam pluuiasque docent, & certa dierum
Tempora, & annorum. Sic ver cognoscit hirundo.
Alcyones hyemem, ventos & flumina cudunt,
Et tempestiuos campis sitientibus imbres.

Hirundinis namque coturnicis & ciconiæ aduentus redeuntem annum demonstrat, harum, inquam, aduentus æquinoctium vernale; recessus autumnale significat. Cuculus & luscinia cum solstitio æstiuo colorem & vocem mutant.

XC.

XC.

MVSICA.

MVsicam quis dubitat primum homines ab auibus didicisse? quarum sonus in vna perfecta Musicæ scientia editur. Ausculta, quæso, & audi lusciniam, obseruabis pertinacem spiritum, mirificam variamque vocem tam paruo in corpusculo, acutam, grauem, vibrat summam, mediam, imam.

XCI.

PHYSICA.

IN Physicis etiam animalia docent. Hinc tam varia symbola, emblemata, prouerbia, hieroglyphica.

XCII.

THEOLOGIA.

NEc deest Theologiæ ab animalibus vtilitas. Atque vt illas, quas supra memini, sacras sanctasque de Dei creaturis animaliumque virtutibus, meditationes & soliloquia taceam: hoc insuper dicendũ est, quod in nouo veteriq; testamẽto plurimorum animalium fiat mentio, multæq; ab iis similitudines capiãtur, eorumq; alia munda, alia immunda censeantur. Adiice quod animalia nobis insignia probitatis pietatisq; exempla præbeant. Ad castitatẽ turturis & cornicis castitas nos vocat: Ciconiæ & Meropis erga parentes suos pietas, ad pietatem etiam

nostrorum parentum adhortantur: hirundinis, accipitris formicarumq; sepeliendi amor, quē non moueat & moneat? erubescant & pudescant illi, qui parentibus suis pietatis beneficium negant, atque ad cornicis, turturis, aliorumque animalium obtutum rubore suffundantur. Huc refer quoque illud Salomonis, Prouerb. 6.v.6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* Nec non illud Ier. 8.v.7. *Miluus in cœlo cognoscit tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Atque illud Esaiæ 1.v.3. *cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem non cognouit.* Atque illud Prouerb. 30.v.25. & seqq. *formica populus infirmus, qui præparat tamen in messe cibum sibi: Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: stellio manib. nititur, & moratur in ædibus Regis &c.* Et mirū est, quod Deus, in minimis bestiolis, & vt sic dicam, in paruula gutta, vt sunt formicæ, & alia insecta, virtutum exempla dederit, ita vt vix formicæ stabula, apis ædificia, araneæ retia, bombycis stamina homines imitari possimus. His annecte, quod D. Franzius ex Isidoro citat, ipsas scilicet truculentas bestias sæpenumero longissime vitiis superat turpium affectionum ac cupiditatum amator homo. Cum enim vnaquælibet immanior bestia, plerunque vno magno vitio sese diffamet, ibi vnus homo omnium horribilium ferarum vitiis omnibus, cunctis & singulis sese conspurcatum exhibet, quando tor-

uior

uior est boue, calcitrosior asino, salacior equo, voracior vrso, iracundior leone, rapacior lupo, ferocior scorpione, astutior serpente improbior viperis. Superat autem omnem turpitudinem illud, quod nō omnium licet ad imaginem Dei factorum hominum animi tamen à vitiis ad virtutes assuefieri sese patiuntur, cum tamen sæpe legamus & videamus, leones & bestias alias feroces ita fuisse ab hominibus domitas, vt voluntati subiugantis sensu quodam & consuetudine inseruire studerent. Eo magis hoc detestandum est, quod corrigendis & in pristinum statum reformandis nostris animis diuinitus parata sit medicina certissima, vt meliores esse possint, cum beluarum naturis ita mutādis nec omnimoda necessitas, nec parata facilitas adeo constet. *Aranearum* (verba sunt Theodoreti) *labores eruditis operationibus conspicui, annon vnumquemque rationis particula vel minima constantem ad artes itidem varias inueniendas & exercendas inuitabunt? te hortante asinus, mulus, & equus, & camelus onera pro libitu tuo recipiunt, pro lubitu tuo procedunt, pro lubitu tuo impositam molem baiulant, pro lubitu tuo rectores nō lædant; pro lubitu tuo nihil oneris excutiunt, pro lubitu tuo quiescunt, pro lubitu tuo vel paleas saltem, loco pabuli, allatas non respuunt, pro lubitu tuo inflictas plagas citra impatientiæ significationem deuorant. Quanto plus igitur pudere decet hominem inobedientiæ erga mandata diuina multiplicis, cōtumaciæ in prosperis diabolicæ, murmurationis in aduersis impientissimæ? Frenum legis pati non vis? iugum Christi suscipere detrectas? onera Domini*

portare renuis? instar vituli indomiti rectorem spiritum sanctum excutere satagis? Hoc rectore destitutus in barathrum inferni tenet præcipitem pessundabis. Indignam hanc seruitutem esse arbitraris, sincero & vero amore Domino seruire? Iumentorum tuorum erga te obedientiam rigide postulas, obsequium sine contumacia præstare erubescis illi, qui tibi iumentorum subiugauit armenta? *Tu* (inquit vlterius Theodoretus oratione 5.) *exultantem audacia equum & præsidentem sibi domas, & sessorem pati doces, & collum in sublime elatum breuibus lupatis ad pectus animosum inflectis, eundemque instruis insultare solo, & gressus glomerare superbos, ita quin etiam fingis, formas, & reformas, vt & manum & vocem tuam plus quam facilimus sequatur. Tuus saltem labor est, quid velis & optes cogitare, vtrum venationis & belli minister, & magno impetu in hostem irruere debeat, an cum ex acie refugere velis: tunc enim tua iussa capessere, & vt volupe, & fas est, vt nimirum aut in armatos hostes pro te ferociat, aut quasi deposita audacia ex persequentium manibus fugiendo te eripiat. Tuo iussu, ô homo, elephantus*, vel mediocribus collibus *similis tamen tuo imperio & nutui subditur, & turres armatorum in aciem portat tuo iussu. Ecce cogita apud animum tuum, quantæ bestiæ tibi pareant & obediant, & hoc pacto simul eum, à quo tibi hoc dominium traditum est, perpetuis laudibus celebrant. Tu igitur, ô homo, erga Deum tuum obedientiæ, patientiæ, pietatis, honoris studiis omnibus potius talem temet præbere gestias.* His istiusmodi considerationibus fugere debemus vitia illa, quæ in brutis ipsi execramur, & quomodo summis studiis

(vt

(vt ille loquitur) æmulari & in vita exprimere debemus virtutis actiones, quarum simulachra in iisdem bestiis ratione destitutis collaudare consueuimus. His consideratis multo plura ex sacris literis de animalibus mihi in mentem subueniūt; vt, ecce, illæ bestiæ quibus quatuor Danielis monarchiæ comparantur, (c.7.v. 3.) Chaldaica, quæ leoni & aquilæ; Persica vrso; Græca Pardo; Romana bestiæ multiplici. Ex eodem Daniele (c.8.v.3.) in memoriā incidit Persicum imperium, quod arieti confertur; & Græcum quod capro, atque hoc ideo, inquit Franzius, *quia vt in capris est alacritas, ita etiam in Græcia summa fuit industria.* Excitant porro visa animalia mihi memoriam historiæ Noe, quod ille supra annum cum omnis generis animalibus in arca super aquas ambulauerit. Nec non historiam de Bileam (Num. 22. vers. 22.) cum sua asina. Redintegrant itidem visæ hirundines memoriam historiæ Tobiæ; atque apes, historiam de Simsone, Iud. 14. v. 8. ænigmatice inquirendo generationem apum; pisces historiam prophetæ Ionæ; serpens, illius Genesis: 3. vers. 15. *conteret caput serpentis.* Et alia animalia in memoriam inducunt alia, atque inprimis Patriarchæ Iacobi testamentum, Gen. 49. vers. 9. vbi Iuda *catulus leonis* dicitur, ibidemque vers. 10. & illud; *non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat Siloch, & alligabit asinum &c.* item v. 14. *Issachar sicut asinus fortis:* item v. 21. *Nephthali ceruus emissus:* itidem vers. 17. *fiat Dam coluber &c.*

Recor-

Recordationem visa animalia insuper afferunt, quomodo Esau ius primogenituræ amiserit. Gen. 25. v. 29. & seqq. & patris benedictionem, duasque sorores sibi coniuges acquisierit, Gen. 26. v. 34. & quibusnam ab animalibus mala plurima Pharao perpessus sit; atque istiusmodi ex veteri testamento historias multas alias. Nec dicam, quod in nouo testamento quam plurima similia occurrant exempla, vbi Christus seruator noster agno comparatur, & gallinæ secundum illud Matth. 23. v. 37. *quoties volui te congregare, sicut gallina pullos suos congregat?* Diabolus lupo Ioh. 10. v. 12. & leoni 1. Pet. 5. v. 8. vbi Spiritus sanctus in forma columbæ apparuit; neq; cætera in medium traham. Viden, mi Iuli Porphyri, ad quid animalia conducant? nunquid ad Grammaticam, Rhetoricam, Poesin, Ethicam, Oeconomicam, Politicam, Agriculturam, artem Architectonicam, artemque Nauigatoriam, Astronomiam, Musicā, Physicam, & Theologiam? paululum, quæso, hic siste, haud diu te morabor, nec animaliū excellentibus proprietatibus siue naturis longam addam pompam.

XCIII.
ANIMALIVM PARTVRIENtium certi temporis notatio.

SAltem hoc annectam, & leui breuique calamo attingā, quod vtilia & necessaria animalia breui

breui,minus vtilia longiori tempore pariant:vt ecce oues quinque mensibus, cerui octo mensibus,boues nouem mensibus, sues 60. diebus, sicut etiam canes, feles 50. diebus, elephanti duobus annis,leones,lupi, vrsi tribus annis.

XCIV.

DIVERSORVM ANImalium vitæ spacium.

Viuunt etiam, secundum Franzium Gesnerum, Vlyssem Aldouandrum, & communem autorum opinionem, alia diutius, alia minus diu, Elephanti 300. annos, Cameli 100. equi 50.columbæ, 40. pauones 25. boues, canes, porci 10.perdices 17.oues 11.capræ 10.lepores, mures,apes, vespæ 6.annos.

XCV.

BRVTORVM ANIMAlium plerorumque sensuum supra humanos excellentia.

Adiice, quod bruta animalia pleraque sensu externo communi φαντασίᾳ & memoria homines præstent vti vulgo dicitur:

Nos aper auditu,lynx visu,simia gustu,
Vultur odoratu,nos vincit aranea tactu.

Atque

Atque ideo (vt Franzius docet) non tantum externos, sed etiam internos sensus brutis natura, id est, Deus, dedit acutissimos, quia denegauit ipsis rationem, vnde sensus præsertim interni sunt ipsa, si ita loqui liceat, rationalitas, quædam brutorum. Per sensum communem enim non tantum comprehēdunt imagines omnium obiectorum, quæ offeruntur per sensus externos, verum etiam inter illa distinguunt. Deinde per cogitationem seu phantasiam, tum in somno, tum alias animalia imagines obiectorum acceptas recolunt, examinant & repetunt, altiusque considerant. Denique per memoriam bruta altius consideratas imagines obiectorum cerebris, vel illi, quod est loco cerebri, firmissime imprimunt, & post longum interuallum reminiscuntur.

XCVI.

NATVRÆ DEFECTVS in animalibus compensatio.

AD oculum porro comprehendimus, vbi natura certis animalibus quendam sensum negauit, quod iisdem in aliis satis compensauerit. En tibi talpam, qui haud videt, tactu tamē maxime valet; dein testudinem, licet illa debilē habeat visum, natura, id est, Deus, dedit cornua carnea, seu præeminentias carneas, quibus viā sibi poteſt quærere, & ita præsentire, & præcauere pericula & impedimenta occurrentia.

XCVII.

XCVII.

ANIMALIVM MEMBRORUM mira diſpoſitio.

ET ſunt inſuper animalium ſingula membra tam bene & proprie diſpoſita, & formata, vt ad diuerſa officia illis vti poſſint. Caput rotundum & in eminenti loco poſitum eſt, vt ita melius oculis obiecta comprehendere poſſint, ſupra illud crines, criſtas, cornua non ornamenti ſolum, ſed & defenſionis ergo prouida natura plantauit. Aures concauitatis planæ ſunt vt eo melius per reflexionem voces comprehendere poſſint. Oculi aquoſi ſunt; vt melius rerum ſpeciem percipere poſſint. Longis canalibus nares habent, vt eo melius odores retinere poſſint. Roſtra & ora pro victus ratione ſiue defenſionis, vel longiora, vel largiora & magis curua, vel grandiora, vel minora ſunt; aliquibus animalibus roſtra ſunt duriora, vt in terra cibum quærant; aliis ſunt ora plana, vt gramineos campos depaſcant; aliis ſunt roſtra oblonga, vt eo melius prædam capiant; aliis roſtra ſunt acutiſſima, vt melius grana colligant. Quędam longiſſimum collũ ad cibum ex aquis aliiſq; locis quærendum habẽt. Quædã fortiſſimum pectus inſtar bellicę armaturæ, acceperunt. Aliis ad promtiſſimum volatum ſunt alæ. Quibuſdam inſtar ſolidiſſimarũ columnarũ longiora; aliis tenuiora teneriorаq;

ad

ad saltandum crura sunt: aliis breuiora graciliora que sunt, vt in terra repere possint. Alia oculis destituta sunt. Alia pulmonibus carentia, quia natura sunt frigida, nec per respirationem opus habent refrigeratione. Aliis dedit ingeniosa natura ad defensionem suam fortissimas maxillas; aliis fortissimam frontem: aliis terribiles spumososque dentes; aliis torua & torta cornua.

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum.

Aliis valentes leuesq; pedes; aliis arcuatos fornices & testas; aliis duras vngulas; aliis lunatos & falcatos vngues; aliis dura & adunca rostra.

Bella gerunt rostris & aduncis vnguibus iras:

Aliis dedit solertissima natura arma alia. Hisce suis membris & armis tam bene & dextre vti sciunt, vt summa admiratione sæpissime obseruauerimus, & quasi rationis particulam habere videantur. Ast plura de animalium ingenii dotibus hic non pangam, quia supra iam feci, satisque superque dixi, quod tantam habeant prouidentiam, tantam sapientiam, solertiam & artem. En tibi artificiosas pendulas illas araneas, ingeniosas apes, sedulas formicas, vtiles bombyces, garrulas hirundines & innumerabilia solertissima animalia alia.

XCVIII.

XCVIII.

ANIMALIVM BRVTOrum rationis particulæ, siue vmbra, & virtutum simulachra.

HOc tamen tibi, mi Iuli Porphyri, dicam; quod multi homines, qui more hoc meo animalium naturas, proprietates & virtutes contemplati sunt, ipsorum, inquam, solertiam, prudentiam, temperantiam, pietatem, iustitiam, ita admiratione percussi sunt, vt nullum animal esse brutum asseruerint. Et scribit Plutarchus de solertia animalium hæc verba: *Proinde etiam animalia cætera, quia tardius intelligunt, minúsque rectè ratiocinantur quam homo, non ducemus omni ratione atque intelligentia carere; sed eam possidere imbecillem atque turbidam, sicut oculum lusciosum & & distortum, ast μίμημα scilicet, æmulationē, vmbram; seu qualemcunque ratione imaginem.* Et, si Maiolo credimus, rationem soli homini esse, *quâ bona à malis; & vtilia ab inutilibus internoscant, finemque in quem omnes actiones dirigantur, causasque per scientias perdiscit solus ex omnibus animalibus homo. At nihilominus vti solent homines à ratione sæpissime discedere, ita animantibus sese persimiles efficiunt. Quamobrem* (ita pergit Maiolus) *bruta à Deo ita procreata sunt, vt singulis vitiis compàrentur, discatque inde homo ex proprio vitio cui beluæ sit comparandus.* Deinde etiam in iisdem brutis natura quasdam virtutum inseruit

imagines, vt ex eis etiã homo ad virtutũ cultum longe magis excitetur: ita nec in illis sunt veræ virtutes, sed tantum (vt ille loquitur) simulacra virtutũ, imagines seu vmbræ pietatis, prudentiæ, sedulitat s, fidelitatis & simil ũ virtutũ in educatione fœtuũ, in exstruẽdis nidis & latibulis, in peruestigandis alimentis, in sanandis morbis, in fuga periculorũ, in amorẽ speciei, in prognosticis tempestatũ edendis & discendis multis operibus mirabilibus & similibus prope infinitis.

XCIX.

AVIVM SVPER CÆTERA bruta animalia excellentia.

QVoniam igitur auium aliquanto sublimior natura videtur, cùm suprema semper petãt, & cœlum quasi inhabitent, à terrenis rebus se longius remouentes, rationis symbolum aliquod supra reliqua quæcunq; animalia vid̃e̾ ut habere, propterea sola auis ad loquendũ docilis, ideoq; reliqua animãtia muta dicuntur, quæ nil aliud sciunt, quã mugire, rugire, rudere, hinnire, latrare, balare, vncare, barrire, gannire, rãcare, orcare, glocitare, grunnire, caurire; frendere; aues autẽ mutæ nõ dicuntur, quia non solum variis cantilenis aures nostras permulcẽt, & zinzizulãdo, minurizãdo & sibilando mirificè delectãt, verũ etiã hominũ verba sæpe referunt, & humanas voces imitantur: idq; apertissime in multis, & præcipue in cornicib. videmus, coruis itidẽ, graculis, turdis, sturnis, lusciniis, & psittacis.

cis. Cœleste animal creatũ est auis, & in sublimi positũ, vt ita melius à mortalibus cerni, audiri, laudibusq; tanquã cæteris animalibus superior & perfectior celebrari possit. Libertatẽ auis aspiciens, multũ aliud animal, sit terrestre, sit aquatile, inuenio, quod illi æquiparare possim. Licet enim pisces maxima libertate frui videãtur, tamẽ est libertas certis locis limitata, ex fõtibus, stagnis, lacubus, paludibus, fluminibus, marib. Viuãt porro insigni libertate terrestres, feræ, marginata tamẽ & limitata est libertas, nec facile & sine maximo periculo exire possunt ex suis speluncis, syluis, lucis, vallib. auis vero, quasi sine terminata libertate, & cæterorũ brutorũ animaliũ instar Principis siue Regis nulla detinetur spelunca, nulla aqua, nullo mari, nulla sylua, nulla prouincia, nullo regno, nullo imperio, sed liberrima supra omnes colles, valles, mõtes, cãpos, stagna, flumina, maria, prouincias, regna, imperia & omnes terrarũ plagas. Merito igitur admirãda est auis & celebranda, ꝙ natura sua tã velox, tã potẽs, tam libera. Superat insuper auis terrestria animalia leuitate & celebritate, superat visu, auditu & odoratu. Adiice, ꝙ omnis auis duos habeat motus, volatũ scilicet & progressum: terrestre animal tantũ progressum. Excellit & cætera animalia variis virtutib. magnanimitate, falcones; liberalitate, aquilæ; castitate, turtures: psittaci quasi τῶν γραμμάτων grues astutia; ciconiæ & meropes, pietate; cygni, fortitudine; aliæ præualent augurio; aliæ virtutibus aliis.

Oculos porro ad auium pulchritudinem paulum vertamus, atque ad ipsarum varios colores. En candorem & albedinem Cygni, nigredinem corui, auratas pennas pauonis, splendentes alas columbæ, gemmeam, oculeam, sidereamque pauonis caudam; nec non infinitarum auicularum diuersos mirosque colores alios. Instaurant porro aues cantilenis suis mortales passionibus languidos, & super omnis generis harmonia concentu suo delectant: lætiorem auroram, delectabilius ver, iucundiores syluas, lucos, hortulos, prouincias, Principum Regumque arces, imo cuncta, vbi videntur & audiuntur, loca gratiora reddunt. Huiusmodi auium excellentiam & nobilitatem considerantes antiqui ethnici ad simulachrorum, idolorum suorum, latera aues posuerunt: ad Veneris columbam & Cygnum; ad Iunonis, pauonem; ad Apollinis, coruum; noctuam, ad Mineruæ; picum ad Martis; aquilam ad Iouis; & ad Solis, phœnicem. In summa ipsa natura auibus tam amica & liberalis fuit, vt easdem maxima libertate dotauerit, & tanta tamque excellenti pulchritudine decorauerit, vt totum terrarum orbem ornent. Tanto sunt ingenio præditæ, vt homines multas artes docuerint; adde quod aues nobis insignia probitatis, & pietatis viua exempla præbeant. O stupendam Dei sapientiam, quæ tam in minuto animalculo tot & tam excellentes virtutes seminauit. Vides, mi Iul. Porphyri, quomodo philosophans animus secum de admirandis

mirandis Dei creaturis loquitur? nec dici potest, quantos stimulos istiusmodi meditationes in cor iniiciant, illud erigant, promptum reddant, ad laudandum & celebrandum creatorem & omnium conseruatorem Deum, sint illæ, siue de animalibus sanguineis, siue exsanguibus, volatilibus, seu natatilibus, gressilibus seu reptilibus, viuiparis seu ouiparis, aereis seu aqueis siue amphibiis, societatem diligentibus seu fugientibus, domesticis seu syluestribus, pedes seu alas habentibus, siue carentibus, in summa de omnibus & singulis. Longiorem hunc sermonem texere, atque reliquarum auium admirabiles naturas, proprietates & virtutes describere possem, nisi hæc sufficere scirem, ex quibus vidisti, atque exemplum à me habuisti, quomodo cum animalibus solus ruri spacians colloqui & philosophari poteris. Quodlibet enim animal, quælibet auicula, si probe & fideliter eam interrogaueris atque examinaueris, respondebit, & sapientiam, potentiam & prouidentiam Dei te docebit. Quare non operæ pretium esse duco, pluribus de philomela scribere, quæ (vt Plinius lib. 10. c. 29. scribit) *diebus & noctibus continuis cantillat, cui tanta vox tam paruo in corpusculo, gutturculoque adeo angusto, tam clara, tam suauis, tam magna, tam varia vox reperitur, & tam pertinax spiritus, in qua vna sonus in perfectæ Musicæ scientia editur: & nunc in continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex*

 inopina-

inopinato, interdum & secum ipse murmurat, vbi visum est, vibrat, iā sonus est grauis, acutus, extensus, summus, imus, medius, omnia tam paruis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominū vix excogitauit: mille voces figurat, fibrat, crispát, idq; tanto certamine, tantoq; studio, vt victa, morte sæpe vitam finiat. Hic tamen attexendum Gruteri carmen, quod philomelæ suauitatem in canendo declarat, principemque volucrum appellat.

Tu quoque tu volucrum princeps, philomela, latere
Quā sub ramo aliquo querquera cogit hyems,
Prodi, age, de tenebris, & si quod amicius olim
Innumeris numeris & meditata melos,
Id nunc ne magni graue sit victoris adornans
Gutturis omnifidis totum iterare tonis.

Huius auiculæ virtutes & encomia prosequi, & recensere superuacaneum, tum quod ipsamet tibicen est, & qualis sit, cantu suo ipsa declarat, docet, prædicat: tum quod eius laudes & poetæ & cæteri scriptores passim celebrent. Nec addam quicquam de campestribus alendis, quæ singulari arte & industria in segetibus, ita nidos constituūt, vt & pueros & accipitres facile fallant. Sidereumq; pauonem silebo, qui formositatis sibi conscius, tumque inprimis pennarum flabellū erigat & rotet, cum plures ad se speculatum accessisse animaduertit, de quo testantur historici, qꝫ Alexander, re nomineque magnus, pauone primo in India viso admiratus fuerit, atque edicto cauerit, ne quis tā speciosum animal interficeret. Nec multis passeꝛū naturā ingeni-

umq;

umque exprimã, quod animalia sint timidissima & ingenio sagacissima, q̄ ideo in vrbibus & domorũ fastigiis nidificent, quia homines amore prosequuntur, vel propter spẽ futuri auxilii cõtra suos prædones, videlicet accipitres. Scribit enim Ælian⁹, passerculũ ab accipitre vehemẽtius impetitũ in sinum Xenocratis deuolasse, & in eo tuẽdi sui causa hæsisse, quasi nõ esset ignarus, accipitrẽ conspecto homine regressuiũ; neq; de eiusdẽ libidine, salacitate & coitu plura attexã, qui scii. semen emittat, non tantũ si viderit fœminam, verum etiam, si vocem audierit, de quo Scaliger ita scribit: *passerculũ, inquit, vidi in cauum quoddam plus decies ad fœmellã, quam iniret, ex aduerso muro, pusillis interpositis momẽtis aduolasse; ego vero sæpius in passerculũ fœminã longe minori temporis interuallo, sæpius cõpreßisse obseruaui.* Hanc ob rem puto Pliniũ (lib. 10. c. 36.) scribere, passerũ minimũ vitę esse: & negare, mares anno diutius viuere, quia nullã veris initio apparere nigredine in rostro, quæ ab ætate incipiat. Albertus quoque dicit: marem à tempore coitus nõ plus vno anno viuere. Nec sermocinabor de mira stupendaq; columbarũ turturumq; castitate, quareque viduus hic factus frondenti ramo nõ amplius insideat, nec ex limpido fonte bibat. Et breuitati studens reliquas omnes auiculas silentio præteribo. Satis superq; ex hisce paucis perspicere poteris, quomodo cũ cæteris animalib. colloquor & philosophor, sint aues, sint quadrupedes, sint vermes, sint pulices, sint pisces, sint fluminũ mariumq;

monſtra; & nõ minus in aquatilibus, quam reliquis, quæ vel cœlo libero fruuntur, vel in terra gradiuntur, & conſideratione, & celebratione (niſi ob molem humoris infirmiora, languidiora & ſtupidiora aquatica animalia dicantur) digna eſſe, quæ plurima comprehendantur.

C.

DE PISCIBVS.

VAriis hiſtoriis quoque conſtat, piſces in viuariis ſeminatos cicurari poſſe. Eſtq; ſumma & acerbiſſima inter piſces inimicitia. Orca (vt Danæus perhibet) balænam ita infeſte perſequitur, vt non prius eam deſerat, ſi ſemel aggreſſa fuerit, quam cum partu trucidarit. Mugil & lupus mutuo odio inter ſe flagrant. Conger & muræna caudas inter ſe prærodunt. Ad polypi conſpectum locuſta moritur. At contra Thynnorum mira eſt inter ſe ſocietas, item echini & murænæ, item balænæ & muſculi, qui eam oculis orbatam propter pondus ſuperciliorum (quæ habet balæna in oculis denſa & varia) ducit per infeſta vada. Mira item piſcium in venando induſtria, velut paſtinaca, quæ cum ſit tardiſſima, mugilem tamen velociſſimum, radium ſuum facit tranſeuntem. Mira denique in prædicanda cœli & maris & anni tempeſtate aut ſerenitate ſunt piſcium auguria, vt delphinorum, thynnorum, echinorum. Sed quis

quis ista, quanquam ad Dei gloriam spectant, omnia enarrare queat? duplo maior est in piscibus, quam in reliquis brutis animantibus fertilitas, fœcunditasue. Sunt enim fœcunda mirum in modum omnia piscium genera. Itaque sine numero esse dicuntur. Psal. 104. v. 25. quod idem de terrestribus animalibus & volatilibus non pronunciatur. Et Plutarchus ipse, scriptor longo rerum vsu edoctus, tradit, etiam marinos pisces longe esse terrenis animalibus fœcundiores, additque rationem. Nam in humido elemento quum sint, facile concipiunt, & quidem magno numero: ex quo fit, vt pisces etiam fœminæ sint maribus piscibus maiores, propter copiam humoris. Quædam piscium genera bis in anno pariunt, vt saxatiles omnes: quædam ter, vt chaleis: quædam sexies, vt Cyprinus. Cæterum vt de hoc quoque dicamus pisces attritu ventrium coeunt, & quidem tanta celeritate, vt visum fallant. Fœmina coitus tempore marem sequitur, cuius ventrem rostro pulsat: contraque mas partus tempore fœminæ ventrem irritat, vt oua emittat. Ouis suis non incubant. Pisces non laboriose fœtus suos alunt, nec nidificant; sed ouum ab iis acceptum mare fingit in piscem, & alit. Visis porro piscibus in memoriam nostram redit, quod apud Romanenses historicos est legere, piscationis scilicet studium tanto apud Romanos in precio habitum, vt peregrinos & Italis littoribus ignotos pisces è longinquis prouinciis aduectos nauibus in

mari Italico, tanquam in terra fruges seminarent, hoc fine, vt omnis generis piscibus remp. prouiderent; præterea piscinas & pretiosissimis piscib. refertas magnis, Dii boni, sumtibus summa arte & elegãtia instruxerũt. Quarũ cadauera siue reliquias olim Romæ ipse oculis summa cũ admiratione vsurpaui, è quibus pleriq; Romani Principes familiæque nomina traxerunt: vt Murænæ, Licinii, Oratæ, Sergii. Hinc & Cicero Lucium Philippum, Hortensiumque appellitabat piscinarios. Nero, teste Suetonio piscatus est reti aurato è purpura cocconexis funibus. Legimus & Octauium Augustum hamo piscari solitum. Hoc insuper à me apud historicos obseruatum, neminẽ vnquam mortaliũ piscem in sacrificiis immolasse. Natantes in mari pisces contemplans, cogito, mortales piscibus esse simillimos, qui in hoc vasto, fluctiuomo, tumultuoso mundano mari huc illucq; sine principe vagantur, & in hoc amaro peccatorum pelago oberrant, dolorum & mœrorum poculum bibũt. Et sicut pisciculi à piscibus deuorãtur suntque esca grandiorũm, ita quoq; potentes homines minores & debiles deglutiunt, comedunt, perdunt. Idem obseruauit propheta Habacuc, ita (c. 1. v. 13.) lamentans: *Domine, quare respicis super iniqua agentes, & taces, deuorãte impio iustiorem se? & facis homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habẽs principem. Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suũ. Super hoc lætabitur & exultabit.* Sicut porro piscium cauda ipsis natandi

natandi gubernaculum est, ita quoque hominibus cauda, hoc est, consideratio finis omnium nostrorum operum directorium & gubernaculum esse debet, secundum illud:

Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem.

Adiice, quod mortis considerationem semper animo mouere debeamus. Consideratione enim illa, & ope Spiritus sancti præparatur via, vt tandem ex hoc doloris & mœroris salso & naufrago mari, in quo infauste & infeste iactamur, quatimur, terimur, premimur, molestamur, vexamur, cuius afflictiones nos miseros misere tangunt, angunt, perturbant, infestant, macerant, lacerant, vbi frigemus, rigemus, calemus, dolemus, voluimur, reuoluimur, corrumpimur & abrumpimur, ad æternæ vitę tranquillissimum & felicissimum portum perueniamus. Huc ille nos vocat: *in omnibus*, inquiens, *operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.*

C I.

AVIVM ET PISCIVM cognatio.

PRo horum animaliũ sermonis clausula, hoc ex Danęo asscribendum operæ precium esse duo, postquã aues, vti & pisces, ex aquis productæ & creatæ sint, ideoq; magnã volatiliũ cũ natãtibus siue piscibus esse affinitatẽ. Primũ enim in eo cõueniunt, ꝙ pene eodẽ modo incedant. Nam volandi vsus, ait D. Ambrosius, est species

quædam

quædam natandi. Itaque vt aues habent alas, ita pisces pinnas, recteque & docte dixit quidam, (Verg. 1. Æn.) *remigium alarum.* Vt enim totum corpus vno conatu auferunt pisces, ita & aues. Deinde, vti squammæ piscibus sunt multæ, sic plumæ auibus, quæ sunt copiosi humoris in vtrisque excrementa. Tertium, quod vti aues, sic & pisces cauda viam atque iter suum, illæ quidem in aere seu expansione, hi in vndis degunt, flectunt, & moderantur. Quartum, quod vti in piscibus, sic & in auibus aures & oculi sunt vt plurimum sola foramina quædam. Quintum, quod palpebram inferiorem duntaxat mouent & pisces & aues. Sextum, quod vtrumque hoc animalium genus vesica caret: quia omnes humores in vsum & tegmen corporis magna Dei & sapientia & prouidentia in vtrisque conuertuntur. Denique aues ex materia humida ortas esse, vel ex eo potest effici, quod cum sint calidissimæ naturæ, potu tamen exiguo contentæ sunt. Et testatur Moyses, Gen. 1. v. 20. 21. à Deo volucres ex aqua creatas esse. *Dixit* enim *Deus: producant aquæ reptile super terram sub firmamento cœli.* Hæc pro tempore de auibus dicta sufficiant, vbi breuibus & vndarum sobolem, Neptunique regna innantes piscium greges attigimus.

CII.

CII.

NOTANDA HOMINVM ET brutorum animalium collatio.

IN genere de animalibus, pro fine hic pauca addam notanda, quod scilicet quamplurima sint, quæ in genere de animalibus dicta sunt, ad homines accommodari possint. Sicut enim quatuor sunt animalium terrestrium genera, rationalia scilicet, siuè homines; reptilia, bestiæ, iumenta: ita quatuor esse hominum genera. Primi generis homines quod attinet, sunt illi vere homines, prudentes, sapientes, pii, probi: secundi generis sunt illi, qui in auaritia & bonorum terrestrium caducorum cupiditate repunt & serpunt: tertii generis sunt voluptarii illi perpetuis feriis vitam consumentes, propter vitam viuentes, stertentes, oscitantes, voluptantes, luxui & ocio indulgentes, vitiisque & deliciis cuticulam, vt aiunt, curantes:

Hi sacra rapiunt, nulla dant, sibi viuunt.
At non sibi moriuntur: at sibi regnant,
Sibipropinant. sibi viuunt, sibi stertunt.

Quarti generis sunt illi, qui iumentorum instar conciuibus suis variis officiis sunt auxilio & adminiculo, quo & agricolę sunt numerandi, quibus non laborantibus cæteri mortales fame & inedia mori necesse est. Et scribit Ægidius Albertinus reptilium, terrestrium animalium tres

esse species siue genera, alia repere seq; trahere ore, vt vermes: alia serpere & latusculorũ motu se promouere, vt serpẽtes: alia pedibus repere, vt locustæ: simili quoq; modo in hoc terrarum orbe tria esse reptilium hominum genera, ad dignitates, pompam, honores & gloriam sese promouentia, experimur: quidam ore & adulantibus se protrahunt verbis: quidam vi & virtute laterum, potẽtum amicorum, alii propriis pedibus, hoc est, proprio improboq; labore & sudore industria & diligẽtia prorepunt, proserpunt, procedunt. Bestias quod attinet, sunt illæ animalia illa, quæ potestati nostrę subiecta sunt, & *bestia*, quasi *vastia*, à vastando dictæ sunt; aliæ enim vastant vulnificis dentib. vt apri; aliæ vncis vnguibus, vt leones; aliæ tortis cornib. vt cerui; illis bestiis similes inhumani illi tyrãni, homines qui proximos suos variis modis superbię siue iurisdictionis suę cornib. cauillationum & calumniarum dentibus, atq; executionis vnguibus vastãt, destruũt, perdunt. Et sicut inter bestias aliæ aliis sunt feriores, & ferociores; aliæ aliis mansuetiores & mitiores; ita inter tyrannos, alii aliis sunt inhumaniores, truculentiores & immisericordiores; alii mitiores, leniores, affabiliores. Secundũ complexionẽ sunt animalia, alia lentæ naturæ, vt tauri; alia alius; asinus ignauus & stultus est, vulpes astuta & dolosa, lupus dirus & infestus, equus animosus & generosus, canis fidelis & gratus; itidẽ hominũ mores sunt diuersi & distincti secundum naturæ complexionem; aliæ

nimi

enim læti, vt tauri, alii ignaui & stulti vt asini, alii astuti & dolosi vt vulpes, alii diri & infesti, vt lupi, alii animosi & generosi vt equi, alii fideles & grati vt canes. Alia porro animalia diligunt societatem, & gregatim incedunt, vt cerui, cameli, oues, boues, porci, tauri; alia societatem fugiunt, vt aues vncis vnguibus (quas Germanice *Raubvogell* id est, *aues prædatrices*, appellamus) & cæteræ bestiæ ex raptu viuentes & araneæ muscas prædantes; ita quoque aliqui homines societatem appetunt, & vniti piè tranquilleque viuunt; alii societatem oderunt, fugiunt, & præsertim illi qui raptu viuunt, & proximos suos decipiunt, deludunt d. fraudant. Nutriuntur animalia variis cibis. Alia carnem tātum vorant, vt leones & lupi; alia tantum gramen vescuntur, vt tauri & cerui; alia cōmuniter ingluttiunt omnia, vt canes & vrsi; alia liquore viuunt, vt melle apes, & muscarū humore araneæ. Hominum quosdā etiā animaduertimus carne, hoc est, præda & raptu viuētes, leonis instar & vrsi, & sunt illi tyranni; alii terrestribus, mundanis & caducis suis susten-ātur bonis, taurorum instar & ceruorum, & sunt illi locupletes, multorum bonorum possessores; alii humores sugunt & ligurriunt, hoc est, crapulæ, gulę, ventri, pudendis & aliis voluptatum illecebris indulgent, turpiter, effœminate & dissolute (vt dicitur) in diem viuunt, & vocantur illi voluptarii & Epicurei; alii communiter victitant de omnibus (vt sic loquar) edulis, hoc est, carne tyrannidis delectan-

delectantur, humore voluptatis vescuntur, & bonorum suorum reditibus soli vtuntur fruuntur. Sicut denique animalia vario modo bibunt; alia enim lingentia potum attrahunt, vt canes; alia sugentia, vt sues; alia mordentia vt vrsi; ita quoque homines diuerso modo mundanorum bonorum calicem hauriunt; alii adulatorie lingunt, alii labore & industria iugunt; alii truculenter vi vastant, spoliant, rapiunt.

CIII.
ANIMAL OMNIVM CREATurarum mundanarum creatura nobilissima.

COntemplari, considerare, & speculari hic mecum, mi Iuli Porphyri, in genere animalia perge: si animi corporisque oculis tuis probe ea inspexeris, profiteri meum cogeris, quod animal sit omnium creaturarum mundanarum creatura nobilissima. Prædices licet & laudes cœlum, quod sit corpus incorruptibile; & animal, si bene examinaueris, incorruptibile quoque esse reperies, quantum ad speciem, puta, haud quantum ad indiuiduum. Aurum, argentum, cæteraque preciosa metalla, licet sint corpora perfectissima, & totius vniuersi decora; vita tamen carent, qua animal est dotatum & ornatum. Plantæ licet perfectam vitam, sensum tamen non habent, qui animali non deficit.

Quid

Quid multum? intelligentię animal regunt, cœli ſuas virtutes immittunt, elementa, quod habent optimum, impertiunt. Cum cœlo in multis animal conuenit; conuenit etiam cum elementis, ſed quoad humores; cum miſtis quoque, quo ad materiam & formam corruptibilem; cum plantis, quoad vitam vegetatiuam; cum homine, quo ad ſenſum, qui ſolus brutum animal rationis talento ſuperat. Dotatum porro eſt animal carne, propter ſenſum tactus; neruis propter motum; oſſibus, propter corporis ſuſtentamentum; medulla, propter corporis vigorem; cartilagine, propter oſſium copulationem. Oculum illi natura dedit, vt videat, guſtum, vt corpus nutriat; aures, vt ſonos percipiat; nares, vt quaſi per canales odores attrahat, & capitis ſpurcitiem emittat. Caput inſuper illi eſt quaſi omnium ſenſuum rupes & theſaurus; pectus quaſi fortiſſimum cordis ſcutum, pedes, quaſi totius ædificii firmiſſimæ columnæ; corpus, quaſi nutrimenti locus; cor, caloris vitalis fons eſt. Cerebro inſuper dotatum eſt, propter rerum impreſſiones; pulmonibus, ad cor refrigerandum; iecore, vt ſit receptaculum humoris sanguinei; felle, vt ſit receptaculum humoris melancholici; veſica, vt ſit receptaculum humoris aquoſi. Venas habet, vt ſint meatus, per quos ſpiritus vitales per totum diffundantur corpus; ſtomachum, ad digeſtionem; ſiue cutem pellem, ad operiendum corpus.

M CIV.

CIV.

ANIMALIVM ARMA.

ET vt prouida natura animal tantum redderet pulchrius, non omnia animalia vno eodemque, sed vario decorauit colore, nec vnis iisdemque (vt iam supra diximus) sed de diuersis ipsi prospexit armis: vt aliis curuata & lunata dedit cornua; aliis acutos & aduncos vngues; his duras & obliquatas vngulas; illis validos & spumosos dentes, aliis venenum; aliis arma alia, & quibusdam in currendo velocitatem, vt inimicorum suorũ pericula euadere possint. Ast quia nimirum excellens est animalium inter cæteras creaturas nobilitas, & meum ingenium nimis aridum & crassum, vt de animalium dignitate non satis scribere possim; & quia cum sim breuiterque animalia attingere, nec sinuosis verborum anfractibus tuas, mi Iuli Porphyri, aures suspensas tenere, neque ambigiosis verborum inuolucris te remorari constitui: hic subsistam, & cætera ad hanc rem pertinentia silentii velariis inuoluam.

CV.

SEXTA DEAMBVLATIONum ruralium vtilitas: Plantarum contemplatio:

SEd heus tu, mi Iuli Porphyri, postquã hisce diebus nonnunquam hortulos perierim, operæ precium esse duxi, vt de iis etiam philosophiam meam aperiam, tibique de iisdem philosophandi ansam præbeam.

CVI.

CVI.
HORTI, ET QVIS VERVS hortorum vſus.

PRimum, cum horti nomen mihi in mentem venit, commemini Latinis *hortus*, quaſi *ortus* dici, quod in horto omnis generis ſtirpes oriantur & creſcãt, vel quod ſemper ibi aliquid oriatur, & nunquam ſit ſine fructu. Viſis hortis, quis verus hortorum vſus ſit, cogito: & qui illum Lipſius deſcripſit, memoria repeto: cuius aureã deſcriptionem (quam nemo elegantiori penicillo facile depinxerit) hic recitare geſtit animus, calamus; quam tu animique corporisque curioſo & intẽto oculo leges: *Amas*, inquit, *amas loridam hanc purpureamq́; nympham: ſed vereor ne ames mmodeſte. Hortos enim laudas, ſed ita, vt vana pleraq; in is mirere, aut externa; vera & legitima eorum gaudia oittas. Colores enim dũtaxat auide inſpicis & in puluil- quieſcis, & flores petis à noto ignotoque orbe. Obſecro vt uid? vt ne te quoque eſſe ſciam in hac ſecta, quæ exorta die male curioſorum hominum, male feriatorum? qui n optimam ſimpliciſſimamque inſtrumentum duorum iorũ fecerint, vanitatis & Torporis. Hac enim ſine ha- t hortos. Herbulas aliquot & flores exoticos ambitioſe uirunt, & quæſitos ita anxie fouẽt & tuentur, vt nul- vater ſuũ gnatum. Hi ſunt quorum literæ in Thraciã, ciã, Indiã diſcurrunt; idq́; ſeminis exigui, aut bulbuli a. Hi quibus ægrius ſit florẽ aliquem nouũ mori, quam rẽ amicum. Romanum illum riſerit aliquis, qui piſcẽ n atratus luxit? iſti plantam. Iam ſi quis ex his Floræ tatis nouius aliquid aut rarius nactus ſit, vt oſtẽtat?*

 vt alii

vt alii competitores æmulantur? inuident? è quibus non nemo tristior domum discedit, quam olim in Præturæ petitione victus Sylla, aut Marcellus. Quid dicam, nisi hilarem hanc quandam insaniam esse, nec absimilem illi puerorum pallentium & rixantium circa pupas suas & sigilla? At eorumdem industriam in hortis etiam cognosce. Sedent, circumambulant, oscitant, dormiunt. Nec aliud prorsus, vt non ocii sui secessum hunc habeant, sed desidiæ sepulchrum. Profanum genus! & quos iure arceam ab orgiis veri arcanique horti, quem modestæ voluptati natum scio, non vanitati; quieti, non torpori. An ego tam leuis, quem efferat aut deprimat herbula aliqua rarior siue adepta, siue amissa? Imo æstimo res suis pretiis: & seposito lenocinio illo nouitatis, scio herbas esse, scio flores, id est, breuia quædam & fugacia, de quibus aptissime Poeta Princeps.

ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.

Zephyri spirans aura alia quidem gignit,
alia vero concoquit.

Itaque non sperno eas, siue delitias, siue elegantias (& exemplum vides:) sed hoc à mollibus Hortensiis istis mutuor, quod sine cura hæc talia conquiram, sine cura habeam, sine cura amittam. Nec idem ille ego *tam marcidus, imo tam mortuus, vt recondam & velut sepeliam me in his hortorum vmbris. Negocium etiam in illo otio reperio, & inuenit ibi animus, quod sine actione vlla agat, sine labore vllo elaboret. Nunquam minus solus sum, aiebat ille, quam cum solus: numquam minus ociosus, quam cum ociosus: vox egregia, & quam ausim dicere natam in his ipsis hortis. Scilicet menti parati illi, non corpori: ad eam recreandam, non ad hoc laxandum: & ad salubrem quendam*

quendam secessum à curis atque turbis. Homines tibi molesti? hic apud te eris. Occupatio exhausit? hic replebere, vbi animo quietis illud pabulum, & ab aura purtore velut inspiratio noua vitæ. Itaque vides veteres illos sapientes? in hortis habitarunt. Eruditas hodie doctasque animas? hortis delectantur, & in iis diuina illa pleraque scripta procusa, quæ miramur, & quæ nulla temporum series aut senectus abolebit. Viridi illi Lycæo tot dissertiones de natura debemus, vmbriferæ Academiæ, de moribus. Et ex hortorum spaciis diffusi vberes illi sapientiæ riui, quos bibimus, & qui fœcunda diluuie orbem terræ inundarunt. Scilicet attollit se magis erigitque ad alta iste animus, cum liber & solutus videt suum cœlum, quam cum ædium aut vrbium carceribus inclusus. Hic mihi vos poetæ duraturum aliquod carmen pangite: hic vos literati meditamini & scribite: hic vos philosophi de tranquillitate, de constantia de vita & morte disputate. En quæ vera hortorum vsio & finis. Ocium, inquam, secessio, meditatio, lectio, scriptio: & ea tamen omnia velut per remissionem & per lusum. Vt pictores longa intentione hebetatos oculos ad specula quædam & virores colligunt: sic nos hic animum defessum aut aberrantem. Et cur celem te meum institutum? Pergulam illam topiario opere vides? hæc Musarum mihi domus est, hæc sapientiæ meæ gymnasium & palæstra. Illic aut seria arcanaque lectione pectus impleo: aut semente quadam obsero bonarum cogitationum. Et vt tela quædam in armamentarium, sic ex iis præcepta in animum recondo, quæ prompta mihi mox contra vim varietatemque fortunæ. Intra eam quoties pedem penetraui, emanere viles omnes seruilesque curas iubeo, & erecto, quantum licet, capite studia profanæ plebis despicio, &

magnum hoc in rebus hominum inane. Hominem imo ipsum exuere sæpe mihi videor, & in altum rapi igneis sapientia quadrigis. An illic angi me censes, quid Celtæ, quid Celtiberi moliantur? quis sceptrum Belgica teneat, aut amittat? Asia tyrannus classe nobis an terra minetur? aut denique

—— ——quid sub Arcto
Rex gelidæ meditetur oræ?

Nihil horum. Munitus & clausus contra omnia externa intra me maneo, à curis omnibus securus præter vnam, vt fractum subactumq; hunc animum rectæ rationi subiiciam, & animo cæteras res humanas. Vt quandocunq; fatalis ille & meus dies venerit, fronte composita, nec mœstus eum excipiam, abeamq; ex hac vita non vt eiectus, sed vt emissus. Hæc imaginatio mea in hortis, hi fructus, quos nō permutem (quamdiu sana mihi mens) cum omni gaza Persarum aut Indorum. Iam inter priscos Græcos Romanosque quot illustria capita tibi proferam, qui positis aliis curis soli in hac cura? In illis quidem; vno verbo, omnes philosophos & sapientes, qui remoti ab insano foro & vrbe; hortorum se spaciis sepibusque clauserunt. At in istis; Tarquiniū regem video iam tum prisca illa Roma in hortis molliter ambulantem, & papauerum capita resecantem; Catonē Censorium agnosco, in re hortensi dedītum, & de ea serio scribentē; Lucullum post Asiaticas victorias in iisdem otiantem; Sullam, abiecta Dictatura suauiter hic senescentem; & Diocletianum principem, olera sua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus sceptris præferentem. Nec abnuit ab hoc meliorum iudicio vulgus, in quo ipso simplices omnes & sine mala ambitione animas scio fuisse in hoc cultu. Est enim profecto arcana quadam

dam

dam & congenita nobis vis, cuius intimas causas non facile reddo, quæ ad hanc innoxiam & ingenuam delectationem trahit non nos tantum, qui propendemus; sed illos ipsos serios & seueros, qui renituntur & irrident. Huc vsque Lipsius.

CVII.

PLANTÆ DIIS GENTILItiis sacratæ.

FLoribus in hortis conspectis memoria repeto, quæ plantæ diis olim gentilitiis sacræ & dedicatæ fuerint: vt laurus & lotus *Apollini*; fagus, æsculus, quercus *Ioui*; populus *Herculi*; vitis, hedera, picea, & ferula *Baccho*; myrtus, rosa & philyra *Veneri*; cupressus *Plutoni*; malus punica *Iunoni* vel *Mercurio*; pinus *Cybelæ*; olea *Mineruæ*.

CVIII.

PLANTARVM ET FRVgum dii gentilitii.

DEin quod *Saturnus* olim frugum & agriculturę pater & dux sit honoratus; id quod falcis quoq; insigne declarat: *Pomonam* fuisse hortorum & pomorum Deam constat hisce versibus:

Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter hamadryadas coluit solertius hortos.

Et floram florum Deam;

Chloris eram, quæ Flora vocor corrupta Latino
Nominis & nostri litera Græca sono.

 Huic

Huic Deæ ludi Floralia instituti fuere. Bacchus vinetorum fuit: Ceres frugum Dea:

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.

(Verg. 1. Georg.)

Inprimis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.
Prima Ceres vnco terram dimouit aratro,
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

(& paulo ante:)

Prima Ceres ferro mortales vertere terras
Instituit.

Fructesa Dea propter fructus culta; *Stercutius*, Fauni filius ob artem stercorandi Deus habitus; *Arungus*, Deus, qui mala à frugibus auertebat; *Robius*, qui robiginem à segetibus auerteret, cui publicæ feriæ *Robigalia* instituta fuerunt. Adiice his cæteros Deos rurales, vt sunt, *Occator*, Deus ab occatione dictus; *Sarritor*, à sarritione; *Puta*, Dea, quæ putationibus arborum præfuit; *Rusina*, Dea, cui rura committebantur; *Proserpina*, germinantibus segetibus præfecta. *Nodotus*, Deus nodis geniculisque culmorum præfectus; *Patalena*, segetibus præfecta, cũ spicæ & folliculi patescunt, vt spicæ exire possent; *Hostilina* colebatur, cum segetes nouis aristis æquabantur; *Runcina*, Dea frumentorum runcandorum; *Spinensis*, Deus vt spinas in agris eradicaret; *Syluanus* numen syluarum pascuorumque & pecorum tutor; *Pan* pastorum venatorumque Deus.

Deus. *Hamadriades*, arborum & præsertim quercuum Deæ; *Mineruæ*, (cui oliueti) & *Veneri*(cui hortorum procuratio asscribebatur) etiam rustica vinalia instituta legimus. Et licet Ethnici errarint, quod frugum ergo non verum Deum, sed fictos coluerint: tamen notabile, & imitabile est, quod preces statuerunt, non minus, quam terram, vel aquam, vel solem, agriculturam necessarias esse, cum à diuina benedictione cuncta pendeāt. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Quare valeant, atque ad ethnicos illi fictitii Dii abeant; nos Christiani scimus non solum hortorum: sed totius vniuersitatis Dominum Deumque esse illum qui sacris literis nobis est reuelatus. Illi segetes arboresque nostras cōmendemus, opera, & benedictionem ab illo impetremus: hanc ob causam, *agricola*, inquit Augustinus, *homo vineam colit hactenus, vt aret, putet, adhibeat cætera, quæ pertinent ad agricolarum diligentiam: luere vineæ suæ non potest. Quod si forte irrigare potest, e cuius fonte potest? ipse ducit quidem irriguum: sed Des implet fontem: postremo in vinea sua incrementum dasarmentis non potest, formare fructus suos non potest, odificare semina non potest, tempora gignendi temperanon potest: Deus autem, qui omnia non potest, agricola ster est.* Et Athanasius scribit: non dexteritate minantis, sed Dei viribus fructificationem fii. Inducūt porro mihi in memoriam visi horli, quod Adam in horto ceciderit, & quod imum per mulierem mors annunciata fuerit,

per mulierem quoq; vita resurgẽs, quod porro in horto Christus orauerit, in horto proditus, capt⁹, & sepultus fuerit, in hortoq; resurrexerit.

Horto gaudemus, quia sedes prima parentum
Hortus erat, fecit quem manus ipsa Dei,
Horto nunc, patria, depulsi sede, caremus,
Exilii pœnas sufferimusque graues;
At tu Christe tuo reduces nos sanguine reddis
Ad paradisiacum speque fideque solum.
Blanda horti facies Paradisi prima; sed ortus
Hortus erat; labis, totus abortus erat.
Christi hortum reparas, & abortum tollis & ortũ,
Dum vita aeterna tu paradisus aues.

Subit quoque hic in mentem de Paradiso meditatio, qualis, vbi, & quam ob causam Paradisus à Deo creatus fuerit. Deinde poetarum illius Tantali horti memoriã visi hortuli refricãt.

CIX.

PLANTÆ.

SVggerunt & ipsæ arbores plantæque in memoriam varias doctrinas, philosophorumq; similitudines, prouerbia & sentẽtias; imo quoties consideratę conspectæ multa intuentẽ docent, monent, erudiunt: vt ecce, similitudine arboris amplæ & fructuosæ, præbentis sedem auiculis, vmbram & nutrimentum animantibus hominibusque, pingitur imago boni Principis, bonique patrisfamilias, probeque aspicientem quamplurima docet eruditque. Huc quoq; ascribendum, quod Chrysostomus dicit: *sicut in arboribus accidit, si quis fructum cum foliis auferat, & ramos*

ramos omnes amputet, radice manente, tota cum maiori etiã ornatu arbor resurgit: *Siquidẽ & in nobis, si pietatis radix permaneat, etsi diuitiæ auferantur, & corpus corrũpatur, omnia rursum nobis cũ maiori gloria redeũt. Sicut planta*, inquit idẽ Chrys. *rigata magis crescũt: ita & fides nostra oppugnata magis floret: & seditione agitata, incremẽta maiora sumit.* Neq; *horti aquis irrigati ita germinãt & fœcũdi sunt, vt ecclesia si martyrũ irrigẽtur sanguine. Plãta quã citißime oriũtur breuißime durãt; ac raro solẽt multos successores ditare, quæ obiter cõparantur diuitiæ.* Triuer⁹: *Felicius abusiula suã quã alienã patitur insitionẽ: & optimũ est vnũquemq; eam artem ad quã natura est cõparatus addiscere.* Erasmus: *Arbor suapte natura nõ nisi vnicũ fœtũ gignit, insitione eadem diuersi generis fructib. oneratur: ita qui naturã suã sequitur, semper idẽ est; qui arte ducitur, sui dißimilis est.* Plinius: *Arbor per se infrugifera, tamẽ insitione discit ferre fructus: ita prauũ ingeniũ institutione ad bonã frugẽ poteſt demutari.* Iterũ Plinius: *Radices literarũ amaræ sunt fructus dulces, Vt humor quidẽ de radicibus ascẽdit in herbã, de herba autẽ nõ reuertitur in radices, sed rursum trãsmittitur in semẽ: sic & charitas de parentib. ascendit in filios, de filiis autẽ nõ reuertitur ad parentes: ideo parentes quidem diligunt filios; sed non sic diliguntur à filiis: quia sicut herba nõ deorsum, sed sursum ad semẽ transmittit humorẽ: sic & homo nõ ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectũ.* Chrysosto. *Omnis caro, inquit Esaias, fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri. Vt enim flosculus, dũ nascitur consenescit: sic nos nascentes morimur, finisq; ab origine pendet. Quoties igitur aspicimus herbam aut florem; veniat nobis in mentem fragilitatis humanæ, & illius imaginis, quam propheta Esaias proposuit.* Basilius: *Rectè aliquando illud Plauti quislibet homo dixerit:*

Quasi

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui,
Repentino exortus, repentino occidi.

Natura cætera ad ſalutem & neceſſariam animalium vſuram per ſecula & annos generat, flores parit indies, qui breui, paucis horis ſæpe occidunt. Eo nos admonet, ſpacio breui nos langueſcere, peſſum ire, & corrumpi, ita vt cum illo Romanæ facundiæ conclamemus principe & poeta mellitiſſimo Petrarcha, nimirum nos ideo viuere, vt accreſcamus, adoleſcere vt ſeneſcamus, viuere vero, vt moriamur.

CX.

LILIVM.

VIſis liliis illud Chriſti Matth, 6. v. 28. in memoriam irrepit: *de veſtimento quid eſtis ſolliciti? conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non ſerunt, neque nent. Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni ſua gloria coopertus fuerit, ſicut vnum ex illis.* Quis illius pulchritudinem, amabilem candorem & albedinem odoremque haud admiraretur? Stipes ſiue caulis lilii viridis eſt, & flos albus, qui ſuperius largus & apertus, inferius anguſtus eſt, ſex habens folia, quæ alba, mitia, pinguia, fragrantia & medicinalia ſunt, in medio deaurata ſunt ſemina: & ſignificat lilii flos Chriſti eccleſiam, cuius ſtipes ipſe eſt Chriſtus, eccleſiam ſuſtentans: & eſt vera eccleſia innocentia alba & candida: bonitate & benignitate mitis: pinguis miſericordia: medicinalis amore: ſuperius larga &

aperta

aperta cœlestium bonorum desiderio; inferius augusta humilitate, & bonorum operum fama fragrans, secundum illud Christi, Matth.5.vers. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus &c.* Nec non cant.7.v.13. *florete flores, quasi lilium, & date odorem &c.* Sex folia in lilio significare videntur sex illas Christianas virtutes;

Vestio, poto, cibo, colligo, visito, condo:

In sinu habet deauratum amoris colorem & Spiritus sancti ineffabilia bona & dona:

CXI.

VITIS.

Conspecta vite, hæc sacra dicta occurrunt; Ioh.15.v.15. *Ego sum vitis, vos palmites*; Gen. 49.v.11. *Ligabit ad vineam pullum suum, & ad vitem & lavabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Ezech.18.v.2. *patres comederunt vuam acerbam; & dentes filiorum obstupuerunt.* A vite porro, à vinea, & vino, quoties visis, quamplurimas variasque similitudines, metaphoras & accommodationes sumimus. Vt vitis ligatur; ita etiam ligari debet probus homo ad proborum consortium. Vt superflui palmites amputantur; ita quoque amputare debent pii malorum affectuum suorum ramos. Vinea porro pro Christiana sæpe ecclesia habetur vti Ies.5.v.7. scriptum est; *vinea domini, domus Israel.* Vinum lætificat cor hominis; & sanguis Christi, cor fidelium. Vinum hominem inebriat; ita & sanguis Christi fideles

fideles inebriat in amore Dei. Vinum confortat: & sanguis Christi corroborat. Vinum genas nostras rubificat: & sanguis Christi animas nostras patri suo placido & grato colore adornat. Vt vinum, sic sanguis Christi hominem reficit.

CXII.

FICVS.

Ficus redintegrat memoriam lapsus illius Adami & Euæ. Fici enim foliis parentes nostri, postquam peccarant, pudenda contexere. Deinde ficus imago boni Principis est, in cap. 9. Iudicum, v. 10. 11. Vbi Iothan, filius Gedeonis, in re grauissima & maxime seria vtitur Apologo, accusans Sichemitarum temeritatem atque ingratitudinem, quod præteritis Gedeonis optime de ipsis meriti filiis, ad gubernationem magis idoneis, Abimelechum suum Regem elegissent. *Olea* enim, *ficus* & *vitis*, *Gedeonis filii* sunt, pietate & virtute præstãtes: *ligna regem sibi quærentia*, sunt *Sichemitæ*: *Rhamnus* seu *spina*, est *Abimelech*. Ficus insuper est typus signorum præcedentium iudicium extremum. Illa signa prædicens Christus Lucæ 21. v. 29. remittit nos ad ficum: *Videte*, inquit, *ficum & omnes arbores, cum emiserint folia, vos tas cernentes ex vobis ipsis agnoscitis, quod iam prope sit æstas: ita & vos, cum videritis hæc fieri, agnoscite quod prope sit regnum Dei.* Huc recitare conuenit, quod Diogenes de diuitibus indoctis dixit: (apophth. Erasmi lib. 3. pulchre eosdem *oues aureo vellere onustas* appellans, & Demosthenes dixit, eosdem simi-

similes esse ficis arboribus, in prærupta asperaque rupe stantibus: harum namque fructus non homines, propter difficilem accessum; sed coruos & graculos vesci: sic horum opes nulli esse vsui viris probis; sed ab impuris tantum & assentatoribus depasci & absumi. Et Laertius, *quemadmodum*, inquit, *ex arboribus ficis, quæ in locis præruptis crescunt, homines nihil capiunt fructus, sed corui solummodo & milui; ita ex diuitum facultatibus non boni viri; sed scorta & adulatores aluntur.* De fici ligno scribitur, quod si in aquam mittitur, subito fundum petat, & postquam bene madefactum est, resurgat: ita quoque, (memini) iusti homines, quanquam humana debilitate in peccatis merguntur, attamen non submerguntur; sed Spiritus sancti gratia & virtute resurgunt: secundum illud Prouerbiorum 24. v. 16. *iustus septies die cadit; at resurgit.* Contrarium agunt ligna alia & homines peruersi. Et Eccl. 11. v. 3. Illa ligna vbi cadũt, ibidem iacent, & iniusti in peccatis commorantur, moriuntur, sepeliuntur.

CXIII.
MORVS.

DE moro audi Plinium; *Morus*, inquit (6. cap. 22.) *nouissima omnium germinat, & tamen paris inter primas*; ita qui tempus idoneum operiuntur, rei conficiendæ etiamsi serius cœperint tamen maturius conficiunt. Fructus mori initio albus, dein viridis, postea rubicundus, postremum niger est, quem antiqui philosophi homines imitati adhortati sunt; in adolescentia nimi-

nimirum & prima iuuentute candidos & albos esse debere castitate, dein virides honestate, rubicundos amore, & tandem nigros humilitate & pœnitentia? Nam licet in adolescentia & iuuentute leues, pietate frigidi, misericordia aridi fuerint: in senectute tamẽ amore calidi, & pœnitentia humidi sint, studere debent: interim omnis homo tempus gratiæ tamen non negligere debet, ne aliquando hanc vocem (Ies. 33. v. 1. miseri audiant: *væ qui spernis. Nonne & ipse sperneris?* Isidorus de illis ita scribit: *quidam in iuuentute luxuriose viuentes in senectute tandem continentes esse student, & tum castitati seruire volunt, quando libido illos seruos habere neglexit.*

CXIV.

OLEÆ.

PAllentes & supplices oleæ quamplurima ex sacris profanisque historiis in memoriam suggerunt. Gen. 8. v. 11. postquam aquæ subsidissent, columba ramum oleæ, tanquam pacis & mitigatæ iræ Dei in genus humanum symbolum, in ore ad Noam detulit. Hinc olea insigne pacis esse cœpit. Et Christo intranti in Hierosolymam (Matth. 21. v. 8.) ramos oliuarum, vt pacis dilatori & instauratori spargebant. Ethnica quoque huius generis exempla quamplurima adduci possent! Scipio videns Punicam classem in prora tenere ramum oliuæ, animaduertit venire eam petitum pacem. Adiice his Vergilii versum. 11. Æn.

Velati

Velati ramis oleæ veniamq́ rogantes.

Huc asscribere placuit, quod apud Plinium lib. 15. c. 4. legimus: *oleæ*, scribit ille, *honorem Romana maiestas magnum præbuit; turmas equitum idibus Iuliis ex ea coronando. Item minoribus triumphis ouantes. Athenis quoque victores oleâ coronant. Græci vero oleastro Olympiæ.* Verus triumphator & oleæ portator Christus est, qui & victoriam nobis apportauit; & nos Deo placauit, nosq; super peccatis, Diabolis, & infernis triumphantes reddit. Hanc ob causam à Deo missus est ille legatus, filius eius vnicus, cum oleæ ramis ad nos mortales, id est, cum Euangelio pleno gratiæ & misericordiæ. Vt antiqui triumphantes oleis coronati: sic nos in Christo triumphantes oleis gratiæ & misericordiæ coronamur. Hoc adumbratum est ingeniose ibi, cum Deus (vt supra iam diximus) cum humano genere placatus erat, columba in arcã Noah venit cum ramo oleæ: ita Deus quoque placatus nobiscum filium suum ad nos ablegauit, & in castissimę virginis Marię ventrem, tanquam arcam misit. Quare Oseas c. 14. v. 7. ita scribit: *Gloria eius erit sicut olea.* Est insuper sympathia vitis & oliuæ imago coniugii. psalmo 128. v. 3. *Vxor tua sicut vitis fructifera, in lateribus domus tuæ: filii tui, sicut plantulæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Omnes porro historias in mentem reuocant oleæ, quæ oliueto Hierosolymitano Saluatori nostro acciderunt. A visis oleis ab oleo pulcherrimas demum similitudines sumo ad Christum Saluatorem nostrum, & Samaritam Euangeli-

cum, qui in nostra mortifera vulnera & vinum & oleũ Luc. 10. v. 34. mittit; & instillat. *Iesu* Nomen, oleum est effusum; dein, Euangelium & Christi sanguinem; Postea ad humilitatem & patientiam: nõnunquam etiam ad voluptatem transfertur, quæ sicut olea, ea quæ tangunt, inficiunt, nec facile purgantur. Ad veram demum sanamque doctrinam, quę instar olei à rubigine præseruat: postremũ ad adulatores; oleum lene & dulce est, ita & adulatores in lingua semper blanda & dulcia habent verba: sed nonnunquã mel in ore fel in corde: **Katzen die vornen lecken/ vnd hinden kratzen.** id est, *feles, qui ante* (id est, à frõte siue coram) lambunt (id est, blandiuntur & adulantur) post autem (siue à tergo, seu, absentem) criminantur, per malitiosasque calumnias petunt, eoque crudeliter sauciant.

CXV.
MALVS.

Visa pomo, memini me illud audire:

Mala mali malo mala contulit omnia mundo:

hoc est, quod D. Paulus Rom. 5. v. 12. & 18. dicit, *per vnius hominis inobedientiam peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Et ipsa poma me mente cantare excitant:

Ist der Apfel rötlich/
So ist der Wurm darinn:
Ist das Mägdlein säuberlich/
So trägt es falsche Sinn.

id est:

Vt poma rubeant, putrido
Plerunque verme infecta sunt:
Sic vt puella blanda sit,
Nectit tamen dolum improba.]
Formosis leuitas semper amica fuit. Et:
——*Est raro pulchra pudica caro.*

CXVI.
N V X.

Conspectæ porro *Nuces*, mentionem quasi facere videntur illius: *qui ex nuce nucleum esse vult, frangat nucem*, id est, qui commodum appetit, ne fugiat laborem: qui quærit voluptatem, prius experiatur sudorem & laborem:

Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.

Qui dulcia degustare vult, amara prius degustet. Nux foris dura amaraque est, intus suauissima. Mirum porro est, quod de virga colurna, siue virgula diuina fertur; atq; est virga diuina illa, ex corylo decisus bifidus surculus, quo venas metallicas, auri, argétiue feraces explorant, inclinante sese eo virgula, qua sub terra venæ feruntur atque incedunt: puto sympathiam habere corylos ad metalla cognatam & occultam, eam augere & corroborare succos cognatæ cum metallis naturæ, quos ex aggesta radicibus terra nutritionis causa sugunt & hauriunt. Redit quoque hic in mentem lepidum illud epitaphium:

Quem niue nocte peto, nucis me stipite cædit
Sic mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.

CXVII.

HEDERA.

Sed quid de flexili atque erranti hedera philosophemur? de qua Ouidius Fast. lib. 3.

——— *Hedera est gratissima Baccho.*

Et est causa, cur hedera Baccho sit attributa, quod ob insitum frigus ebrietati resistat, & discutiendis capitis doloribus, ex temulentia contractis, sit accõmodata; foliis etiam aut ramusculis foris capiti admotis. Et scribitur porro ita de hederę virtute: vinum lymphatum in vas hederaceum infusum per poros resudat & effluit; aqua vero remanet: vel quia racemos vuarum imitatur hedera; vel quia semper est viridis & iuuenis, qualis Deus ipse Dionysius ille, Bacchus; vel quia paruulus in cunis illa arbore fuit occultatus. Coronabantur etiam cornigeri Bacchi sacerdotes hedera, & quicunque Libero patri erant initiati. Poetę quoque hedera coronabãtur, quia Bacchus est dux Musarum propter alacritatem. Finguntur tres Musarum duces, *Hercules, Apollo, Bacchus*; *Hercules*, quia in studiis postulatur labor & assiduitas; *Apollo*, quia in studiis exigitur honestas & elegãtia; Bacchus, quia studia requirunt fauorem atque alacritatem. Huc respexit Vergilius, cum ecc'. 7, inquit:

Pastores, hedera crescentem ornate poetam.

Item Ecloga 8.

——— *Accipe iussis*

Carmi-

Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Atque Ouidius lamentans:

Nunc hederæ sine honore iacent, operataq; doctis
Cura vigil musis, nomen inertis habet.

Ex his videre est, hederæ nomen pro poetis per Metonymiam sæpe in carminibus vsurpari. Nec immerito pro poetis aliisue doctis hominibus sumuntur, quorum fortuna similis est hederæ, quæ nisi subnixo fulcimento nequit assurgere, sed humi serpit: sustentata vero in summum cacumen attollitur. Est hedera ex earum plantarum numero, quæ nunquam folia amittunt. Cæterum pallidum colorem habet; ita docti pallorem contrahunt à studiis; sed fama eorum viret semper. Dicitur hedera imago fragilitatis, atque imbecillitatis sanctorum in hac vita: hedera per se infirmior est, quam vt possit assurgere, nisi muro adhæreat; sic omnes sancti inferiores sunt, quam vt saluentur suis viribus, nisi ipsorum murus aheneus sit Christus. Est deinde hedera imago veræ amicitiæ ac mutui inter ipsos amicos auxilii. Hedera enim vincire quasi quibusdam brachiis, quicquid apprehenderit, arctissimeque continere solet, ita vt murorum rudera sustentare videatur, & vicissim à muris conseruatur, atque erigitur, vt hac ratione neutrum sine altero possit consistere. Hedera porro arctioris amantium complexus vera imago est. Sommerus:

Lasciuis hederæ stringit complexibus arbor.
Omnia, perpetuis ambitiosa comis.
Muri hederam, bacillos alterno munere firmat,
Hic typus expressus mutuæ amicitiæ.

Et Horatius Epod. 15. arctissimum amicæ complexum significare volens ait:

Arctius atque hedera procera astringitur ilex
Lentis adhærens brachiis.

Hinc prouerbia: *hedera lasciuior: lasciuis hederis ambitiosior*. Et legitur Bacchi simulachrum Spartæ stetisse hastam tenens longiorem, circumserpente per ipsam sursum hedera vsque in ferratam aciem occultatam. Quod significanter exprimebat, non vi, aut impetu bella duci tumultuario; verum astu, consiliis, stratagematibusq; & arte accommodis: Martinus Mylius.

CXIIXX.

BVXVS.

DE Buxo semper sed sine fructu virẽte hunc apologum recitare placet: *Natura buxum oratorem ad Iouem miserat, vt perpetuum virorem herbis & arboribus indulgere vellet. Iuit buxus, sed ante Iouem admissa postquam fidei literas reddidit, non communem causam, verum priuatam proposuit, ac perorauit, exorauitque Iouem post longas preces, vt æternæ viriditatis prærogatiua donaretur. Reuersa itaque domum buxus, maximum sibi omnium inuidiam concitauit: atque ob id facinus in eam adeo natura exarsit, vt eam (quoniam largitatem Iouis mutare ac reuocare non licebat) perpetua*

tua sterilitate damnarit. Sicut buxus tam æstate quam hyeme, multis foliis diues est, at carens fructibus; ita loquaces & diserti homines bonarum rerum sunt steriles, secundum prouerbium; *vbi verba sunt plurima, ibi frequenter rerum egestas. Rota quo vitiosior, eo maiorem strepitum edit.* Dicitur buxus ob colorem, ægrotantium & amantium arbor;

Delitiis apta est teneris, & amantibus arbor,
Pallor inest illis, pallet & omnis amans.

Huius arboris lignum est quasi cornea & ferrea duricie, ita vt si quid illi insculpatur, non facile obliteretur aut exolescat. Hanc ob causam Deus præcepit Esaiæ, vt scelera Iudæorum super buxum describantur, hoc est, ita accurate commemorentur, ne vnquam in obliuionem deuenire possint, *vade*, inquit cap. 30. v. 8. *& scribe hanc prophetiam super buxum & in libro diligenter exara illud, vt sit in diem vsque nouissimum, in testimonium vsque in æternum:* Martinus Mylius. Ex buxo olim fistulæ & tibiæ fiebant. Inde poetis ponitur buxus pro fistula, vt buxos inflare; Ouidius:

—— *Inflata compleuit murmure buxi.*

His adiiciam Sommeri versus:

Ipsa Venus buxum plantauit amoribus aptam,
Crescentem ambrosiis ipsa rigauit aquis.
Buxea fleturum placauit nuper amorem
Fistula, virgineis fistula grata choris.

CXIX.

SAMBVCVS.

QVoties ego oculos in Sambucum erigo, ilico in memoriam incidit lepida historia, ex qua multi inferre voluere, baccas Sambuci ad longeuitatem conferre. Historiam Neander in sua physica ita recitat; *Cum aliquando quispiam Princeps (nomen eius excidit) in venatione aberrasset à suo comitatu, tandem post multos errores, atque varias in sylua vasta iactationes, accessit ad tuguriolum quoddam vbi reperit ad fores eius sedentem profundæ ætatis rusticum, lacrymas fundentem, qui causas fletus rogatus, respondit, paulo se ante plagas à patre accepisse. Miratus princeps capularem illum senem, quique tam vtrumq; pedem in sepulchro habere videretur, patrem adhuc habere superstitem, quique tantis sit viribus, vt filium senem plagis afficere possit: cum causam iterum rogasset, cum à patre pulsatus fuisset, respondit: ideo durius tractatum se fuisse à patre, quod auum suum patris patrem, qui in eodem tuguriolo cum filio & nepote hactenus consenuerat, incautius sublatum, dum in aliud scamnum transferre & collocare voluit, inuitus in terram è manibus suis dilabi siuerit minimeque placide in solio collocauerit. Inde Princeps accensus fuit cupiditate, tres illos senes in vno tuguriolo conspiciendi, & coram colloquendi, rogandique, quo ciborum genere, vsi, tam diu hactenus superstites mansissent; & responsum ei est, communi & vili ciborum genere, qui constiterit fere pane, sale, lacte, & caseo; vsos autem certo tempore quotannis succo, seu massa liquida, quæ de baccis sambuci conficitur. Ac illum succum theriacæ instar efficacissimæ sibi longo tempore fuisse, cuius beneficio*

nescio ad senectutem illam peruenerint, quam ille coram oculis intueretur. Interea vero aulici equites amissum Principem quaerentes, tuguriolum & ipsi accesserunt, inuentumque principem diutius cum tribus illis senibus colloquuturum interpellarunt.

CXX.

ROSÆ.

ROsas poetæ omnes albas fuisse tradiderunt, Verum cum Mars zelotypus Adonidem interfecisset, vel, secundum alios, cum Adonis ab apro occisus esset, Venus accurrens opem latura per dumeta vulnerat pedem, eoque sanguine rosæ tactæ rubescunt. Ita Martinus Mylius. Laurentius Lippius fabulam huic disticho inclusit;

Per syluas cytherea suum dum plorat Adonin,
Purpureas fecit sanguine mœsta rosas.

Alii ex sanguine Adonidis potius, alii sanguine Cupidinis, alii ex vino à Cupidine alis lasciuiẽte in cœna Deorum sparso, hunc ei colorem contigisse scribunt; Rosa Veneri dicata fuit, qui ex eius sanguine fingitur nata; sed postea Cupido Veneris filius eam Harpocrati, silentii Deo, donauit, vt adulteria matris silentio inuolueret; Mylius. Et citat quodam loco Taubmannus Nicandrum, qui libro 2. Georgicorum apud Athenæum lib. 15. florum coronariorum historiam texit; Rosas inueniri aut sexagenis foliis insignes;

signes; imo circa Philippos & Pangeum montem fuisse etiam cẽdi folias. *Porro in rosis parandis, magnas fecisse*, inquit Taubmannus, *impensas, qui nepotinis sumptibus delectabantur, testimonio fuit quoq. Suetonius in Caligula. Et rosas aliosque flores inde vsque ab Ægypto aut Africa peti solitas coronariis*; testantur idem Athenæus, & Martialis. In insulano illo Cleopatræ & Antonii conuiuio rosas talenti sumtu conuectas esse, & iisdem ad altitudinem cubiti constratum pauimentum, superque rosas retia fuisse expansa, ne ingredientium pedibus auferrentur, & soli planicies æqualis vbiq; corrumperetur. M. Tullius in Verrem 5. siue de suppliciis; *Nam, vt mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica dexaphoro ferebatur, in qua puluinus erat pellucidus Melitensi rosa factus. Ipse autem coronam vnam habebat in capite, alteram in collo: reticulumque ad nares sibi apponebat tenuissimo lino minutis maculis, plenum rosæ.* Cãtharides ac scarabęi, & huius generis sordida insecta rosis insidentes torpescere, & tandem emori dicuntur; vnde prouerbium illud; *turpibus exitium:*

Cantharidum, rosa mors: sic luxus deliciæque
Eneruant animos, eripiuntque virum.

Sunt porro de rosis prouerbia; *hæc sub rosa dicta sunto. Sus per rosas. Rosas loqui. Verba tua mihi rosa sunt. An tu me in viola putas, aut in rosa dicere? in rosa viuere. Rosa non noscitur è Squilla.* ¶ *Vrtica sæpe propinqua rosa est.* ¶ *Est generosa rosa.* ¶ *Vt rosa delectat, metitur quia pollice primo.* ¶ *Rosam vbi præterieris, eam ne denuo quærito. Rosa cũ spinis nascitur.* Rosa porro est ecclesiæ

siæ imago; est namq; ecclesia sicut rosa inter spinas, cant. 2. 2. sicut columba inter miluos; sicut Loth in Sodoma; Gen. 19. sicut Daniel in Babel, Dan. 1. v. 6. sicut Ioseph in Ægypto, Gen. 39. & seqq. **ein Rößlein vnter Dornen.** Ioh. Maior. Tamen inter spinas rosa spirat, sic & illa. Cum rosa nihil sit fugacius; nec quod citius marcescat; optime illi vita humana fragilis, caduca, & momentanea comparari potest. Quare Maior;

Vidi ego mane rosam nasci cum lumine solis,
Et vidi rursum sole cadente mori.

Et Ausonius:

Vt rosa mane viget, tamen & mox vespere languet,
Sic modo qui fuimus, cras leuis vmbra sumus.

Nec non Bonerus:

Flos rosa sed breuis est; flos est homo, sed breuis, ille,
Vix oritur, moritur, flos quia vterque breuis.
Hoc meminisse fiet nostrum, quos illa caduca
Flore notant tenui. Cura sit, astra sequi.

Prædicatur insuper de rosa, quod sit florum regina & oculus, terræ ornamentum, plantarum decus, prati robur pulchritudo coruscans, amorem spirans, Veneris conciliatrix, nobilibus frondibus luxurians:

Rosa honor decusque florum,
Rosa cura amorque veris.
Rosa cælitum est voluptas,
Roseis puer Cytheres
Caput implicat coronis
Charitum choros frequentans.

CXXI.

SINAPI.

INtendens oculos in ſinapi, ſubit in mentem illud Chriſti, Matth. 13. v. 31. *ſimile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.*

CXXII.

ARVNDO.

VIſa arundo etiam mentionem quaſi facere videtur illius Eſaiæ; *arundinem quaſſatam non confringes, nec linum fumigans extingues:* item alibi: *quid confidis in baculo iſto arundineo, Ægypto? cui ſi quis incubuerit, conquaſſabitur, & perforabit manum ſuam.* Et inſuper arundo ſymbolum inconſtantiæ, à quo vitio cum Ioannes Baptiſta eſſet alieniſſimus, Chriſtus in laudem eius conſtantiæ prolixam habuit concionem Matth. 11. v. 7. Eſt & arundo imago hominis cedentis furori aduerſariorum.

Flectitur obſequio, ſic vincit arundo procellas:
Læditur, aduerſum qui ſua fata furit.

CXXIII.

LINVM.

DE lino nil aliud attexam, quam illud, quod Tragus in ſuo herbario de lini miſeriis ad hunc modum deſcripſit; *Linum,* inquit, *eſt herba, quam in Germania tum diuites, tum pauperes grauiſſimis quaſi tormentis frangunt. Ea horum neceſſitati; illorum*

rum luxui seruit. At neque nobilibus generosisque, imo nec illustrißimis heroidibus turpis fallendi temporis materia est. Cruciatus autem lini sunt innumeri. Primum enim ex agro euulsum, pectitur. *Deinde* aquis immergitur. *Tũ in cespititio æquore feruore solis* siccatur torreturque, *tum denuo flabris verberatur: postea certis machinis confringitur, tum stupariis malleis contunditur & excutitur: deinceps acutißimis chalybeis stimulis, ceu hastis siue sagittis carminatur. Post hæc tormenta resolutum* distenditur & distrahitur, *de colus patibulo* suspenditur, *vbi multis osculis raptis* lambitur, *& digitis* diducitur, *postea* in teretia fila cõsolidatur, *inde rursum* girgillo inditur. *Tum demum* variis coctionibus cruciatur, *iam* elixatur; *iam* è calidis feruidisque thermis ad frigida balnea deducitur, eluitur, *& postea rursum* suspensum extensumque torretur, *fustiumque & clauarum verberibus plagisque mollitur, rursum girgillo* inditur; *circum agitatum, in rotundos globos* conglobatur, *& tum* per augustissimos textoriorum instrumentorum angiportus deducitur, *quasi pacto seruando obstrictum* alligatur, *diris imprecationibus inuicem* pertexitur. [*Denuo subinde* madefactum *solis ardore* tostum siccatumque albescere *cogitur.*] *Necdum tamen mala ærumnasque effugit; sed demum à sartoribus & sarcinatricibus* discinditur & compungitur. Inde *vbi tandem aliquando ipsi honos aliquis post varios cruciatus habetur, confestim ægræ languentesque puellæ, filiæ simul & ancillæ, atque vniuersa familia* de eo conqueruntur, *vbi nemo eo carere vult. Inde etiam infantum recens natorum* linteolis, *chirurgorum* cataplasmatibus,

matibus, *& denique (salua gratia)* anitergiis conficiendis inseruit. *At dum omnes iam plane interiisse putant, post varias easque atrocissimas contumelias iterum prodit, nec tamen absque* molarum tormentis, *in quibus* discinditur, *pedibus* conculcatur, contunditur, *aquis* immergitur, *& postea* suspenditur. *Tum vero & à summis viris, & ab ima plebe denuò* expetitur, *vbi & Cæsaris & opilionis lixarumque vulgi terra marique* tum bono siue saluti, tum malo siue exitio accelerando seruit, *prout quisque eo vel vti vel abuti vult. Mors & interitus ipsi à muribus & igne imminet, abs quibus plane* corroditur atque deuoratur. *Imo & ab igne immutatus, excipiendis ignis scintillis* fomes *inseruit. Sic sane linum cum suo genere pereat oportet.*

CXXIV.

SYLVA.

SYluam demum, quoties oculis vsurpo, variæ de ea mihi sunt cogitationes, nec nō aliquot Maronis versus in memoria inerrant, qui de arboribus, cui rei appositæ fuerint, dulci lyra ità 2. Georg. cecinit;

Ipsæ Caucaseo steriles in vertice syluæ,
Quas animosi Euri assidue franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fœtus, dant vtile lignum
Nauigiis pinos, domibus cedrosque cupressosque
Hinc radios triuere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, & pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fœcundæ frondibus vlmi:
At myrtus validis hastilibus, & bona bello
Cornus, ithyræos taxi torquentur in arcus.

Nec tiliæ læues, aut torno rasile buxum
Non formam accipiunt, ferroque cauantur acuto:
Nec non & torrentem vndam leuis innatat almus
Missa Pado, nec non & apes examina condunt
Corticibusque cauis vitiosaque ilicis alueo.

CXXV.

PLANTARVM ET HERBArum generalis consideratio.

COnsideremus hic quoque in genere artificium, vel potius summam Dei sapientiam in herbis, quæ inferius tanquam in centro folia habent vnita; per quod alimentum accipiunt, radicibus tanquã canalibus apportatũ. Ramos non habent, quia tales fructus haud sustentant, qui aliis & fortioribus sustentaculis indigeant. Folia suas habẽt quælibet venulas, per quas humor diffunditur, quo aluntur & conseruantur. Flores, dici non potest quã arcte cara sua semina ad cõseruas species teneant. Quis hic non admiraretur illorum diuersos odores, diuersos colores, diuersas formas, diuersas proprietates & virtutes. Intentissimus in plantas, quæ tã profunde radices in solũ spargũt, quã alte ramulos suos supra terra in aerẽ emittunt. Radicib. truncus succedit, quæ fortissimæ instar columnæ superiorẽ sustentat plantę totã. Ex trunco dein rami, tanquã brachia pullulãt, qui fructus tenẽt. Cũ delectatione porro obseruamus, ꝙ non vno eodẽque tẽpore fructus producãt, vt toto anno eorũ copiã habere possimus. Stupẽtes plãtas contemple-

templemur, quod ſingulæ truncos ſuos habeat differentes, ramos differentes, corpora differentia, cortices differentes, folia differentia, fructus differentes, vel qualitate, vel odore, vel ſapore, vel colore, vel figura. Semina inſuper differentia apparent, proprietates & virtutes vna cum omnibus partibus differentes.

CXXVI.

PLANTARVM vſus.

QVod Deus porrò plantas ad ſummum hominis vſum condiderit, ſatis ſuperque notum, & ex Geneſi videre & legere eſt. Cum enim Deus primis noſtris parentibus poteſtatem dedit, vt dominarentur volucribus cœli, piſcibus maris, cæteriſque terræ animalibus: dedit ipſis quoque plantas; En vobis, inquit, Gen. 1. v. 29. *trado omnes herbas, quæ terræ ſolo frugiferæ ſunt, omnes fructifero fœtu praditas arbores, ſemenque parientes, quibus ad alimoniam vobis vti liceat.* Quotidiana experientia teſtatur, quantæ vtilitatis ſint plantæ; ſuppeditant olera, legumina & omnis generis fructus. Quare Plinius, *expedita res eſt*, inquit, *& parata ſemper, neque egent igne, qui hortos habent: crudis enim cibis facile veſcuntur, & coctu facilibus. Itaque hortus* altera ſuccidia *quõdam putabatur, cum vbi opes horti deerant, de carnario & macello videndum eſſet. Carnis deſideria antiquis fuere in exprobratione. Vnde vocatur*, inquit alius, hortus plebis macellum, *inno-*

innocentiore victu fructum salubrem & frugalem porrigens. Herbæ porro *omnes*, vt Maiolus testatur, *naturam nobis commendant, æque ac reliqua creata omnia: Multa sunt sidera creata, multa animalia volucria, multæ quadrupedes bestiæ, serpentes multæ, reptilia multa, insecta, piscesque innumeri; sed & lapides & plantæ: at omnium horum generum numerus tantus non est, quantus herbarum tantummodo generibus inuenitur. Quin vt herbis diuina magis eluceret sapientia, nullus morbus, nulla debilitas, nulla necessitas in rebus humanis est, cui ex herbis antidota non parentur & remedia: Quin artificia ipsa orbi herbarum notione adacta sunt; incolumitas seruata, aëris infectio perpurgata sterilitas fœcunditate sublata; venenis aliis ipsæ herbæ venenum sunt: vt ita credam, vrendi vim herbis comprimi, frigus herbis in calorem verti, humidum in siccum, sicca in humida transferri: lucida in obscura, obscura in lucida. Quin metalla quoque ipsa aurum argentumque herbis reddi meliora, & quandoque ipsis tantummodo herbis, quod neque argentum, neque aurum esset, ipsis æquatum est. Vt ita fateri cogamur, etiam animam hominis herbis seruari, ingenium, memoriam, perspicaciam totiusque constitutionem, ipsamque eloquentiam ac corporis decorem.* Hæc illæ.

CXXVII.

QVARVNDAM PLANTArum stupendi effectus siue virtutes.

AT non opus est, vt de isthac re, nec non de plantarum & herbarum in medicis compositio-

positionibus, virtutibus plura pāgam: sufficiat, si quarundā plantarū admirandos & stupendos quosdam effectus ex Petri Andreæ Matthioli operibus saltem recitem, sic scribentis: *Xanthus historicus, in primo historiarū libro affirmat, occisum draconis catulū herba quadam à parente reuocatā ad vitam, quā Magi* Balim *nominant: eadem Thilonem, quē draco occiderat, saluti restitutū. Et iuba, Rex Mauritaniæ, herba quadā in Arabia hominē ad vitā reuocatum esse tradidit. Picum etiam auem adactum suis cauernis cuneū, quas in arboribus habet, admota quadam herba extrahere tradiderunt cum Democritus, tū Theophrastus. Quin etiam* Æthiopide *herba tactu clausa omnia aperiri, quibusdā admurmuratis cantilenis. Id quod mihi miraculo non est. Memini enim dum superioribus annis Venetis agerem, me quēdam suspendio damnatum vidisse, cui fores omnes patefierent, disiectis seris, vna tantū herba admota signaculis quibusdam decantata. Talis fere facultatis alia haud mihi incognita habetur, in Italiæ montibus proueniēs, qua ab equis calcata cōtinuo ferrei soluuntur calcei. Herophilum, clarissimum antiquitatis medicū, posteritatis memoria tradidisse ferunt historiarum autores, quasdam haberi plantas, quæ calcata tantum prodesse, quæque etiam obesse possint. Obseruatum certe est, inflammari vulnera, vlceraque superuentu eorum, qui pedibus iter confecerunt, per loca perniciosis plantis scatentia. Contra vero sanari morbos vbi ab itinerantibus vulneratis, salubres calcata sunt.*

Nam Hemionitidis *contactu spleneticos sanatos scimus, Comitiales, suspensa collo* Pæoniæ Romanæ radice: *ictericos, substrato in calceis nudis pedib.* maiori cheli-

chelidonio, *aut* pastoria bursa: Aconitum Pardalianches *contactu tantum fœminei sexus pudendis, paulo post necē afferre certū est. Tam diu quempiam lippitudine haud tētari obseruatū est, quamdiu is* syluestris Rumicis radicem *secum nitidissime habuerit. Desinet stranguria cruciari, qui* Tamaricis lignum *ardens sua ipsius extinxerit vrina. Inguinis humorē haud quaquam iis subcrescere putant, qui* Myrti surculum *secū gerant. Varices in cruribus sanari scribūt, vbi radicibus* hederæ, *Luna Aquarium occupante erutis circundetur affectio. Idemque effici, si* ternæ eiusdem hederæ baccæ, *per murum repentis affecto cruri adalligentur.* Scordii *contactu præseruari cadauera, non solū Mithridatis sed etiā Galeni testantur monumenta. Scythæ* Scythicā *herbam circa Bæotiā nascentē adinuenere gustatu quidē prædulcē, cuius magna nimirū cōmendatio, quod in ore eā habentes famē sitimq; non sentiant. Idem præstat apud eosdē* Hippice *dicta, quod equis quoque eundem effectum præbeat: tradūtq; his duab. herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame & siti. Tantū gloriæ herbæ Vetonicæ tradidere quidam, vt domus, in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus.* Coriacesia *herba, quin etiam* Callitia, *Pythagoras aquam glaciari tradidit.* Menaidis *succo in aqua decocto protinus sanari serpentium morsus, si eo foueantur, idem tradidit, & eundem effusum in herba, qui vestigio contigerint, vel eo respersi fuerint insanabiles perire. Monstrifica prorsus natura veneni, præterquam contra venena. Ab eodem Pythagora Aproxis herba appellatur cuius radix non minus, quam* Nephtha, *è longinquo concipiat ignes.* Achæmenidon *plantam colore electri sine folio nasci in Tardyltilis India meminit*

Democritus, cuius radice in pastillos digesta in dieque ex vino pota, noxii percruciatus nocte confiteantur omnia, per vanas numinum imaginationes. Adamantida *Armeniæ & Cappadociæ alumnam, qua leonibus admota, resupinari eos illico laxo hiatu: nominis causam habere aiunt, quod adamantis modo conteri nequeat.* Arianidis *herbæ contactu ligna oleo prius peruncta illico accenduntur. si decerpatur, cum sol fuerit in Leone.* Therionarca, *in Cappadocia & Mysia nascente omnes feras torpescere, quibus fuerit admota, nec nisi hyeme vrinæ aspersu recreari, tradidere veteres.* Ophiusa *in Elephantina Æthiopiæ nasci etiam tradunt, liuidam, & horribili aspectu, qua pota terrorem minasque serpentium obseruari, ita vt mortem sibi eo metu consciscant, qui biberint, ob idque cogi sacrilegos illam bibere: aduersari tamen ei palmeum vinum.* Potam autem *ad Indum fluuium inueniri narrant, qua pota lymphari homines obseruationibus miraculosis.* Manicum Solanum *(vt Dioscorides est autor) varias facere species, imaginesque non iniucundas obseruari, si eius radicis drachma ex vino bibatur.* Theangelida *in Libano Syriæ nasci, qua deuorata futura præsagiunt homines. In Bactris & circa Borysthenem planta prouenit,* Gelotophyllis *dicta, quæ si cũ vino & myrrha bibatur, varias dicunt obseruari species, ridendique finem non fieri, ni petis è palmeo vino pineæ nucis nucleis, pipere & melle additis.* Asciomenes *herba (vt Apollodorus est autor) vino aspersa folia in se contrahit. Oenothera aliis* œnotheris *(Crateuas autor est) meraco aspersa omnium animantium feritates domat, collo adalligata, vel iugo suspensa. Parthos ab Antonio fugatos scribit Appianus Alexandrinus, cum fame premerentur, in*

quandam herbam incidisse, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiscerentur, aut intelligerent, nisi quod lapides continuo effoderent, quasi quippiam magni operis facturi, & sic debacchatibilem demum euomentes interirent. Rhamni tertii *ramus (autore Dioscoride) valuis fenestrisue impositus veneficia omnia depellit.* Scilla *tota in limine ianuæ suspensa, mali medicamenti noxam arcet.* Lapathi *radices, quin etiam* plantaginis, *collo adalligatæ (eodem autore) chæradas & strumas sanant. Vermiculi in echinatis* dipsaci *capitulis autumno reperti, collo in folliculo adalligati, aut sinistro brachio appensi, quartana febri affectos incolumitati restituunt.* Atractylis *herbæ gestatu obtunditur scorpionum ictus, quousque icti gestauerint: deposita tamen illico recrudescere dolorem scribit* Dioscorides. *Quin etiam posteritatis memoriæ tradidit, à scorpione non ici eum, qui* Polemoniæ *herbæ radicem secum tulerit, vel si forte fortuna quispiam ictus fuerit, eum quidem nihil molesti passurum. Nascitur in Iudæa radix,* Baaras, *à loco appellata (vt Flauius Iosephus scribit libro de bello Iudaico) quæ flammam colore imitatur, circa vesperam vero veluti iubar fulgurans. accedentibus autem eamque vellere volentibus facilis res factu non est: nam tam diu refugit, quousque vrina muliebris vel menstruus sanguis super eam fundatur; quin etiam tunc, si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte eam ipsam radicem ferat, de manu pendentem: ideo effossæ circumquaque radici, necdum extirpatæ, canem alligant, qui abeuntem inde dominum sequi volens eam extirpat & continuo moritur, tanquam eius vice, à quo tollenda erat; nullus enim posthac accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter vnam vim capi*

eam opera pretium est; siquidē iis admota, qui cacodæmonibus oppreßi sunt, illico libertate fruuntur. Cæterum & mihi quidem radix est, à Francisco Calteolario Veronensi reperta, quæ vino per noctem macerata, & epoto subinde vino, linteolo percolato, à quouis, quātumcunq; famelico, is q̄dē edere nequit, nec cibi tantillū degustare, nisi aceti cochlear absorbuerit. Ridendus profecto iocus, sed res ipsa non omnibus cōmittenda. Foditur radix apud occidentales Indos, foliis Sambuci, quæ humanæ coxæ complet crassitudinem, cuius succus epotus letalis est. reliqua vero expressa radix in farinam molita, optimum ac nutritioni saluberrimum conficit panem. Illud etiam his addi potest, quod in circulatorū spectaculis sæpe demirantur homines. In vinum radicis cuiusdam puluerem, cuius gustatū fauces conuelluntur, immiscent & cui fucum facere volunt, iubent vt illo in vino intinctū digitum, quasi prægustandi causa sugat, tum illico digitum in vino madidum in os inditum sibi mordicus, non sine dolore & clamore premit inuitus. Interea perinde atque blanditiis mœrentem consolatur circulator; temporum carpique arterias alio quopiam oblinit medicamento, deinde nummum in terram proiectum hortatur vt tollat. Ibi ille pronus, primū se nequit attollere, mox vnguinis vi amens factus cōcidit, statimq; eius more, qui metuit ne mergatur in aqua, natat, ac vociferatur simul, se fluctib. obrui. Ergo eum erigit circulator. Ille quasi vlturus iniuriam, primum maleficium obliquo ac toruo intuitu exprobrare, mox hominē aggredi videtur, postremo fugientem circulatorem persequi, donec absterso tandem illiti medicamenti veneno recipiat animum ac menti restituatur. Vbi autem ad se rediit, quasi qui euaserit è mari naufragus, capillum vestimentaque,

veluti vela torquere, exprimereque, brachia tergere, & nares emungere conspicitur. Hæc, non sunt fabulæ. Nam *non desunt multorum testimonia, qui viderunt, quique imposturam suspicantes, suis & amicorũ suorum famulis (vt hoc anno Pragæ factum est) hæc fieri iusserunt. Herbam commemorat* Theophrastus, *qua deuorata septuagies coeundi potestas accedat. Quin & Indiæ occidentalis prouincia quadam versus Darieu, arborem esse pyri faciem referentem, scribunt Hispani, cuius fructus deuorati (sunt ii butyri sapore) adeo valide eos, qui deuorauerunt, in venerem agunt, vt prope miraculo sit ipsorum efficacia: Agnosoat illi nomen est.* Achæmenide *herba in hostium aciem cõiecta, trepidare agmẽ, & terga dare scribit Plinius. Quin etiam Latacen Legatis dari solitam à Persarum Regibus, vt quocunq; venissent, rerum omnium copia abundarent. Apud Tartaros plantã inueniri tradunt, cuius fructus agnũ per omnia refert. Obducitur is tenuissimo corio, quod vtuntur incolæ ad capitis tegmina. Internam pulpam cammari carnes referre aiunt, & è vulnere succum manare sanguini omnino similẽ; item dulcore esse admirabili, radicemq; humo exertam subrigere ad vmbilicum vsq;. Illud miraculi fouet magnitudinem quandiu obsidetur herbis, viuere illum quasi agnum in læto pascuo; euulsis vero illis paulatim cotabescere. Atqui & illud admirationẽ auget, appeti à lupis illum, atque vorari. Nonne & id mirum, quod de Ægyptia traditur* loto? *huius cũ flores, tum etiã scapum vesperi sub aquis mergi Ægyptii narrãt, vsq; ad medias noctes, totumq; abire in altũ, adeo, vt demissa quidẽ manu inueniri non poßint, verti deinde paulatimq; subrigi, & ad solis exortũ emergere extra aquas, ac flores patefacere, & capitula exerere, vt plane*

ab aqua absit alte. Cæterum nec *sylua quidem, nec saxa, nec antra, horridiorque naturæ facies medicinis caret, sacra illa parente rerum omnium nusquam non remedia disponente homini.* Innumeræ *fere sunt in syluis plantæ ac arbores, à quibus morborum salutem petimus. Sunt & in saxis & in antris aliæ vtilissimæ, quin etiam in ipso mari plantæ nascuntur salubres, quemadmodum in lacubus, fluminibus, fontibus, ac paludibus, è quibus sua habet medicina auxilia: adeo, vt nullus prorsus extet locus, qui hisce dotibus destituatur.* Nihil *enim quispiā à natura creatum inueniet, quod in medium vsum venire non possit. Quandoquidem ipsa venena non solum sese destruunt inuicem, sed & quamplurimis medentur morbis.* Aconitum *enim, etsi (vt prædiximus) adeo perniciosissimum sit, vt contactu tantum fœminei sexus genitalibus, necem paulo post afferat, epotum tamen. ictis à scorpione præsentaneo fere auxilio eos liberat. Mirum quidem exitialia ambo cum per se sint hæc duo venena, in homine commoriuntur, vt homo superstit. Idem oculorum medicamentis leuandi doloris gratia commodissime adducitur.* Cicuta *præterea pernecans planta, sacros ignes & vlcera, quæ serpunt, illitu restinguit, oculorum inflammationes mulcet, & alios quidem plures in medicina habet vsus.* Nerium *asinos, mulos, equosque qui deuorauerint, interficit: cæterum è vino potum demorsos à serpentibus sanat.* Meconium *in perpetuum somnum sumentes ducit: contra vero dolorificos morbos omnes mulcet.* Cantharides *deuoratæ, in necem hominem trahunt, atque iisdem curantur à cane rabido demorsi.* Vipera *reptilium fere perniciosissima, non solum sui ipsius venenum extinguit deuorata & illita; sed alia etiam venena superat & de-*

& destruit. Quid demum plura? nihil non herbarum vi effici posset, si plurimarum vires non ignorarentur. Hæc tametsi quibusdam fide carere videntur, admiratione tamē implent, coguntque confiteri, multum esse, quod vero supersit. Quapropter male audiunt apud doctos qui talia plantarum miracula rident, cum & rerum euenta prorsus famæ suffragentur. Non protinus historiis fidem derogare consentaneum est, si vel aucupium causæ, quo potiri nequeamus, nos fugiat; siquidem innumera fere sunt hominibus conspicua, quorum ratio non possit iniri. Multa in intimis naturæ penetralibus delitescunt, quæ nec ratio vlla, nec humanus intellectus comprehendere potest. Voluit enim natura hæc potius admirari homines, quam à quoquam vnquam intelligi. Quare qui scrupulosius in peruestigandis singulorum rationibus versantur, ex omnibus naturæ miracula submouent. Etenim vbi nos causæ ratio deficit, hinc dubitandi manat exordium, hoc est, philosophādi. Idcirco philosophiam modo quodam abolere conantur, qui prodigiosis naturæ miraculis fidē non habēt. Sed quare non plures noscantur plantæ (inquit Plinius) causa est, quod eas agrestes literarumque ignari experiantur, vt qui soli inter illas viuant. Multis enim inuentis nomina desunt. Nam scimus sine nomine plantam in angulis segetis defossam præstare, ne qua ales intret. Turpissima causa raritatis, quod & qui sciunt, demonstrare aliis nolunt, tanquam ipsis periturum, quod tradiderunt alii. Ita certe recondunt, qui pauca alia nouere, inuidentes aliis, & neminem docentes, in scientia autoritatem; tantum excogitandis nouis ac humana iuuanda vita, quorundam mores absunt. Summumque opus ingeniorum diu iam hoc fuit, vt intra vnumquenque rectè facta veterum perirent. Huc vsque Matthiolus.

CXXIIX.

HERBARIÆ MEDICINÆ ORIGO.

AD hunc nostrum de plantis siue herbis locum cohonestandum, mi Porphyri, operæ pretium erit, primos illarum virtutum inuentores paucis attingere. Et dicũt philosophi, herbariæ medicinę originem diuinam esse, à nemine excogitari inueniriq; potuisse putantes, prę terquam à Diis immortalibus. Si quis id, inquit vir doctus ille, ab hominibus excogitari posse credat, ingrate Deorum numen intelligit. Non fieri posse censuit Plinius, vt homo ipse abditas stirpium naturas & facultates inuestigare, aut perspectas habere queat, nisi prius à Deo istas virtutes fuerit edoctus. Nec desunt Christianæ religionis viri sanctissimi, qui creatorẽ Deum, plantarum & cæterarum rerum omnium, quas terra producit, procreat & alit, virtutes & facultates Adamo, primo homini, indicasse certo & firmiter credũ. Huc respexit VVolffgangus Iustus, in sua chronologia medica, ita scribens: *Medicam facultatem diuinitus à Deo esse ostensam, sacræ & profanæ literæ testantur. Nam res ipsa loquitur & ostendit, singulari consilio Deum, tanquam omnium patrem & effectorem fideliter humano generi prospicientẽ, distinxisse res nascentes, & alias velle esse nutrimenta alias vero remedia. Ideo Iesus Sirach recte affirmat: remedia ipsa opera Dei esse, & artem à Deo inuentam, cum c. 38. v. 4. inquit:* Dominus condidit ex terra pharmaca,

maca, & vir prudens non fastidit ea: *hic autorem remediorum ostendit. De medico autem* ibid. v. 1. 2. & v. 12. *inquit*: da locum medico, nam & ipsum Deus creauit. *Item*: honora medicũ, quia propter necessitatem Deus eum condidit, *id est, non tantum creauit remedia; sed etiam certorũ hominum mentes flexit ad eorum inquisitionẽ, & studiũ adiuuat. Et alioqui, Homero autore, morbos ad Deorum immortalium irã referri, & ab iisdem opem posci, solutũ esse constat; vnde & medicorũ cohors, in hoc cõsentit, veram medendi scientiã, donum Dei esse, & ab eodẽ diuinitus profectã, cum sanitatis autorẽ Deum ipsum statuãt; sed vtriusq; ministrum, medicum existere. Quare medica doctrina tanquam regina omnium artium, summa veneratione celebranda est, & propter gloriam Dei & maximam vtilitatem ambabus manibus amplexanda: siquidem vitæ præsidia necessaria partim ad tuendam valetudinẽ, partim ad pellendos morbos monstrat. Ex sapientibus, nonnulli primum humani generis parentem Adamum huius artis seminaria diuinitus cognita habuisse, liquido fatentur. Ab Adamo*, inquit Matthiolus, *omnium parente subsequutam ætatẽ volunt rerum omnium notitiam habuisse, ac subinde industria aucta, rem altius diligentiusq; exquirere cœpisse.* Deinde *Apis*, qui & *Serapis*, à quibusdam *Osiris*, Argiuorũ & Ægyptiorũ Rex post Adamũ, facultates plantarũ & medicinã reperisse anno ante natũ Christũ 1850. scribitur. Illũ sequutus *Orpheus* & *Apollo* filius Iouis, & huius filius *Æsculapius* ante Christũ anno 1720. anno mundi 2242. qui medicinã adhuc rudẽ vulgarẽ & inertẽ subtilius excoluit, & plurimũ adauxit. Hos secuti *Chirõ* Cẽtaurus

taurus, *Arabes*, *Machaon*, *Nicomachus*, *Hermes* siue *Mercurius Trismegistus*, id est, ter maximus, ante Christum circiter annum 1189. annum mundi 2773. *Musaeus* Atheniensis & *Melampus* ante Christum anno 1257. *Homerus*, anno 1106. *Menecrates* Syracusanus, anno 948. *Hesiodus* Ascræus, anno 821. *Pythagoras*, Samius anno 608. *Alcæus*, anno 596. *Democedes*, anno 520. *Zoroastres*, anno 520. *Democritus* Abderites anno 500. *Heraclius* Ephesius, anno 498. *Epicharmus*, Elothalis, anno 458. *Acron*, Agrigentinus, anno 453. *Empedocles*, Agrigentinus, Siculus, anno 453. *Hippocrates senior*, Hippocratis Medicorum principis auus, item *Heraclides*, *Asclepiades*, *Herodicus*, præceptor Hippocratis, *Euryphon*, collega Hippocratis, circiter annum 453. ante Christum. *Hippocrates*, Cous, anno 432. Hos sequuti sunt infiniti deinceps alii. Peragrarunt iam dicti philosophi principaliores tum temporis prouincias, Persam, Arabiam, Syriam, Æthiopiam, atque inprimis Ægyptum, & sic istam scientiam longa obseruatione inuenerunt, compararunt, propagarunt. Memorabile esse scribit Bacchinus, Regum illud sapientissimi Salomonis exemplum, quod is inter tot tantaque imperii sui negocia, omnium plantarum; quo Dei opt. max. sapientiam admirã iam prædicaret, à Cedro, inquam, Libani vsque ad Hyssopum murorum historiam texere voluerit, quæ (heu optata) non sine magno mortalium damno interiit. Cuius tam illustre exemplum ethnicorum Reges, Gen-

Gentium quidem, Illyricorum, à quo Gentiana; Lysimachum Macedoniæ, à quo Lysimachia; Telephum, Mysiæ, à quo Telephium; denique Mithridatem Ponti, à quo Mithridatica nomen sibi reseruat perpetuum. Quid? quod monumenta tradunt, Euacem Arabum Regem primum herbas pinxisse, ac eiusmodi depictum librum Neroni Cæsari honoris gratia misisse? Recte quidem. Existimarunt etenim, licet clari & armis & consilio forent, illustriores futuros se, & nominis claritatem auctum iri, si de plantis vel scriberent, vel aliquas à se inuentas denominarent. Quin eadem ratione quoque nomen suum non modo perpetuo hominum memoriis inhæsurum, verum etiam dum plantis repullulantibus & reuiuiscentibus quotannis quasi reuicturum, haud temere iudicarunt. Inter Imperatores porro Romanos D. Augustus, Tiberius Nero, Adrianus & Iustinus magna sedulitate Medicam artem iuuarunt, & non exiguam partem in ea posuerunt. Omittere hic non possum, quin Babylonicorum ægrotos curandi modum ex Herodoto recitem: *Alteram*, inquit, *sapienter condiderunt legem, ægrotos efferendi in forum; (neque enim medicis vtuntur) vt de eorum languore* consulant, qui eos adeunt, si quis & ipse eundem passus est morbum, aut alium vidit patientem. Hæc viri, qui illos adeunt, ipsis consulunt, hortanturque ad ea, quæ ipsi faciendo effugerint, similem morbum aut alium nouerunt effugisse. Nec fas est, cuique ægro-

ægrotantes præterire silentio, nec antequam explorauerit, quonam ille morbo laboret. In Asia, vbi antiquitus clari medici nondum magno numero reperiebãtur, mos erat, quoties aliquis ægrotum feliciter curasset eiq; sanitatem restituisset, vt, qui id perfecisset, in Ephesio templo tabula, (in qua historiola siue medendi modus inscriptus erat) appensa hoc fine testabatur, vt in futuris necessitatibus, similibus medicamentis vti possent. Deinde ex multis obseruationibus tandẽ artem conflarunt & composuerunt. Multum quoq; profuit medicæ arti, ꝙ professio artis medicæ in familia Asclepiadarũ ab Asclepio propagatorũ annis amplius mille, ita vt serie continua liberi in parentũ vestigia succederent, quorũ ad exemplum adhuc hodie Chinẽsibus lex est, qua vetatur, ne filius aliud artificiũ addiscat, quã quod pater ipsius exercuit; qua ratione & minoribus sumptibus domi apprehendunt modũ quærendi victũ, & quasi per hæreditariã continuationem ad maiorẽ excellentiã adducuntur. Et scribitur de hoc nostro Æsculapio, Apollinis filio, qui artẽ medicam valde expoliuit, atq; illustrauit, quod Hippolytũ & Antiogenẽ in vitam reuocauerit, ex letali (intellige mecum) morbo ad sanitatẽ reduxit: itidẽ intelligendũ puta, quod supra ex Matthiolo de resuscitato Thilione à mortuis & aliis citaui. Hisce, optime Iuli Porphyri, paucis tibi visis hortulis & plantis meditationes meas adumbrare volui; quas inter rutilos flores circumlatis oculis tuis

vago

vago aspectu & felicioris terræ halantibus & fragrantibus ornamentis blande benigneque relectis, & naribus admotis latius locupletiusque imitari poteris.

CXXIX.

SEPTIMA DEAMBVLATIOnum ruralium vtilitas: terrarum orbis, cęterorumque elementorum tractatio.

DEinde visa, in nostris deambulationibus, elementa, de iisdem philosophandi mihi præbent occasionem: de quibus paucis te quoque docebo.

CXXX.

TERRA.

ITaque visa ipsa terra, communi magna illa matre (ex qua omnes istæ, quas memini, herbæ proueniunt, aluntur, & in quam vicissim redeunt) quid animo voluam, asscribere placet. Ipsius vocem auribus, obambulans accipere fingo, quæ ex Pontano est huiusmodi. *Me ob multa ingentiaque merita parentis nomine mortales venerantur, quæ, vt cœlum diuorum, sic ego hominum sedes, nascentes excipio, natos alo, semel editos semper sustineo ac porto, prostremumque hac luce defunctos gremio meo complector & operio. Vos sacros facio (sacri enim sepulti) titulos vestros & monumenta gero, vestraque vitæ breuitatem futurorum seculorum memoria compenso.*

Aqua

Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes; aer densatur in nubibus, procellas facit: ego constans, ego benigna, mitis & indulgens, quasi ancilla sedula vobis ministro. Vomeribus, rastris, ligonibus solicitata quæ non gigno? quid à me desideratis vel odorum, vel saporum, vel succorum, vel colorum, vel tactuum denique? Pasco vestros oculos; recreo nares, delecto gustatum; demulceo aures, tangendi quoque sensum suauiter rebus pluribus afficio. Medicas herbas ad corporum humanorum incolumitatem semper effero, venenatas bestias patior quidem, sed inuita, & homines suis me criminibus vrgent, culpamque suam mihi imputant. Venena me gignere confiteor: sed quis eorum vsum nocentissimum præter hominem inuexit? Cauere ac refugere alitibus ferisque satis est. Atque cum arbore exacuant limentque cornua elephanti, & saxo rhinocerotes, & vtroque apri dentium sicas, sciantque ad nocendum se præparare animalia, quod tamen eorum tela sua, excepto homine, venenis tingit? illi & sagittas vngunt, & ferro aliquid dant nocentius, inficiunt flumina & rerum naturæ. Elementa, ipsum quoque aerem, quo viuitur, in perniciem vertunt. Creditum mihi cum fœnore magno reddo, vt à me discatis cumulate referre gratiã, & non solum altricem, verum etiam magistram virtutis pulcherrimæ, vel virtutum potius, agnoscatis: nec tantùm velitis esse alumni mei, sed etiam discipuli. Quæ nanque Themis dicitur, Dea æquitatis, eadem & terra, sumque symbolum iustitiæ, benignitatis, grati animi virtutumque similium. Contemplamini paulisper, & aciem in omnem partem protendite, meumque decus, speciem ac pulchritudinem admiramini. Quæ copia, quæ varietas florum è sinu

meo

meo prodeuntium? quibus tanquam margaritis & gemmis splendesco. Quam inexplorabilis herbarum diuersarum vbique multitudo? qua vt viridissimo amictu conuestior? quam proceræ, quam formosæ arbores? quæ est veluti cæsaries mea, & illa tot arbusta, tot frutices cincinauli mei. Per me vagantur, & pabula pinguissima mea detondent tot animalium ferorum cicuratorumque genera, nec conqueror. Tot & tam vasta maria humanis vsibus ad res commutandas apportandasque opportunissima ego contineo. In me fluminum gelidorum piscosorumque ac fontium lymphis strepentibus manantium mira iucunditas, quæ sunt quasi vbera mea, quibus rigantur stirpes, potanturque animalia. Hic speluncis vsque ad delicias excauata sum, illic accliuis & porrecta proceritate superba montium. Nam omnia in me plana, vel ardua, syluis, pratis, montibus vallibusque distinguor. Et cum foris alimenta animantibus sufficio, ob quæ vitam mihi debent (quare etiam ζείδωρ☉ vitę datrix, *rursum* πολυβοτείρα, *multa pascens*, πολυφόρβη multorum nutrix *appellata sum) non sum sterilis in ipsis visceribus, vbi tam varia metalla, aurum, argentum, stannum, plumbum aliaque pario. Produco insuper marmora plurium generum, ad fabricandas columnas, ad ædes & palatia fulcienda & exornanda, ad contegendos & incrustandos parietes, ad signa & statuas conformandas, ad Regum tumulos, ad omnigena monumenta. Nec non gemmas à me consequimini, quibus articuli vestri niteant. Habetis denique è syluis meis mollissima vellera, inde vestras sericas. Quas ego prætereo, quam innumeras magnificasque vrbes sustento, quibus vt corona circundor? Et ego quondam dearum fui in ordine, & habita sum deorum vetu-*

P *stissima*

stissima, ne sese hoc bono tantum ignis & aqua iactitet. At multo quidē iustius ego fui propter plura & praestantiora beneficia, quibus cum assidue fruamini, non est necesse ea deinceps à me percenseri. Videtur porro terra (vt Pererius scribit) ad humani corporis exēplar formata. Sunt enim in corporibus nostris venæ & arteriæ, illæ sanguinis hæ spiritus receptacula. Interea quoq; sunt alia itinera, per quæ aqua, & alia, per quę spiritus currit; adeoq; illā ad similitudinē humanorū corporū natura finxit, vt veteres, aquarū appellauerint venas. Sed quemadmodū in nobis nō tantū sanguinis est, sed multa genera humorū, alia necessarii, alia corrupti, ac paulo pinguioris, in capite cerebrū, in ossibus medullæ, saliuæq; & lacrymæ, & quiddā additū articulis, per quod agilius flectantur ex lubrico; sic in terra quoq; sunt humoris genera cōplura. Quædā quę natura durantur; hinc est omne metallorum genus, ex quib. aurum argentumq; petit auaritia; quædā quæ in lapidē ex liquore vertuntur. In quibusdā vero locis terra humore liquescit, sicut bitumen, & cætera huic similia. Et sicut nostrū corpus spiritu interius clauso, sæpe quatitur, & cōflictatur, vt tremat; ita etiā cōtingit terræ, vnde horribiles terræmotus & exitia, nō modo singulorū hominū & locorū; sed etiā populorū & regionū existunt. Audiamus & hic Philonē; *Mater*, inquit, *etiā terra videtur. Quapropter priscis illis placuit, vt nominaretur* γημήτηρ *composito è* terra & matre *vocabulo. Non. n. terra mulierē, vt dixit Plato, sed mulier terram imitatur, quā vere poetica gens* omni-

omniparam, frugiferam, pandoramque *appellare solita est: quippe causam ortus & perpetuitatis tam stirpium quam animalium.* Merito igitur terræ quoq;, antiquissimæ matrum ac fœcundissimæ, natura tanquã mammas dedit omnium fluminum fontiumque, vt stirpes rigentur, & omnia animalia potũ copiosum habeant; vt vere Lucretius lib. 2.

Terra parit nitidas fruges, arbustaq; læta,
Et genus humanum, parit omnia sæcla ferarum,
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt.
Et dulcem ducunt vitam, prolemq; propagant.
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Eadem, quæ iam de communi magnaque matre recitauimus, sua vernacula siue materna lingua breuiter descripsit Thomas Bonius, quam descriptionem tibi, mi Iuli Porphyri, ita reddidi; *Nobilis*, inquit, *est terra, quæ est admirabile mundi centrum, grauitatis plena, ad quam omnia grauia tendunt. Immobilis est, & figura sphærica; cæteris elementis vallata, omnium ædificiorum vasis, anhelantium & spirantium creaturarum vniuersalis communisque parens, plantarum animaliumque nutrix, preciosissimorum metallorum lacunar seu cauea, cunctorum demortuorum ingens sepulchrũ & vrna. Mollissimis & suauissimis herbis est vestita, variis fragrantibus flosculis ornata, infinitis virentibus arboribus dotata, dulcissimorũ & gratissimorum fructuũ paradisus, infinitorum thesaurorũ liberalis & benigna mater, naturæ sedes, vniuersalis viuentiũ & vegetãtium creaturarũ locus & habitaculũ.* Huc referendũ, quod Ægidius Albertinus in libro de veritate in sua materna lingua ita scribit:

Terra in mundo posita, & à centro cœli interuallis æqualibus separata & disiuncta est. Terra à terendo, *id est, calcando*: *item* humus *ab* humore, *quo à pelago (cui coniuncta est) irrigatur; vt &* tellus, *à tollendo dicta est, propterea, quod fructus ipsius metimus atq; tollimus. Quid enim variis ipsius vultibus distinctisque formis, variaque ipsius præstãtia atq; dignitate possit esse suauius? quid ipsis excelsis, altis, iucundisque montibus altius? quid suauibus atque gratis vallibus pratisque & æquata camporum planicie? quid paludibus, mediamque eam perfluentibus riuulis? elegantibus gratisque floribus, herbisque & plantis gratius atq; iucundius esse queat? in quo; quæso, maior naturæ consensus esse possit, quam in ipsa terra, quæ nos nascentes excipit, natos alit, ab aere, aqua & igni repulsos & exclusos hospicio recipit? quid humo nunquam irascente benignius esse queat? aquæ enim in periculosas inundationes excrescunt, in grandinem niuesque conuertuntur: aer densatur in nubibus; & fulgure tonitruque sæuit furitque: terra vero benigna est, & mitis, prompta hominum obsequio, & alacris famula, quæ nobis de omnis generis gratis odoribus atque saporibus prospicit; nosque variis coloribus atque speciebus exhilarat.*

Hoc denique dicam, operæ precium quoq; erit; quod intelligentiæ in terrarum beneficium & seruitium cælestes illas moles omnes rotent. Omnia porro cælestia corpora, sidera illa lumen & splendorem suum, vti & aspectus atque influentias suas ad terrarum orbis venerandam faciem inclinant: Ignis insuper mille impressionibus calorem suum ad terræ partes calefaciendas & viuificandas demittit: aer illi

pluuias dat, & leues auras, vt terram fertilem reddat, communicat: aqua illum circundat, & per innumeros meatus singulares & diuersos percursitat.

CXXXI.

AQVA.

NEque est aquæ natura ignobilis, quæ est vastissimum elementum, & limpidissimum corpus & clarissimum, cęlestisque coloris. Semper aqua mobilis, in alueis potens, velocitate mirabilis, in mari grandis & ingens, in flumine liberalis, in lacu gratiosa, amabilis in fontibus, delectabilis in riuulis, nauium merciumque portatrix, omnis immunditiæ purgatrix, animantium est refrigerium, dat plantis humores, & tortuosis flexuosisque gyris forinsecus intrinsecusque terram transcurrit, & per terrę viscera multis flexibus sinuosisque viis ad mare tandem pergens ei se reddit. Ad hunc modum nobile hoc elementum celebrat Albertinus, ita scribens: *aqua, quasi æqua, idest, plana dicitur, quia semper æqualis est, nisi quando vi commouetur & perturbatur. Est valde vtile Elementum. Temperat enim cœlum, humectat & irrigat terram. Aquæ sunt causa omnium è terra nascentium: cient enim fructus, arboresque & plantas, pellunt, sordes, suum piscibus spiraculum, & omnibus animalibus sua tum fomenta, tum alimenta suppeditant. Aquam primordium mundi cæterisque rebus omnibus priorem fuisse, Seneca asserit, item aquam & ignem terreis rebus dominari, eorum principium fuisse, atque finem*

 futura,

futura, cum inquit: ignis exitus mundi est, & humor primordium. *Etsi Deus opt. max. res à se conditas maximis bonis, amplissimisque titulis decorauit: sensilium tamen elementorum ne vllum quidem excepto ipso aqua elemento, ampliore decore condecoratum est. Primum enim omnium à Deo opt. max. conditum est, iuxta illa verba:* & spiritus Domini ferebatur super aquas. *Malitia vero humana tanta tamque varia facta, vt* omnis caro viam suam iam corrupisset; *humanum genus nullo alio medio, nullaue alia re disperditum est, nisi ipsa aqua. Deus opt. max. etiam omnipotentiam suam in Pharaone exerere atq; ostendere volens, in mari rubro dextra sua contra Ægyptios vsus est. Similiter & populo terram benedictam ingrediente magna iterum miracula in aquis Iordanis apparuerunt. Ideoque Dauid, exclamans inquit:* & tu, Iordan, cur recederes? *Hæc omnia aquis gesta sunt in veteri testamento, seu tempore veteris legis In nouo vero testamento legimus, aduentum Christi à Ioanne ad aquarum stagna annunciatum fuisse. Christus aqua baptizari voluit; primum itidem miraculum suum aqua edidit.*

Est porro aqua elementum simplicissimum, cuius caput est Ocean⁹, cuius pedes flumina. Est aqua magnus thesaurus, in cuius sinu preciosi lapilli, gemmæ, vniones, aurum & argentum reperiuntur. Est remedium terrarum sterilitati. O elementum consideratione dignissimum, quod se vsque in cœlum extendit, seque per terrarum viscera diffundit!

CXXXII.

CXXXII.
AER.

NEque minus nobilis est natura aeris, qui est subtilissimum corpus, vniuersalis locus euanescentium Cometarum, cadentium stellarum, fugientium nubium, velocium exhalationum, pluuiarum, tempestatum, grandinum, nebularum, ciuium, fulgurum, fulminum, roris & iridis. Omnes res humidas ille conseruat, omniaque animalia terrestria refrigerat. Et est elementum liberalissimum & solertissimum. Iam gratiosos dat nimbos, iam temperatas pluuias, iam fœcundum rorem, iam candidas nubes; alio tẽpore arcus cælestes, mirabiles Cometas, gratos ventos, hodie candidas niues, cras serenitatem; alio die cõcretas grandines, & fugaces tẽpestates. Patefacit quoq; & monstrat claris lucibus interpunctã & pictã noctem, rutilantẽ auroram, claram diem, declinantem vesperẽ, nec non floridum ver, pallidam æstatem, fructiferum autumnum, glacialem & niuosam hyemẽ. Omne mundanum pulchrum, omnes liquores cõseruat, & cælestes influentias per corpus suũ portat. Cõsideramus porro in hoc elemẽto, siue in regione aerea tres plagas; primã calidã, tanquam igni proximã: secundã frigidam tanquam ab igne longinquã & vaporib. terrestribus plenam; tertiã radiis solaribus alterabilẽ, iam calidã iam frigidã, iam temperatam. In prima omnes res ignitæ inflammantur, vt Cometæ, atque id genus alii stellantes globuli. In secunda, gelu,

niues, nubes, pluuiæ & grandines generantur. In tertia variæ spirantes auræ procreantur.

CXXXIII.

IGNIS.

RAro porro aeri adde penetrabilem ignem, elementum omnino actiuum & leuissimũ, altissimum locum tenens, per cuncta corpora penetrans, cunctaque ad se propinquantia in se, terrenas, nimirũ, res in aquosas, aquosas in aereas, aereas in seipsum resoluens. Dura metalla purgat, cuncta dura firmaque mollificat, mollia indurat, à terræ centro motus agitat, atque in infinitis rebus aliis & summe admirabilis est, & prædicabilis.

CXXXIV.

OCTAVA DEAMBVLATIONum ruralium vtilitas: Cœlorum stellarumque admiratio.

POrro cum cœlum, magni illa mœnia mundi, in nostris deambulationibus aspicimus, simul istud vna cum suis flosculis illis micantibus stellis suspicimus. Nobilissimum enim & considerationе dignissimum est cœlum, quod simplicissimum est corpus, incorruptibile, & ingenerabile, sphæricæ figuræ, & circularis motus, luminis plenissimum, sublimen locum possidens,

cuncta

cuncta alia corpora continet, cui motrices intelligentiæ siue facultates assistunt, dominatur & imperat omnibus cæteris creaturis siue corporibus naturalibus; cunctis entibus dat & causat influentias omnium rerum terrestrium (post DEVM) est summa causa, tempora dat, dirigit, mõstrat. Ver, æstatem, autumnum & hyemem, noctes & dies, menses & annos distinguit. Meditatione porro dignissimum est, illud cæleste primum mobile, quod vigintiquatuor horis cæteras sphæras ab Oriente in Occidens, & de Occidente in Oriens rapit, gyrat, voluit.

CXXXV.

PLANETÆ.

MEditatione imo summa speculatione dignisimum est, (vt crystallinum taceam) cœlum constellatum, quod est pulchrum illud partium superiorum perlucidorum signorum: quod

SATVRNVM habet, qui ad parsimoniam inclinat:

Iouem, qui lætam vitam per virtutem operatur:

Martem, qui mortales reddit animosos & & belligerantes:

Solem, qui rerum generationes causat:

Venerem, quæ gratiam, pulchritudinem & amorem impertit:

Mercurium, qui ingenia ad eloquẽtiam le-
Lunam, quæ homines castos seruat. (uat:
Hi planetæ, quamuis remittẽti & aduerso cœlo suũ motum habeant; suumq; cursum peragant: cum cœlo tamen quotidie circulariter mouentur, & circum terrarũ orbẽ viginti quatuor horis gyrantur, & rotantur. Sol insuper splendidũ diei; Luna, noctis lumen est, Suntque cum cæteris stellis, cœli illis oculis, flosculis & ornamentis, ampli terrarum orbis magnificæ faces.

CXXXVI.
SOL.

DE stellarũ rege, sole, solummodo dicam, & conspecto illo, quales meditationes in animo meo incurrãt, paucis recensebo. *Sol* tanquã rex videtur stare in superiori sphæra, & aurata claraq; sua rota magnitudinis atq; excellẽtiæ suæ radios ad cætera mittere sidera, tanquã ad suos vasallos, quorũ aliqua instar promptissimorum seruorũ ipsum tanquã ducẽ siue regẽ sequũtur, quorũ aliqua præcedentia aduentum eius quasi prænunciant. O vere admirandũ & cõsideratione dignissimũ planetã! cuius principalior virtus est, infundere à se in cæteras stellas claritudinẽ: cuius virtus post Deũ, est, in hoc sublunari mũdo generare, nec nõ calore suo augere, fouere, perficere. In sublimũ insuper hic planeta ducit vapores ex mari & terra, vt cãpos, prata, siluas adaquet: & mot⁹ sui varietate varias tẽporis vices (licet hoc supra de toto cęlo dictũ, principaliter tamẽ ille) causat somniferas scil. noctes, nitidos

dies

dies, Iunigenas menses, variabiles annos, floridũ ver, spiceã æstatẽ, pomiferũ autumnum, glaciale & invisam hyemẽ. Si porro perpendo, quod sol creatura sit maxime visibilis; & ferme haud videatur: in Deũ cogitationes meas conuerto, mecũ ipso leni murmure admirans sic loquor: Deus omniũ entium maxime est intelligibilis, & minus tamen à multis intelligitur. Si Solem animaduerto, lucem & calorem suum cæteris rebus corporalibus vnice communicare: Deum mihi ob mentis oculos pono, innumerabilia dona suis creaturis communicantem. Sol totum vniuersum mundũ extrinsecus, & Deus mundum minorem, μικρόκοσμον (hominem intellige) intrinsecus illuminat. Sol virtute sua vsque ad terrarũ viscera penetrat, vbi aurũ, argentum, & cætera operatur metalla: & Deus vsq; in minoris mundi cor descẽdit, vbi longe mirabiliora operatur, & omnis generis creaturas alias penetrat. Sol æqualiter ab omnibus videtur, & ab illis qui bene, & ab illis qui ęgre illũ bona aut mala oculi dispositione vidẽt: & Deus oculis nostris per opera sua se subiicit: sed aliqui mortales magis, aliqui minus intellectus dispositione illum intuentur. Sol viuificat & generat omnes res sublunares, quapropter generalis parẽs appellatur; & Deus causarũ causa est omnis genenerationis & vitæ, quapropter vnicus creator vocatur. Sol radios suos in immũda loca mittit, & nihilominus mũdus manet; & Deus etiã bona impiis impertit, nec ab illis inquinatur. Sol, licet

cæteris

cæteris creaturis lucem suam communicet, tamen non minuitur: ita nec Deus, qui sua bonitate & liberalitate omnes creaturas dotat. Eadem ferme, quæ de sole diximus, scripsit de illo quoq; sua lingua Albertinus, cuius verba sunt hæc: *Sol*, inquit, *est oculus mundi, gaudium & suauitas diei, ornamentum & puchritudo cœli, mensura temporum, virtus omnium terra nascentium, decus & perfectio stellarum, rex & dominus planetarum. Et quasi rex totius mundi, agmine stellarum cinctus, igneo currui insidens, aerias areas perambulans, quotidie ceu diligens sedulusque rex vniuersum suum regnum visit: suoque splendore, radiis atque vi, omnibus atque singulis locis dominatur. Tenebras pellit, rebus colores suos dat, vel potius eos ostendit exhibetque, oculos omnium animalium exhilarat, salutiferumque mundo calorem immittit. Dei veredarius est, nunquam quiescens, sed semper cursum suum agens. Hinc omnium atque singulorum quæ morti obnoxia sunt, pater atque nutricius esse dicitur, multique hinc ipsum diuino cultu affecerunt atque adorarunt. Id quod Moses satis tempestiue, imo mature prauidit. Israelitas promonens, ne solis Lunæque pulchritudine permoti ipsos adorarent, vt ipsi postmodum hæc fecerint. Sol, Dei acris imago & arguta significatio est, primumque diuinam maiestatem repræsentat: Quemadmodum enim vnus est Deus, sic etiam vnicus sol. Quemadmodum Deus diuina sua actione omnia implet, sic sol sua virtute mundum. Quemadmodum Deus in omnium hominum corda descendit, ita & lumine suo sol in omnia loca peruenit. Vt à diuina vi res omnes suam virtutem habent: ita & omnes stellæ virtutem suam à sole accipiunt. Qui Deum habet,*

habet, clementiam omnem experitur sentitque; qui sine Deo est, firmus inhæret peccatis: sic qui solem habet, lucem habet; & lumine carens, in tenebris hæret. Deus est essentia suprema: & sol causarum (secundarum) *suprema est. Deus semper est vnicus, ita & sol. Vt Deus intellectu nostro comprehendi nequit: sic neque sol sensuum nostrorum imbecillitate cerni potest. Vt in Deo est, pater, filius & Spiritus sanctus: sic in sole sunt fætifica vis, lux & calor. Hac de causa inquit Dauid:* in sole tabernaculum suum collocauit, isque progreditur ceu sponsus è penetrali seu cubiculo suo. *Denique quemadmodum duo in sole, magnitudo nimirum & motus ipsius, nos latent, (etsi enim terræ magnitudinem quater excedit, nostri tamen sensus eum assequi atque comprehendere nequeunt; & quia motu celerrimo fertur, ea tamẽ velocitas à nobis penitus perspici nequit:) sic duo, magnitudo videlicet essentiæ, motusque occultæ prouidentiæ diuinæ nos latent. Infinita enim essentia sua à nobis perfecte comprehendi nequit, vt & Iob inquit, cap. 39.* Magnus est Dominus, & vincens scientiam nostram. *Sapientiæ suæ splendor tantus est, vt prouidentiæ suæ motum complecti nequeamus, causamque iudiciorum suorum plane perspicere non valeamus. Sic enim Eccl. c. 8. ait:* Omnium operum diuinorum, quæ sub sole fiunt, homo fundamentum causamque reperire nequit, & quanto plus laborauerit ad quærendũ, tanto minus inueniet & assequetur.

Quamplurima similia alia occurrunt, quæ à sole ad DEVM accõmodare, aliaq; innumerabilia, quæ de solis virtute exarare possimus; nec non de cæteris stellis, de perlucidorum globorum

rum magnitudine, eorundemque stupenda celeritate, planetarum proprietate, nobilitate, de lucis excellentia, de cælestis motus constantia & perpetuitate, de admirando ordine, & quomodo totum illud cœlum, post DEVM in hisce inferioribus rebus, luminibus, influentiis & motibus suis operetur, quas ob rationes omnium rerum sublunarium artifex vocetur, nec nō perpetua rota, splendidum tentorium, sub quo omne viuens & spirans requiescit, Corona mūdi, regium laquear, cuius trabes sunt poli, arcticus & antarcticus, quod magni instar Principis palatii variis figuris & picturis, hoc est, viuis auratisq; scintillis, & coruscantibus carbunculis siue pyropis est ornatum: Sed breuitatis studentes, ita omnia lubenter præterimus: quibus nequaquam æquiparare possumus superbas Luculli ædes, Augusti & Adriani præclaras villas, excultos Hiericanos hortulos, crudelis Neronis aureas domos, labyrinthos Porsennę, Babyloniæ muros, pyramides Ægyptias, Salomonis templum vna cum Dianæ Ephesiæ, magnam quondam illam vrbem Niniue, fortem atque elegantem Numantiam, diuitem Carthaginem, potentissimam Romam, quæ nunc omnia in puluerem, in vmbram, in nihilum cōuersa sunt, siue perdita. Idem, solum illud cæleste corpus temporum iniurias temnit, nec cunctis horis, diebus, annis, lustris, seculis corrumpitur, aut disrumpitur.

CXXXVII.

CXXXVII.

NONA DEAMBVLATIONUM ruralium vtilitas: variarum similitudinum à rebus physicis ad mores hominum applicatio.

VIdes, mi Iuli Porphyri, quomodo philosophicus animus de visis creaturis meditetur: iridē vti iam de sole & de cęteris rebus physicis, quas in aere, ruri obambulātes, intuemur, philosophamur, multasque & varias similitudines sumere, atq; ad mores applicare possumus: à cursu siderum ordine ad stabilem, cōstantem & laudabilem ordinem, à stellis ad claros virtutibusque præstantes homines, à terra ad peccatorem, quod non moueri aut commoueri possit, ab aqua ad delicias mundanas, mundana bona & dona, mundanas fluuiales illas volucres & volubiles felicitates, de aere ad mortalium vitam, spiritum, animā, ab igne ad Dei amorem, de vento ad inquietum & turbulentum Principem, à nube ad cor scientiam, ab iride ad Christum propter flexionem misericordiæ, dein, quia infinitus Deus est, denique quia iris omnes colores & Christus omnes virtutes in se habet, quibus lucet & splendet, à rore ad beneficos homines, à pruina ad hypocritas, qui sub candida probaque forma perdunt & decipiunt, à pluuiis ad liberales homines, à grandine

dine ad hominem auarum, perditorem, raptorem, latronem, à niue ad pudicitiam, pœnitentiam, & pietatem, à nebula ad ignorantiam, à fulgure & fulmine ad Christi aduentum ad iudicium extremum, à mari ad immensum Deum & profundam eius sapientiam, item ad ecclesiam Dei, in qua Christiani tanquam pisces in mari narrant, oberrant, atque vbi variis procellis & periculis sunt obnoxii, à lumine ad Deum patrem, filium & spiritum sanctum, à tenebris ad omnis generis ignorantiam & priuationem. Linquamus hic particularia; de quibus omnibus & singulis libero cœlo; obambulantes; non secus ac supra de sole, & quibusdam herbis & animalibus philosophati sumus, meditamur, ruminamur, & nobiscum colloquimur. Eadem hic, facile recitare possemus. At linquamus hic, mi Iuli Porphyri, particularia; stylum hic sistamus, & *vniuersum* aggrediamur.

CXXXIIX.

DECIMA DEAMBVLATIONUM ruralium vtilitas, vniuersi mundi celebratio.

CVm totum ipsum vniuersumque mundum fixis corporis, intentis animi oculis intueor, pauloque penitius contemplans considero: vna cum Valentino in Genesin commentatore admiratione captus in hanc prorumpo exclamationem: *Quid est mundo, in rebus à Deo conditis, ad*

tis mole maius, varietate admirabilius, specie magnificentius, ornatu elegantius, pulchritudine amabilius, robore valentius, ad incolumitatem ac diuturnitatem firmius, decentissimo partium omnium ordine, miroque earum inter sese quasi concentu quodam consensuque venustius, bonorum omnium copia plenius, perfectione absolutius? Denique cum dixi *mundum*, dixi omnia. Quid enim aut dici aut fingi potest, siue maximum sit, siue minimum, quod non vt mundi amplexu; sic *mundi* vocabulo comprehendatur? Iam vero, si omnia Dei opera cogitatione percurramus, nullum inueniemus mundi natura vel ad inuestigandum abstrusius, vel ad reperiendum difficilius, vel ad cognoscendum iucundius; vel denique ad docendum & discendum vtilius. Vtilius dico: Nam vel vnum id, quod Moses in principio Genesis verissime docuit, si de mundo cognoscatur ac teneatur, ipsum ex nihilo ab aliquo temporis initio esse factum; incredibile est, ad cognitionem Dei mortalibus tradendam, atq; in eorum animis corroborandam, quanta ex hoc vno efflorescat & redundet vtilitas. Qui nanq; persuasum fuerit, mundum, qui ex omni æternitate nullus fuerat, & nulla ex materia nouoque certi temporis ortu esse generatum: huic profecto nihil negocii erit persuadere, esse Deum, & vnum, & omnium rerum efficientem, conseruantem, regentem, intelligentem atque prouidentem esse causam; eumque infinita vi ac potestate pollere, nec vlla naturæ necessitate; sed sua tantum voluntate

ac bonitate ad fabricãdum mundum esse adductum, atque sibi ipsum ad omnia vsquequaque sufficere, ex se, ac se solo esse beatum, nec ad tuendã felicitatẽ suam vllius rei, quæ extra ipsum est, vel adminiculo, vel accessione; vel cõsortio indigere. Hic mundus, de quo narramus, & quẽ ita celebramus à pulchritudine, ab amplitudine atq; ab vtilitate, creatus, constitutus & datus est à Deo homini habitaculum, & regio, in qua regnaret, & præesset atq; dominaretur omnibus, quæ in ea sunt, creaturis cæteris. Audiamus & hic Thomam Bonium de mundo sermocinantem: *primum dicam*, inquit, *hunc mundum perfectissimum esse corpus, cuius principales partes sunt cælestes & elementares regiones, cuius forma est sphærica, cuius materia prima erat NIHIL, cuius creator fuit ipse Deus noster, cuius finis hic est, vt mortalibus sit vsui, eoq; magis illi liberalissimũ creatorem amarent, ipsiq; gratias agerent.*

CXXXIX.

MVNDI CONTENTA corpora.

CORpus eius ita perfectum est, vt in se quam plurima & omnis generis corpora contineat: corpora substantialia, en tibi cœlos; corpora (vt sic loquar) quantitatiua, en tibi altitudinis, amplitudinis & profunditatis moles; corpora inanimata, en tibi marmora; corpora animata anima vegetatiua en tibi stirpes, plantas; corpora animæ sensitiuæ, en animalia terrestria,

ſtria, aeria, aquatica; corpora animæ rationalis, en homines; corpora incorruptibilia, ecce ſphæras cæleſtes; corpora corruptibilia ecce quantum ad partes, elementa; corpora (vt quidam vocãt) ſimilaria, ecce oſſa, carnem, neruos; corpora diſſimilaria, ecce truncos, ramos; corpora ſimplicia, ignem, aerem, aquam, terram; corpora miſta, adamantas, carbunculos, pyropum; corpora diaphana, vt vitra, cryſtallum; corpora leuia ſiue plana, vt porphyrum; corpora ſcabroſa, vt pumices; corpora opaca, vt terrã; corpora mollia, vt aquã, corpora dura, vt ſaxa; corpora lucida, vt ſolem cæteraque ſidera, corpora tenebroſa, vt carbones. Eſt mundus, vt dixi, ſphæricæ figuræ, vt eo capacior ſit, & locorũ corpora, imo ipſa loca in ſe comprehẽdat. Terram reſpice, animalium terreſtrium, ſylueſtrium & domeſticorum locus & habitatio eſt. Aquam contemplare, eſt tortilium piſcium locus & habitaculum. In aerem oculos conuerte, vagarum auium & muſcarum locus eſt. In cœlum proſpice, quod locus eſt ampliſſimorũ corporum elementarium. Vrbes contuere, communia mortaliũ loca. Ædes aſpice, mortalium loca priuata. En mõtes, loca aprica. En ſyluas, loca vmbroſa. En hortulos, plantarum loca. Ecce nemora, ferarum loca, ecce piſcinas, vndicolarũ loca. En infinita loca alia, quæ omnia ab illo vniuerſali mundi globo ſiue ſphęra ſunt cõprehenſa. O perfectũ corpus! ô perfectas partes! ô perfectam formã! ô perfectiſſimũ creatorẽ! ô per-

fectissimum finem! Quænam lingua, licet eloquentissima, vestras eloqui valeat perfectiones? Nos, vt quid sentiamus, (quodammodo adumbremus) dicamus, mundum quem leui calamo paulum tetigimus, amœnissimum esse Paradisum dicimus, mirabile fundamentum habentem, cuius muri altissimi sunt cœli, cuius serenus purgatusque est aer, salutiferos ventos spirans, cuius situs limpidissimis fontibus irrigatus; cuius campi, montes & colles herbis & plantis sunt operti, qui tot montium sublimitate, tot nemorosis insulis, tot crystallinis fontibus, tot floridis pratis & delectabili auium murmure est decoratus. Theatrum insuper regium est; in quo cœlestes sphæræ, nec non altissimæ aeris ignisque columnæ, pretiosissimum terræ pauimentum; & ampli vndarum fontes cernuntur. Habitaculum est mortalium, vbi magnificæ elementorum portæ, præstantes Cameræ; Europa, Asia, Africa, & America: Camera æstiua, Meridies: camera brumalis, hyems: fenestra, Oriens: cubile, septentrio: secreta cóclauia, vrbes, oppida, arces perspiciuntur. Naturæ porro sylua est, in qua contemplamur inanimata saxa, viuentes plantas, sensitiua animalia, & rationabiles mortales, stabile & firmum elementum, terram; fluctuosum sue fluuiale elementum, aquam; rarum elementum aerem; & leue elementum ignem: nec non perpetuo mobile corpus, cœlum. Lucidissimum speculum est omnipotentis & benigni creatoris, in quo

quo magnæ ipsius maiestatis faciem quodammodo animaduertimus, nec non amplissimum bonitatis suæ pectus, fortissima potentiæ suæ brachia, & mirabilis summæque sapientiæ delineamenta. Philosophorum liber est, in quo leguntur capita diuinæ prouidentiæ, sapientiæ, potentiæ; item capita legis naturæ, capita generationis & corruptionis, capita differentiarum rerum omnium. Aureus & preciosus est circulus, cuius circumferentia amoris laqueis vniuersa ligat; corpus multarum partium contiguum vbi altera alteram non impedit, sed vnanimæ sese amplectuntur & adiuuant. Prædicamentum est, quod in se omnia genera, omnes species, omnes substantias habet, omnia accidentia, omnes qualitates, quantitates, passiones, situs, tempora, loca, habitus. Index est omnium temporum & seculorum. Æternæ lucis vmbra est. Linea siue circulus est, quæ à summo & vnico prouenit Bono, circundans hominem. Carcer est, qui omnia conseruat, & nihil stringit. Tympanum est summi artificis. Schola est, quæ Naturæ literas docet. Scientiarum stimulus est, ad causarum notitiam. Quis igitur mundum admiraretur, & admirando non obstupesceret? quis stimulum hunc non demiraretur, qui pungens delectat? hanc scholam, sine strepitu loqui docentem omnes linguas; hunc carcerem, qui nunquam te ligat, lineam quæ nunquam rumpitur; radium qui semper splendet; indicem nunquam mentientem; prædicamentum o-

mnia complectens, nec se confundens; corpus, à quo omnes partes, totum integrum tamē remanens; circulum amore stringentem, librum, legentem, iuuantem; speculum tanquam die effigies referentem; syluam perpetuo virescentem; vrbem semper delectamenta præbentem; habitaculum nunquā corruens; theatrum semper te recipiēs; paradisum, cui delicatissimi fructus nō deficiunt; figuram alias omnes complectentem. O mundum miri & mirifici artificis! ô mundum tanta fortitudine cinctum, tanta sapientia dispositum, tantis bonis vestitum, dotatum, ornatum! Solus, qui te fecit, tuam excellentiam describere valet. Tantæ moli humilis vermis, à natura recens nati infantuli, humeri debilissimi mei haud sufficiunt. Viles tam egregiæ figuræ vmbras, & in infinito campo, curtas lineas solum dixi, illustris operę obscuras notas pinxi, & ingentis ignis minimas scintillas produxi.

C X L.

VNDECIMA DEAMBVLAtionum ruralium vtilitas, rerum creatarum concatenationis miratio.

RElinquamus igitur totū vniuersum, & hunc nostrum sermonem ad creaturarum dispositionem siue concatenationem vertamus, atq; ingenii acie (vti ruri spaciantes facere consueuimus)

uimus) contemplemur, quod in magno illo theatro singulæ creaturæ ad certos sint prædestinatæ vsus quod vnitę sint, & ad vnicum finem suas operas dirigant, atque ad conseruandum vniuersum hominis causa intendant. Primus actor & auctor, causarum prima causa intelligẽtias primum mouet; intelligentiæ mouent cœlum; & motum primum mobile cæteras cœli sphæras inferiores commouet; commotæ illæ sphæræ, per influentias res orbis terrarum mouent, vt & solis radii ad se exhalationes vaporosas trahant, quæ postquam in aerem latæ per pluuiam iterum cadunt in terram, eamque irrigãt; hæc irrigata producit herbas; herbæ bruta animalia pascũt; & bruta animalia homines nutriunt. O Catena admirabilis vnionis! terra cum aqua cõiungitur propter frigus; aqua cum aere propter humidũ; aer cum igne propter calidũ; & terra cum igne, licet extrema sint propter siccitatẽ; aer cum igne propter leuitatem; aqua cũ terra propter grauitatem. O catena stupendę vnionis! sphæræ cælestes coniungũtur diuturno motu, sphærica forma, proportione, actione, constantia & stabilitate. O catena mirificæ vnionis! cœlum gratias suas & diuitias terræ largitur; terra aperiens sinum suum easdem accipit, & sic vniuersa conseruantur. O dispositionem & ordinem laudandum & admirandum!

O sapientiæ altitudinem, & miraculorum abyssum.

CXLI.

QVODECIMA DEAMBVLAtionum ruralium vtilitas: quæstionum de variis rebus creatis solutio.

SVbeunt porro ambulanti mihi in animum, vltroque se offerunt, occurruntq; de mundo eiusque partibus variæ & diuersæ quæstiones, responsiones, disputationes & decisiones, vt ecce de tempore, quo conditus sit hic mundus, quo anno? die? mense?

CXLII.

QVONAM ANNI TEMpore mundus creatus sit.

ATque vt de anni tempore respondeam, dico, mumdum mea opinione in autumno creatum fuisse: quia autumnus est finis anni præcedentis, si generationis naturalium rerum ordinem spectes, tum enim fructus decerpuntur & conduntur, deciduntq; folia, herbæ, gramina. Est & autumnus sequentis anni principium, quia eo tempore sementis fit, & terra mandata sibi semina concipit, & procreat iisdem radices, quocirca autumni tempus conceptioni & generationi rerum conuenit, ideoque primordiis mundi magis est idoneum. Tempus veris

veris magis respondet adolescentiæ, & ipsius mundi iuuentuti. Accedit ad nostram opinionem stabiliendam, quod in mundi exordio, vt alia sic & arbores in statu perfecto productæ fuerint, hoc est, cum fructibus iam maturis perfectisque, atque ad comedendum idoneis: *talium enim* inquit Pererius, *in cibum animantium & hominum protinus opus erat: non enim hominibus* (ita pergit Pererius) *ante diluuium ex esu carnium, sed herbarum duntaxat & fructuum victus fuit.* Hoc etiam aperte docet sacra scriptura: nō solum quia (Gen. 1. v. 11. tradit, tertio die, iubente Deo, terram produxisse *lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum*; sed etiam quia docet, Deum primis hominibus recens creatis dixisse: (ibid. v. 29.) *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint nobis in escam & cunctis animantibus terræ.* Et rursus Gen. 2. v. 16. 17. præcepit domini dicens: *ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Eua quoque (Gen. 3. v. 1.) serpenti insidiose ac malitiose interroganti, *cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno in paradiso?* respondit (v. 2. 3.) *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.* Et paulo infra (v. 4.) subdit Moyses: *vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu eius & comedit.* De Paradiso quoque cum loqueretur Moyses,

 dixit

dixit (Gen. 2. v. 9. *produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* Quid plura? Dei perfecta sunt opera, præsertim autē, quæ ab eo immediate ac miraculose fiunt: arbores autem tum demum perfectæ censentur, cum fructus maturos & ad esum idoneos habent. Quod si in exordio mundi arbores maturos habebant fructus, profecto non veris, sed autumni tempore mundum factum esse credendum est: maturatio enim fructuum non vere fit, sed in autumno: nam etsi in quibusdam regionibus, nempe calidioribus, ocyus maturescunt fructus: attamen in Paradiso terrestri, cuius erat temperatissimum cœlum, tam propere, hoc est, verno tempore maturescere non poterant.

CXLIII.

QVÆ CAVSA FLVMINVM perennitatis.

DEinde de fontium & fluminum origine, eorundemque perennitate, iucundæ mihi sunt meditationes: Eodem ferme modo aqua ex aere gigni mihi videtur, quo supra terram fit. Vapores calidi & humidi vt in mediam & frigidam aeris regionem coacti, destituti calore & refrigerati, in aquam mutari dicuntur: ita etiam in cauis terræ, ex vaporibus densatis aquam effici, in scholis docetur. Hæc guttatim

tatim in vnum aliquem locum confluens, si confestim ex terra erumpat, *flumen*; si parcius, *fons* dicitur, vt scribit Liblerus. Terra humoribus & vaporibus plenissima est, præsertim cauernosi montes. Experti ipsi sumus nuper, per alpes ex Italia domum reuersi, ex magnis montibus quamplurimos fontes; & ex maximis montibus maxima oriri flumina cum aer (vt literis testatur Valerius) humore & calore constet, aqua autem frigore & humore: si calorem aer in terrarũ cauis hiatibus & cauernis inclusus amittat, mox in aquam vertatur necesse est, quæ cum semel effluere cœperit, perennis fons nascitur, nouo semper in liquescentis locum, ne vacuum existere possit, aere subeunte. Huic opinioni obstare videtur Ecclesiastes (c. 1. v. 7.) *Omnia flumina*, inquit, *pergunt ad mare, & mare non impletur: ad locum, vnde proficiscuntur flumina, illuc reuertuntur, vt rursum redeant.*

Hic quidam dicunt, vt per corpus à iecore velut receptaculo sanguis per omnes venas, pro aquarum magnitudine vel maiorem, vel minorem aquarum copiam exsilire. Et est mea opinio, ex mari, velut vero ac perenni aquarum fonte, omnia flumina oriri: An vero omnes fontes ita fiant, vt ex mari aqua per cauos & internos terræ meatus & canales, tanquam sanguis aut phlegma per varias corporis nostri venas subeant; ex quibus in vnum tandem locum congregata illa

aqua

aqua fontem emittat, è quo flumen enascatur, subdubito. Potest etiam illa sententia, cuius supra mentionem feci, quæ & Aristotelicæ similis, salua illa ex sacris literis petita, vera esse, omnesque fluminum aquas ex mari venire ad mareque redire, licet per internos terræ meatus & cauos non fiat.

CXLIV.

CVR STELLÆ SVPER terram sint collocatæ.

SI porro quæstio mihi obuiam fiat, cur stellæ & lucentes cœli flosculi super terram sint collocati? hanc causam esse respondeo, vt hæc inferiora corpora ab illis superioribus regantur, atque per illorum motum tum conseruentur, tum determinentur. Superioribus illis corporibus Deum vti, tanquam secundis quibusdam causis, à se in eum vsum creatis. Vires quædam à stellis in hæc inferiora & terrena corpora influunt, vt plantæ crescant, & animalia suæ vitæ spacia constituta certaque habeant, peragant, finiant. *Hoc fine*, inquit ille, *stellæ creatæ sunt, vt efficiant gratissimas vices temporum, dierum, mensium annorum; Temperamentorum etiam qualitates in natura elementari, & alios effectus rebus nascentibus conuenientes cieant & gignant.* Has tres meditatiunculas asscribere placuit, vt & tibi quoties ruri obambulanti, mundumque contemplanti ansam philosophandi præbeam; scias, quid mihi medi-

meditationum in animo, viso mundo, visisque mundi partibus, quid quæstionum, inquam, in animum meum irrepentium, imo irrumpentium, vt sunt: *mundus vtrum vnus, vel plures? mundus an finitus? vtrum sphæricus & rotundus? vtrum sit animatus? nunquid mundus etiam Dei filius dici possit? dies cur creatus sit? cur nox? cur tenebræ? quid ignis cælestis, quid aer sit? quot meteororum genera, & qui generentur? quid nubes, pluuia, nix, grando, pruina, gelu, glacies, ros, manna? quid fulmen fulgur, tonitru? quid ventus? & quæ sint horum omnium causæ.* De variis porro aquarum generibus meditationes oriuntur: quid scilicet causæ sit, quod diuersus aquarum è terris, scatentium sapor, odor, color, calor? itidem de marium fluxu, qui bis quotidie fit in Oceano, in Euripo septies: in mari mediterraneo lenius, vt vix deprehendatur. Itemque de maris salsugine, alendis potius, quam exstinguendis incendiis vtili, quod scilicet aqua marina potius excitet, quam restinguat incendium. Terra porro nunquid stet, an moueatur circulariter? cur arida sit? insinuant insuper se in nostram mentem variæ meditationes de metallis & preciosis lapidibus & vulgaribus, de bitumine, argilla, calce, aliisque terræ speciebus; nec non de corporibus cælestibus, cur illa ante animalia sint condita? nunquid sint animata? vtrum calida aut frigida? quis & qualis illorum motus? an prima lux, de qua Moyses in Genesi, sit corporalis, an spiritualis? an fuit elementum ignis. an fuit lux solis perfecta? quamdiu fuerit

mundus

mundus tenebrosus, priusquam lux creata sit? cur Deus astra creare voluerit post plantas, & ante generationem hominum? cur luna appelletur luminare magnum? an pisces creati sint ex aqua tantum passiue, an etiam actiue? vtrum aues creatæ fuerint ex aqua similiter vt pisces? quid senserint philosophi de prima creatione animalium? cur Deus quasi consultabundus inducitur in creatione primi hominis? anima quid sit? sensus quid & quotuplices? & id genus aliæ quæstiones sese offerũt, de quibus omnib. in illo silentio obambulans magna cum admiratione summaque iucunditate late læteque meditor, ruminor, philosophor, & summam Dei potentiam, eximiam bonitatem, benignitatem, & sapientiam inexplicabilem admiror.

CXLV.

DECIMATERTIA DEAMBVLATIONUM RURALIUM VTILITAS: MUNDI MIRACULORUM EXAMINATIO.

NEc immerito Dei benignitas & sapientia est admiranda & celebranda. Nullus namque mundi angulus occurrit, qui huc mortalesnon vocet. Hoc Thomas Bonius mecum considerans, *tam amplissimum est*, inquit, *miraculum, mundi theatrum, vt mortales ad contemplandum, considerandum, & speculandum res creatas, facti, si dili-*

si diligenti & purgato mentis corporisque oculo easdem aspicerent, dicere possent: totius mundo nullam esse particulam minimi anguli, in qua quamplurima miracula haud inuenirent.

CXLVI.

MIRACVLVM; QVOD excellentissimæ res in occulto sunt:

VTque de hac re pauca ad huc pangam, magnum dico esse miraculum; quod omnium præstantissimæ atque excellentissimæ res quæ maximi valoris, maximæ virtutis maximæque potentiæ, obuelatæ, & in firmis terræ cellis sint absconditæ? vt magni Imperatores, Reges, Principes; tanquam res preciosissimæ & præstantissimæ, remotiori atq; inferiori totius arcis conclaui remorantur: ita excellentissimas quoq; res naturales in secretioribus mundi locis collocatas animaduertimus. En tibi aurum, argentum, & cæteras preciosissimas metalli species, quæ in internis terræ visceribus, tanquam magnæ matris, Naturæ preciosissimi thesauri latent. En marmora, porphyros, onyches, siue Alabastrides, lapidesq; illos Lydios, qui in profundis & occultis montium inueniuntur cellis. En preciosi lapilli & calculi, fulgẽtes margaritæ, quæ in immensi maris quæruntur fundo. En tibi omnes animas, quæ se sub ipsorum cor-

corporibus celant, & per operationes solummodo se manifestant. En omnia semina, quæ in occulta uaue a latent.

CXLVII.

MIRACVLVM: IN OMNIbus rebus tripartitum reperiri ordinem.

NEc minus miraculosum est, quod tam in superiori, quam inferiori hoc mundo tripartitum ordinem obseruauimus. En cœlum empyreum natura sua immobile describitur; primum sua natura mobile est, & cæteræ sphæræ partim natura sua; partim non sua natura mobiles. En igitur immobile cœlum, secundum vno motu mobile, cæteri multis motibus. Tripartitus igitur est cœlorum ordo. En porro tibi cœlum corpus, tam ad formam, quam ad materiam, totum incorruptibile est; en terrestria tam animalium brutorum, quam plantarum & forma & materia sunt corruptibilia: en corpus humanum, quantum ad materiam, illud corruptibile est; incorruptibile, quantum ad formam: tripartitum igitur inuenies corporum ordinem. Elementa considera: ignis leuissimus est, terra grauissima; aqua & aer partim leues, partim graues sunt: tripartitum igitur animaduertes elemẽtorum ordinem. Motum à centro ad superiores ignis aerisque partes perpende;

pende, & motum à superioribus partibus ad terrarum aquarumque orbis centrum; nec non motum cœli rotantem & gyrantem; tres igitur in simplicibus corporibus dixeris esse motuum ordines: Angelus creatura totaliter (licet respe-ctu Dei etiam corporea dicatur) incorporea est; saxum, creatura totaliter corporea; homo creatura partim corporea, partim incorporea est: tres igitur sunt naturæ ordines. Mixta imperfecta, cogita, nebulas, pluuias, niues, grandines; & mixta perfecta inanimata, metalla, aurum, argentum; nec non mista perfecta animata, plantas & animalia: tres igitur corporum mistorum habebis ordines. Examina animam vegetatiuam, quæ se nutrit, augmentat, & similem sibi generat, animam sensitiuam, quæ supra prædictas qualitates habet sensum; animam intellectiuam, quæ vltra vegetatiuæ & sensitiuæ qualitates ratione est ornata: tres igitur vides animarum ordines. Syluestres sterilesque plantas respice, ad altas ędes superbasque moles aptissimas, cupressum, fraxinum; respice fructiferas vnius solum fructus; pyrum codonium, cedrum, pomum; respice fructiferas plurium fructuum, ficum, vites, & tres plantarum deprędes ordines. Obtutum in bruta animalia fige, in syluestria & in disciplinabilia, tigres, pantheras, crocodilos; in domestica per totum; canes, feles; in partim domestica, partim syluestria, simiam, cuniculos: tres igitur animalium contemplaberis ordines. In aeria animalia, in aues, ocu-

los intēde, aquilas, falcones, hirūdines; in aquatilia, in pisces, delphinos, balęnas, Salmos in terrestria, leones, vrsos, ceruos. tres igitur animalium conspicies ordines. Infige in animum æstatem calidam; hyemē frigidam; ver & autumnū temperatos: tres igitur obseruabis cuiusq; anni, & vt sic loquar, stationis seu temperamenti ordines. Intende animum in Zonas terræ, frigidas tēperatas, & torridas: tres igitur intueberis terrarū ordines. Adesto animo in aquam, quædam salsa est; quædam dulcis; est; alia amara: & tres aduertes aquarū ordines. En aeris regiones, primam alterabilem; secundam frigidam; tertiam calidam. tres igitur accipies aeris ordines. Cape cœlū, & quoad totū, & quoad partes est incorruptibile, cape elemēta, & quoad partes corruptibilia, & quoad totū incorruptibilia sunt. Cape mista, & quoad partes, & quoad totū corruptibilia sūt: tres igitur habebis vniuersi ordines. Vtq; angelos aliosq; spiritus, cæteras creaturas animantiumq; singula mēbra haud attingā, omnium rerū causas meditare, causam primā efficientē vniuersalē archetypū totius vniuersi, causam omniū creaturarū exemplarē, omnium rerum causam finalē archetypum omniū creaturarum. tripartitū igitur percipies causarū ordinem: archetypum cœlorū terrarumq; orbis. Ecce potentiam DEI patris; ecce sapientiam DEI filii: ecce bonitatem DEI spiritussancti: en igitur in vno illo Deo nostro, tribus sanctissimis personis, numerum ternarium.

CXLIIX.

CXLIIX.

MIRACVLVM; QVOD substantiæ per accidentia operentur.

PErmirum porro est, quod omnes inferiores substantiæ per accidentia operentur, quasi ipsarum excellentia haud permitteret, sine accidentium ministerio quicquam peragere. Animaduertimus enim, quod illud cœli summum ornamentum, mundi oculus sol, stupendas suas operationes in inferiori mundo per lucem peragat, quod anima suas operationes vitales per calorem perficiat: ignis itidem per calorem & splendorem; aer quoque per humiditatem infinitas operatur impressiones: aqua frigiditate mirabiliter penetrat: terra siccitate suos effectus patefacit: atque ita cuncta accidentia tanquam suos ministros præmittunt ad primos insultus faciendos, & ad materias disponendas atque præparandas, & nouas formas creandas.

CXLIX.

MIRACVLVM, QVOD per inuisibile omne visibile ita reddatur.

MIrificum est, quod omnes res huius inferioris mundi per inuisibile reddatur visibilia & quod sine inuisibili, licet visibilia sint, in-

uisibilia tamen maneant, quasi omnium rerum visibilium excellentia ab inuisibili pendeat, tãquam à re longe altioris atque excellentioris naturæ. Nam licet totum cœlum cum maioribus minoribusque suis flosculis, stellis, clarissime splendescat, cuius magna luce hemisphęria claras aquas, puros crystallos, limpidos fontes, rutilantes adamantes, candidas niues, & preciosa metalla illuminent; omniumque mortalium acuti curiosique adsint oculi; nihilominus tamen omnes res istæ tam magnæ, tam miræ, tamque illuminatæ inuisibiles manebunt; neque ab vllo mortali conspectæ, nisi adiungas inuisibile, quod est (arrige aures, intende oculos) ANIMA. Illa enim licet inuisibilis, virtute, quã dat oculo, efficit, vt res visibilis reddatur, & videatur. Sine isto inuisibili omnes res sunt sine venustate & pulchritudine, sine valore & æstimatione; & licet aurum, argentum, vniones & pretiosi lapilli sint mirificæ pulchritudinis & precii: si illo, quod dixi, inuisibili non redderentur visibilia, neque ita ipsorum venustas & valor patefieret, sine laude, sine ęstimatione & precio ociosissima, & nullius vsus incognita manerent.

CL.

MIRACVLVM, QVOD CORpora per res incorporeas operentur.

IN admiratione quoque eſt, quod corpora per res incorporeas operentur, ita, vt ſine incorporeo corporea ſint languida & abſque virtute, ipſorumque nobilitas in obſcuro iaceat. Ex his apparet, quod omnium corporum operationum regina ſit res incorporea. Oculus corporeus non videt; auris non auſcultat; nares ſiue olfactus non apprehendunt odores; lingua ſiue guſtus non ſentit ſapores; tactus non percipit frigus, calorem, aſperum, læue, durum, molle: nullum opus manus format. Pes, licet ad motum aptus ſit, organa ſua tamen haud mouet; licet manus apta ſit ad operandum, tactus ad ſentiendum qualitates; guſtus ad ſapores diſcernendos; auris ad voces diſtinguendas; oculus ad diuerſos colores videndos; niſi incorporeum tamen adiungatur, nimirum ANIMA, partes ſuas non tranſigent. Illa eſt, quæ cauſat atque efficit, vt manus mirabiles res operetur; vt corpus altas excelſaſque machinas moueat; ſine illa enim corpora ocioſa ſunt. Atque ita animaduertimus, animalium corpora tam laborioſa opera peragere, incorporea ſua anima (ſine qua proſtrata ſunt & ocioſa) quæ intus operatur; ita quoque animaduertimus, plantarum

corpora mirabiles suos operari effectus pro formarum suarum incorporeo, sine quo sterilia sunt & mortua. Ita omnesq; aliæ res corporeæ per formas suas substantiales incorporeas in toto vniuerso opera sua efficiunt.

CLI.

MIRACVLVM, QVOD EXterna accidentia ad specierum & indiuiduorum cognitionem sine confusione ducant.

STupemus etiam admiratione, quod externa accidentia ad specierum & indiuiduorum cognitionem sine vlla confusione in tanta multitudine ducant, ita vt substantiæ illa tanquam legata ob nobilitatem suam mittant. Hinc est, quod animalia figuras suas differentes habeant, pellem, pilos, pennas differentes; membrorum habitus differētes; colores distinctos; proprietates distinctas; imo ipsa specierum indiuidua habent singularia accidentia, quæ cum ipsius speciei altero indiuiduo haud cōueniunt. Hinc distinctæ tot & tātorum animaliū species, atq; vnius eiusdemq; speciei indiuidua cognoscuntur. Idem contemplamur in herbis, stirpibus & plantis, quod in tam magna multitudine nulla recipiatur confusio, postquam corpus, quantitatem, colorem, vestitum siue corticulam figuram

ram, virtutē, locum & alia accidentia, per quæ ad distinctam specierum cognitionem ducimur. Idipsum & in aliis naturalibus rebus experimur.

CLII.

MIRACVLVM, SEMINUM virtus.

MAgnæ considerationis miraculum & seminum est virtus, quod herbarum & plātarum quodlibet indiuiduū tantum numerum seminum producat, & quod quorum semina minimum in sua specie generet, tantæ magnitudinis plantam: vnus quoque piscis tot ouorum millia vno partu emittat, & quod ex singulis ouis pisciculi oriantur; necnon quod ex tantulo terrestrium animalium semine tam magna atque excellentia viuentia corpora formentur.

CLIII.

MIRACVLA VIRTVTIS occultæ.

TAceo miracula occultæ virtutis, Magnetis ferrum ad se trahentis, quod Succinum attrahat stramen, quod Balsamum virtutē habeat, vt res incorruptibiles reddat, quod certi lapides virtutem habeant, vt res visibiles (secundum quorundam opinionem) inuisibiles faciant, quod aqua tam magnas & mirificas habeat, proprietates quod polaris stella hac virtute

sit prædita, vt tanta distantia ad se Magnetē trahat, & quod Planetæ cum suis influentiis tanto interuallo corpora inferiora tangāt & disponāt; quodque solus & vnicus ille lucis creator sol, omnis generationis parens & vocetur, & sit. Ingens illud miraculum prætereo, quod terrarum orbis, tam magna moles in medio mundi firmissima commoretur, totque aquis haud inundetur, & quod tot aquulæ & flumina, per terras ad matrem, mare, perpetuo reuertantur. Nec cętera huius inferioris superiorisque mundi miracula (ne nimis longum molestumque sermonis mei filum fiat) meminero; sed tibi consideranda relinquam.

CLIV.

MIRACVLM ARCHETYPI totius vniuersi.

SI igitur tanta & tam ingentia stupendaque sint miracula mundana; quam magna, quamque infinita igitur ipsius archetypi vniuersi mundi & mysteria & miracula esse putas, qui omnia miracula superat, præualet & cætera hæc inferiora causatur. Cognoscimus (confiteri cogimur) cuncta ipsius opera mera esse mysteria & miracula. Iam intelligimus, quod totum mundum miraculis rutilare faciat: iam conspicamur, quod non sit vel minima creatura, à sua liberalissima manu prouenieus, quin altiori nomi-

nomine, quam miraculo sit vocanda. Sufficiat igitur, vt perhibeamus Deum mysteriorum & miraculorum omnium esse fontem & scaturiginem, qui mille millium miraculorum per riuulos mittit ad cœlos, elementa, mista, herbas, plantas, & animalia: Deum esse miraculorum Oceanum, ad quem per longos circulos & prolixos gyros ingentes miraculorum moles reuertuntur: Deum omnium miraculorum esse centrum, à quo omnes miraculorum lineæ ad amplissimas mundi circumferentias proficiscuntur, & in seipsum vicissim determinantur. O omnium mysteriorum & miraculorum profundissimam abyssum! Quis vastissimam profunditatem discernere siue percipere potest? ô, infinitum miraculorum thronum! quis, ô Magne rerum mundanarum autor & moderator, ad tua admiranda theatra appropinquare audeat? haud ego, humilis & abiecta creatura; haud ego, inquam, qui hæc inferiora miracula satis intelligere aut considerare non possum. Sufficiat igitur, sufficiat, vt tanti creatoris & gubernatoris magnitudines demiremur, atque admiratione percussi sileamus, & silentes ipsum religiose honoremus, colamus, amemus. En tibi, chare Iuli Porphyri, nostras de rebus creatis meditationes, ad quas meque teque voco. O religiosum & pium vereque humanum studium, ad quod sancti patres, atque inprimis Theodorus Gaza nos adhortatur: *Permulta de Deo, inquit, is tractat, qui doctrina rerum conditarum* (de

animalibus) *exquisitissima conditorem ipsum declarat.* Et est, mi Iuli Porphyri, notitia & sciẽtia rerum à Deo creatarum, totiusq; vniuersi mundi notitia nobilissima, & optima, quæ cæteras notitias & cognitiones seculares cunctas vincit: nũquid radiolum solarem cum tota solis sphæra æquiparáre potes? pallidam auroram cum claro meridie? frigidam atramq; vmbram cum ignea nitidaq; luce? Tam magni precii terra est, vt magnos Darios, potentes Xerxes, magnanimos Alexandros & gloriosos Cæsares ad illius desiderium moueiit; nec cęteros homines minus magnanimos ita amor res creatas habendi stimulat, vt noctes diesq; eo omnes suas meditationes, labores & sudores vnice dirigãt. Et est totus ille mũdus, cæteræq; in eo creaturę (quas in deambulationibus nostris rimamur, meditamur, admiramur) opera excellentissima & clarissima infinitæ potentiæ magni opificis & creatoris Dei, vbi ordo sapientiæ, thesaurus bonitatis, & brachium omnipotentiæ diuinæ splendet.

CLV.

DECIMAQVARTA DEambulationum ruralium vtilitas Dei gloriæ amplificatio.

SVnt creaturæ diuinorũ attributorum canora tympana, primę de vnico bono notitię insignes scalæ, creatoris imagines, & magni Dei magnificentiæ promptissimæ linguæ. Sæpeque accidit,

accidit, vt inter istiusmodi meditationes, solilo-quia & ruminationes clara altaq; voce exclamē; ô admirabilē, magnū, sapientē & benignū Deū, qui illa omnia hominis, & hominē sui ipsius ergo, ad cognoscendū scil. laudandū, amandū cōditorē suum creauit! ô magnifica tua opera, Domine, omnia in sapientia fecisti: sapientia tua facit, hæc à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter; omnia ista ab initio in mensura & numero disposuisti, omnia tu solus creasti, omnia tu solus conseruas, prouides, sustentas.

CLVI.

OMNIVM CREATVRARUM creatorem collaudantium deductio.

LAudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate eū omnes angeli eius laudate eum omnes virtutes eius, laudate eū sol & luna; laudate eum omnes stellæ & lumē, laudate Dominū de terra, dracones & omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbū, eius mōtes & omnes Cedri, bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ; Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, seniores cū iunioribus, laudent nomen Domini quoniam exaltatum est nomen eius solius. Nec immerito cū Dauide sic dicere, clamare, Deumque laudare possum; quippe cū singulæ physicæ contemplationes & considerationes de creatione ac conseruatione cœlorum, angelorum,

Solis

Solis, lunæ, reliquarumque stellarum, luminis, draconum, elementorum, meteororum, plantarum, bestiarum, hominum à spiritu sancto sæpe singuli psalmi seu singuli hymni in Dei honorem conscripti, vocent & indigetent. Et verissime sunt isti singuli hymni, suntque (vt de suo hoc mihi D. Franzius largiatur) Deo gratissimi hymni, in quibus opera tanta tam potentem operatorem, & infinitæ creaturæ infinities bonum creatorem multis variisque documentis acclamant & proclamant. Etsi quidem spiritum & intellectum ad contemplandum Deum cuncta non habent, & præ se voce & corde non laudant Deum: tamen cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus, & cum per ipsa laudatur Deus, quodammodo & ipsa laudant Deum. Omnium in suo genere admirabilis varietas, & inter se conformitas, quodammodo vox est eorum confitentium Deum. Cum illa consideratur & inuenitur, ex tua consideratione clamant, & hac tua voce clamant. Eodem pacto omnia laudant Deum siue in statu, siue in motu, cum tu vides, & gaudes, & attolleris in artificem. Deum enim confiteris ei, laudas eum de ipsis, quia melius eo nihil est, quicquid fecit, infra illum est; quicquid in his placet, minus est, quam ipse. Huc etiam trium puerorum illa cantilena pertinet: *Benedicite Domino ros & pruina; benedicite Cete, & omnia, quæ mouentur in aquis, Domino; benedicite omnes volucres cœli Domino; benedicite omnes bestiæ & pecora Domino.* Ex his iterum elucet,

mi

mi Iuli Porphyri, licet ipsa animalia bruta Domino nostro decantare laudes, eumque celebrare non possint: homines tamen ex istiusmodi Creaturarum aspectu & consideratione occasionem & ansam prehendunt & accipiunt, ac manu quasi ad cantandum Domino laudem, honorem & gloriam ducuntur. Et vt de brutis animalibus tantum agam, & non meis, sed VVolffgangi Franzii, optimi & dicendi & sentiendi Doctoris verbis vtar, vtque de suis quædam excerpam, eaque huc referam, mihi, mi Iuli Porphyri, facile concesseris: *Omnium inter sese* (inquit) *maximopere discriminata natura, naturæque cuique correspondens singularis temperies quodammodo vox est eundem confitentium Deum.*

CLVII.

ANIMALIVM DIVERSOrum diuersæ naturæ, esse hymnos in diuinum honorem.

Vox confitentium Deum creatorem, sunt animalium diuersissimorum diuersa natura, quod non tantum magnis, nec tantum mediocribus, nec tantum paruis hunc mundum compleuerit: sed ex omnibus istis creaturis ornatiorem reddiderit; & quod singulæ species suam quamque proportionem exacte custodiunt, adeo, vt nec voracissimorum porcorum corpora vnquam ad elephantorum molem & magnitudinem excrescere, & nec anserum aptitudinem columbæ, aranearumue molem pediculi assequi valeant.

valeant. Vox confitentium DEVM creatorem sunt singularum specierum ἰδιοκρασίαι. *singulares voces, singulares sensuum intentiones, singulares appetitus, singulares singularium latibulorum, amores, singulares conceptus, gestationes, partus ætates, adeo vt nunquam vllos cuculus gallorum cantilenas, nec leones grunnitum porcorum, nec equorum hinnitum canes, nec apum mellificandi artem gallinæ æmulari tentent; vt nunquam felis prodat furem nocturnum, nũquam auiculæ noctu cum canibus latrantibus canant, vt nunquam ouibus carnium, hirundinibus frumentorum, equis ossium, canibus trifoliorum & thymorum obrepant desideria, vt nunquam leporem aut rhinocerotem ad præsepia, ad iugum & ad agros arandos more boum & equorum assuefacere queas: sicut nunquam canes & feles dominis & domibus derelictis, aprorum aut luporum, aut leonum feritatem & in desertis circumuagandi naturam induent; vt nunquam plus ferocientiũ leonum, immaniũ vrsorum, crudelissimarum tigridum, rabientium pãtherarum, infestissimorum Crocodilorum, quam vtilium ouium, ceruorum, leporum, boum, equorũ, columbarum, vt nec vbiq; locorum elephanti, aut monocerotes, aut dracones regulariter reperiantur. Vox confitentium D E V M creatorem* (ita enim pergo excellentissimi Franzii historia supracitata) *sunt admirabiles & plerunque cum aliis naturales consensiones aut dissensiones, de quibus extant eruditorum opera multa. Harum igitur rerum omnium penitissimam meditationem plurimum prodesse ad ipsam diuinæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis gloriam, nemo est; qui vel tantillum contra dicere ausit. Quod enim de plantis dixit, etiam minoribus, Stigelius?*

Præ-

Præſentemq; refert quælibet herba Deum;
Id de his quoque rectiſſime enunciaueris iam indigitatis conſiderationibus,

Præſentemque refert beſtia quæque Deum:
Et huc pertinet, quod Deus ipſe apud Iobum, ſuam glorioſam prouidentiam, & infinitam poteſtatem, inſcrutabilemq; ſapientiam demonſtraturus, ex phyſicis hiſce pulcherrimus ſcientiis concionem inſtituit ſeu hymnũ ſibi ipſi dulciſſimum compoſuit: nunquid inquit c.39. v.4. noſti tempus, quo pariũt Ibyces? & tempus quo parturiunt ceruæ, obſeruaſti? numeraſti menſes, quibus conceptum adimplent, & an noſti tempus, quo pariunt? *hoc eſt, tune conſtituiſti ipſis, an ego tempus, quandiu ſingulæ beſtiæ vterum ferre debeant? tune, an ego, ſingulis deſtinaſti certas anni partes pro generatione & propagatione ſpeciei: tu ne an ego illas hodie inuo?item:* (v.8.9.) quis dimiſit onagrum liberum? & vincula eius quis ſoluit? cuius domum dedi ſoludinẽ, & tabernacula eius in terra ſalſuginis: Contẽnit multitudinẽ, & clamorẽ exactoris nõ audit. Circũſpicit mõtes paſcuæ ſuæ, & virentia quæq; perquirit. Nũquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuũ? Nũquid alligabis Monocerotẽ ad arandũ, loco tuo? aut confringet glebã vallium poſt te? nunquid fiduciã habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos nũquid credes illi, quod ſementẽ reddat tibi, & aream tuam cõgreget? *hoc eſt, quis ita diſtinxit inter beſtias domeſticas & feras, vt feræ ſtabulis, vice verſa domeſticæ ſyluis perpetuo menſurandis & percurrendis aſſueſieri nunquam queant!*

Ego

Ego vt singulis speciebus distinctas voces, cantus, vociferationes inter se similimas ab aliis speciebus maximopere discrepantes indidi : ita quoque singulis assignaui certas habitationes, quas strictissime sectantur(v. 16.) Penna struthionis similis est pennis herodii & accipitris; quādo derelinquit oüa sua in terra, tu forsan in puluere calefacies ea? obliuiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui; frustra laborauit, nullo timore cogente. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiā. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: *hoc est; Quis, nisi solus ego Deus, singulis auibus, vt diuersas magnitudines & modulationes, quas nulla species alteri praeripere vel inuidere potest, ita quoque singulis speciebus certos variantium pennarum colores in eadem inconuertibiles indidi, certos item affectus, vt haec gaudeat nidificare in aedibus hominum, haec in altis arboribus, haec tantum in sulcis agrorum, haec in fruticibus &c. certas item calliditates, vt hae sint aliis longe simpliciores aut sagaciores ad fugiendos venatores & hostes?*(v. 21.) Nunquid praebebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? nunquid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium eius, terror; terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis; contemnit pauorem; nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus, feruens & fremens sorbet terrā, nec reputat tubae sonare clangorem: vbi audierit buccinam, dixit, *vah!* procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum ex-

exercitus: *hoc est; nunquid alius quam ego animalia alia feci animosiora aliis; vt cogantur aliqua aliis fuga cedere: nunquid alius, quam ego formaui hanc & non aliam vocem equo? quam retinent & vsurpant citra immutationē omnem equi omnes in omnibus terrarum orbis partibus per omnes centenarios annos mundi, cum tamen nec artifex possit omnibus tubis ex ære factis eūdem prorsus vniformem tribuere sonum? nunquid alius præter me quædam animalia etiam bellis adaptat, reliqua tantum ad culinam abiicit, quædam facit, vt agnoscant domini vocem, quædam refugiant hominis conspectum: quis facit, nisi ego, vt hæc omnia ordinata & fixa vigeant; in singulis speciebus, nō vno sed omnibus annis durante hoc mundo, nō in vno, sed in omnibus angulis totius terræ?* (v. 20.) Nunquid ad præceptum tuum aquila in arduis (*non in stabulis, vt gallina domestica*) ponet nidum suum? in petris manet, in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus, inde cōtemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt: pulli lambunt sanguinem, & vbicunque cadauer, statim adest; *hoc est, nunquid alius præter me formauit aues, vt quædam volatu suo literarum quarundam exprimant characterem, vel dispositionem; quædam vero confuso agmine conglomeratæ circumrotentur; quædam ament societatem; quædam solitudinibus gaudeant; quædam ament ali ab hominibus; quædam extreme auersentur hominem; quædam tantum pascantur muscis, & prorsus abstineant frugibus; quædam eligant furtiuas & cruentas, cadauerosas, mucosas & putridas prædas? Hactenus verba Iobi. Vox sunt insuper confitentium Dominum creatorem in omnibus pulcherrima*

S memi-

membrorum organicorum conformationes, totum suum quam aptißime perficientes, & quidē in diuersa magnitudinum diuersis diuersa nimium. Etsi vero in minimis non inuenire licet omnē illam & multitudinem & varietatē partium, qualē cernimus in vastis & immanib. beluis: interim tamē, quia habere sensus & quidē sæpius acriores, quā ipsa maiora bruta, deprehēduntur, pro actionib. sensuū omniū sufficientes, si non easdē, tamē analogas quasdā partes ipsis parauit Deus. Sæpenumero .n. inter meditandū & scribendū in chartis & libris nostris errare conspicimus bestiolas adeo paruas, vt fere sensum nostrum effugiant. At nihilominus in istis oportet esse quadā organa pro attrahendo, proq; concoquendo alimento, pro spiritu vitali diffundēdo in vniuersū illud corpusculū, cuius vigore id cernit, olfacit, progreditur, sibi cauet. At quis poterit omnia illa membrula describere exacte? in boue nemo tētare ausit; in pulice quis vero præsumat, aut in alio minimorū minimulo? Meditari, inquā, decet illa, sed propter Deum tam nostrū, quā illorū creatorē potentem, sapientē & optimū. Inter terrestria, Deus seruat hanc quoq; admirandā consuetudinē, vt vnius speciei domestica & fera pariter creet, anseres nimirū cicuratos & anseres feros, anates domesticos & anates feros tauros domesticos & feros. Nihil dicimus de hoc, quod facit aues quasdā sine pedibus, & pisces sine pennis volātes, quales esse testimoniū suis roborarūt ii quotquot Indicis nauigationib. recentibus opera nauarūt: sicut facit volare etiā vespertiliones citra pēnas, & clarissime canere insecta citra manifestū oris ductum. Vox sunt confitentium Deum creatorem, potentem sapientem, bonum, varii vsus, quos suppeditant hominibus tum ipsa integra & viua, tum ipsorum interna & externæ partes, siue alimentum spectes, siue vecturas, siue vestimenta, siue

volu-

voluptatem, in vita. Quanquam enim nō omnia condu-cunt tuo palato, nec volunt tuis masticari dentibus, nec patiuntur sese concoqui intra vētriculi tui plicaturas, tamen optime inueniēt alios, quibus voluptatē vel in esu, vel in alia reparient. Possem quidē hoc loco excurrere, & non ex meo cerebro, sed ex grauissimis autoribus variis de hac parte mihi cognitis in specie specialissima demonstrare, nec leonum, nec asinorum, nec caniū, nec feliū, nec gliriū, nec serpentum, nec similium animaliū ferorum carnes frustra diuinitus cōditas perhiberi posse, etiamsi non conterantur omniū nostrum humanis dentibus, & elixentur à nostris ventriculis, quasi vel saltē pisces tandē saturare, & saginare nequeāt illa fluuiatiles & palustres & marinos, quibus piscibus ipsi homines postea vtuntur, fruuntur suauissimo obsonio. Quin & leonum vsus in vita maximos esse in suis terris, ad apros, vrsos, onagros, ceruos & boues syluestres capiendos. Muribus vescuntur serpentes, his cerui, ceruis homines, sicut araneis gallinæ, & gallinis homines. Similiterq; vultures, miluos & coruos, noctuas & bubones instrui posse, ad venandos lepores & cuniculos, deq; simiis assuefactis apud Indos ad aromatum ramulos decerpēdos, ex Philostrato apud Conradum Gesnerum & alios grauissimos autores animaduertimus. Sed, vt dixi, etsi poteram, tamen in his mihi tempero persequendis prolixius: Vtinā vero Physicus & Medicus aliquis ex professo & doctus de hoc dicto diuino (Gen. I. v. 31. vidit Deus omne quod fecerat, & erat valde bonum) prolixam & piam componeret ex artium suarum iucundissimarum penetralibus deriuatam orationem. Vtique nihil condidit Deus frustra, nos vero talia iucunda physica & vere pia forsan nō semper satis simul cōsiderare & expēdere allaboramus. Nihil etiā

est, quod de rabiosis canibus, de mordacibus camelis, de ferocientibus tauris, & de aliis, aliquis nobis obiiciat, quia & pauciora ista sunt fera, & tunc contumaciter repugnant, cum nosmet ipsi Deo repugnamus, & non amplius in officio nostro nos continemus. Quæ etiam nostræ genti sunt venenata, & aliis speciebus præbent epulum plusquã bene sapidum. Iucundum etiam est, quod venenatas bestias prouidentia diuina nunquam satis depradicata bonitas in terræ cauernas abdidit & constituit, vt nunquam sine metu in conspectum hominum venire audeant, & vt vix vnquam noceant, nisi cum lacessuntur. Quadrupedes itẽ, & immanes rapacesque bestias partim syluarum, partim montium altissimorum, partim desertorum adyta inhabitare possit: & vt hominem plus reuererentur minusq; terrerent, voluit vt non nisi noctu pabulatum excurrerẽt. Vox præterea confitentium DEVM *creatorem sunt remedia, quæ ex animalibus homines vtilia & admiranda percipiunt, tum ex integris ipsis, tum ex ipsorum partibus aduersus omnes morbos, quotquot vel totum corpus, vel singula membra corporis affligere solent, adeo vt nullam vel cogitare liceat corpoream affectionem malam, cui non dico ex animantibus mediocribus, sed & minimorum minimis, etiam ex veronibus sub terra natis & perpetuo delitescentibus petitum antipharmacum constare queat. Præterea vox confitentium* DEVM *suum creatorem in omnibus animalibus sunt, quæ singulis non obscura, sed clara & illustria cernuntur impressa, vtique non nisi diuinitus virtutum & affectuum aliorum simulacra. Atque sicut diuinitus accidit, quod omnes suos labores non sibi, sed hominum vita accommodant: ita quoque Deus voluit istas esse picturas, quæ nos homines ad virtutem inuitarent,*

uitarent, & à vitiis dehortarentur. Huc igitur facit illud Salomonis admonitum: Pro 6. v. 6. vade ad formicam, ô piger, *& considera vias eius & disce sapientiam eius, quæ* sine exactore præstat sedulitatem. *Simili modo innuere vult Spiritus sanctus, eundum nobis esse ad apiculam, & animaduertendum, quanta industria mellificium exerceat, cuius laborem non inferioris tantum subsellii homines, sed etiam Reges & Principes ad delicias & ad tuendam valetudinem transferunt. Alibi per perophetam* Ier. 8. v. 7. *inquit Dominus:* miluus in cœlo cognouit tempus aduentus sui; populus autē meus non cognouit iudicium Domini. *Item apud* Esaiam: ca. 1. v. 3. cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem non cognouit & populus meus non considerauit. *Vox denique confitentium DEVM creatorem, sunt alia longe plura, quæ naturam animalium nobis ob oculos non tantum corporum, sed animorum pulcherrime proponunt, quæ fusius persequi instituti ratio non patitur. Vt igitur ad illud redeam, vnde sum exorsus, vtiq; de his singulis & vniuersis meditationibus iure omni rectissime dixeris, totidē Deo hymnos à doctis & piis viris cantari, quot ipsis de iisdem libri, orationesque conscribuntur, præsertim si expresse & nominatim tantas res & affectiones impressionesque naturales, non natura, sicut ethnici ignari fecerunt, sed Deo ipsi acceptas referendas esse monstrauerint.* Sic Franzius. Viden, mi Iuli Porphyri, quo pacto, qua ratione bruta animantia Deum laudent, celebrent, cantent?

CLVIII.

DECIMAQVINTA DEAMBVlationum ruralium vtilitas : in homines ingratos & somnolentos, creaturas creatoremq; non considerantes inuectio, & (quam supra iam paulum descripsimus) Deum ex creaturis agnosci & cognosci posse, vlterior deductio:

QVid igitur nostri fuerit officii, tibi cogitandum & considerãdum relinquo. Sed heu, nimis verum est, quod Mornæus scribit: hominem solum ab officio deuiũ esse, alienum à Deo, peregrinũ in seipso, *qui pluribus nominibus tenetur, minus de soluendo cogitat, minus soluendo est: is cuius gratia summa quæq; extiterunt, rerum infirmarum admirator, rerum pessimarum vitiorum & deliciarum laudator & sectator, rerum nihili & lubricarum & fugaciũ mancipium & seruus. Et seculorum porro omnium annales, actiones meræ sunt, quibus homo ingratus erga Deum conuincitur parricidii erga hominem reus, naturæ violator, hostis suiipsius, & Dei verbiq; eius blasphemator, execrator, detestator, qui tamen à summo opifice creatus est ad ipsius gloriam & laudem, quo tot aereæ & vagantes aues, suis cantilenis adhortantur & monent, totque bestiæ mirabilibus suis proprietatibus vocãt & instigant: sed homo totus somnolentus vitiisque variis integer deditus neque animalia cæterasque Dei creaturas, neque seipsum considerat,*

considerat. Idem significare Mornæus vult, cum, *pars hominum*, inquit, *hoc seculo voluptatibus indulget, adeo vt ipsis in semetipsos descendere nunquam vacet, ne-*
,, *dum ascendere ad Deum.* Peregrini sunt isti magis
,, in sua natura, in sua anima, in ea parte, quæ si-
,, bi maxime innata, maxime propria, quam in
,, Indicis syluis, in ignotis terris, in pelago non-
,, dum explorato. Quod certe atheis initium
,, dedit primum, qui ratiocinando proprie non
,, peccant, sed ratiocinandi defectu; non quia
,, abutantur ratione, sed quia non vtantur pror-
,, sus; quippe quũ voluptatum plane belluina-
,, rum cœno & colluuie immerserint & contu-
,, mularint. Alii voluptati malignitatem adiũ-
,, gunt, vt ad opes & dignitates perueniant. Ita-
,, que quæ compendiosissima ad illas via, alie-
,, na aut rapiunt, aut produnt, amicos & pro-
,, pinquos nundinantur, suam ipsorum animam
,, venalem prostituunt, nihil demum scelesti
,, reformidant, modo in suam rem faciat; hone-
,, statem aut cõscientiam memorãt nunquam,
,, nisi vt fraudi prætexant. Hæc Epicuræorum
,, præcipue materia, qui, quia animam suam tot
,, scelerum conscientia premi sentiunt, proui-
,, dentiam, iurisdictionem & tribunal Dei, sibi
,, quodammodo declinare videntur, dum dif-
,, fitentur & negant. Horum vero, dicere ve-
,, re possumus, rationem & ratiocinationem,
,, motu mundi, cui tota affixa est, circumrota-
,, ri & abripi, vt nullum alium cursum, aut dis-
,, cursum, vt ita loquar, habere possint.

CLIX.

DEI EX CREATVRIS agnitio.

,, AT puto nullum hominem repertum iri
,, tam impia proferentem, si creaturas no-
,, biscũ probe cõtemplatus fuisset, quæ omnes
,, & singulæ ad Deum nostrum cunctarumq; re-
,, rum creatorem nos ducunt, Deumque esse
,, nos docent, vt vere illos cum regio propheta
,, insipientes dicere possimus; dixit, inquit ille
,, Ps. 14. & 53. v. 1. insipiens in corde suo: Non
,, est Deus. Verum absolutis & paucis descriptis
,, meis meditationibus & speculationibus de
,, diuersis creaturis, non possum intermittere,
,, quin pauca hisce attexam; vt in vestibulo ea-
,, rundem meditationum feci, vt in honorem
,, laudemque Dei deducam, Deum ex creatu-
,, ris cognosci, & dici posse. Attolle, *inquit* Mor-
neus i[illegible]erum, *oculos. Vides innumera corpora, innumeros longeque diuersos motus. Nec tamen sese aut illa mutuo collidunt, aut hi variis occursibus turbantur. Dimitte demum. Mare immensum vides. Minatur perpetuo, nec effluit. Terram, ingentis & torpidæ molis. Sedet illa, vel potius suspensa est; nec quicquam titubat aut mouetur. Ducunt nos, tanquam manu, hæc corpora ad Spiritum, hi ordines ad ducem & choragum aliquem; cum id natura constet & certum sit, & corpora per se nulla moueri, & ea ipsa, quæ animata sunt, neque secum, neque cum aliis congruere & concinere posse, nisi superioris aliqua nutu regantur. Ingredere vero tandem te ipsum, epitomen vniuer-*

vniuersi habes. Corpus omnibus omnino motibus aptum, animam & per se immobilem, & his interim motibus nutu imperantem. Interim quam in effectibus spectas, & miraris, nec oculis cernere, nec mentis acie cõprehendere potes. Stupes tu illico. & fateri cogeris, in hoc vniuerso Mẽtem Spiritumue aliquem esse, qui hac omnia agat, moueat, ducat; in quo viuimus, mouemur, sumus; qui in hoc nostro corpore typum vniuersi in anima similitudinem sui efformare & exprimere dignatus sit. Itaque dicebat ille philosophorum antiquissimus, Deum humana acie penetrari quidem non posse, attamen manibus contrectari. Item alius, cognomine Diuinus, *ante omnem rationis vsum Deum nos quodammodo concipere, nec tamẽ, inquit, cognitione proprie aliqua, sed quodam quasi contactu, qui omni cognitione certior sit: quin & essentiam Animæ nil aliud esse, quam Deum ipsum, à quo solo pendeat, nosse.* Auicenna vero audacius, *quicunque* ait, *Deum aut numen non agnoscit, non tantum ratione caret, sed etiam sensu. Quo si vero sensus ipsi, à quibus prima hominis cognitio prodit, Deum attestantur, & firmissime credimus, quæ sensu percipimus; Deum autem tum in Mundo, tum maxime in nobis ipsis & videmus & palpamus: certe de Religionis Deiq; cultu tractaturo, perquam æquum est concedi hoc saltem principium*, quod DEVS est. *Quod qui negare, aut in dubium vocare ausit, vt homo esse desinit, ita ex hominum consortio sit propellendus. Etenim, cum omni scientiæ sua principia constent, quæ vel tantillum mouere sit nefas; eius sane sacra sint & intemerata principia necesse est, cuius principium, principiorum principium omnium est. Demus tamen hoc caput cum bonorum venia, moribus huius seculi, quo (pudet dicere) im-*

pietas, seculum vocatur. Agnoscãt vero hic suam formam, tanquam in speculo, miseri & perditi illi, qui Deum obliuiscẽdo, se sui oblitos nõ vident; quia formam naturamq; & essentiam suam, quantum in se est, obliterarunt. Mirum, quod isti homines nil nisi mundum & spirent, & loquantur: in mundo interim videri nolint; quod mundus palam vniuersus ostentat, quod mundi partes certatim docere nitũtur. Enimuero progrediamur ab imis ad summa, ab vniuersis ad singula: nos gradatim deducũt & promouent omnia ad summum aliquem: nil vt sit tam exiguum, quod magnitudinem Dei non repræsentet: nil tam excelsum, quod ad erudiendũ in Dei cognitione hominem non descendat. Itaq; mundũ, vniuersum, & quasi auersione, vt iurisconsulti loquuntur, cõsiderantibus, quatuor rerum genera primum occurrunt: quæ simpliciter 1. existunt, quæ 2. viuũt, quæ 3. sentiunt, quæ 4. ratiocinantur: Sunt omnes omnino essentiæ sub his generibus comprehensæ, quædam pluribus, quædã paucioribus facultatibus contentæ. Aer, aqua, terra immensa sunt, lateque potentia. Quicquid viuit, sentit, intelligit, his spirat, vtitur, sustinetur. Attamen nihil hæc præter nudam essentiã habent, rationis, sensus, vitæ ipsius expertem: quod ab ipso nihilo, ab ipsa priuatione proxime abest. Stirpes præterquã quod sunt, vita etiã potiuntur. His elementa subseruiunt. Terra alimentum: aqua & aer humorem ministrant. Animalia, vt essentiæ vitæque sensum adiunctum habent, ita etiam succũ vitalem tum ab elementis, tum à stirpibus & herbis ipsis hauriunt. Homo tandem est, viuit, sentit, ratiocinatur. In hoc omnes facultates congregatæ sunt: itaque elementis fruitur, plantis vescitur, brutis imperat, summa imaque mentis acie perlustrat, & penetrat. Est hic ordo iis gradi-

gradibus distinctus, vt qui Autorem & Ducem non statim concipiat; & ratione sensuq; careat, & vita essentiaq; ipsa carere mereatur. Agedũ. Vnde hæc proportio, hæc subordinatio, hæc distinctio, hæc in herciscunda vniuersi familia disparitas? quis singulis dimensum suum præscripsit? quis tam exiguum immensis? & qui fit, vt ingentia illa lateq; patentia, tenuibus & exilib. subiecta sint, & summa quidem imis? illa, inquam, essentiam torpidam morti priuationiq; vicinam habeãt; hæc essentia vitam sensum, rationem adiunctam possideant? nũ forte habent hæc singula à semetipsis? At ex quo? & quando tandẽ hoc factũ est? cogitemus quantus libertatis amor? quantũ seruitutis odiũ? qui ergo factũ, vt immensa illa potiorem sortem nõ traxerint? & qui animalia stirpesue elementis prælata sunt, quæ non terræ glebulam, non aquæ guttulam exæquant? Denique qua ratione animaliũ debilißimũ, homo, *elemẽtis, stirpibus, brutis suo arbitrio vtitur fruiturque; cætera substernũtur, subseruiunt, iugum subeunt? Ergo herciscundæ huic familiæ, distribuendis his facultatibus, arbitrũ aliquẽ præfuisse oportuit; & quia hæc omnia partitus est, habuit primus, & præ omnib.; & quia tam dispari sorte dedit is sua, nõ diuisit aliena. Caterũ prępotentem eũ sane fuisse necesse est, qui cohæredes, & eos quidẽ potentißimos, portionib. adeo inæqualib. & contentos & cõcordes esse iusserit. Pergamus: Omnia his quatuor vocib. subiacẽt, esse, viuere, sentire, ratiocinari, vt hæc diuerse diuersis tributa sunt. Rogo vero, vtrũ prius fuerit*, esse, an, nõ esse? viuere, *aut* nõ viuere? sentire, *aut* nõ sẽtire? ratiocinari *aut* nõ ratiocinari? *Vtemur his verbis, vt res facilius intelligatur. Vtiq; in his essentiis, quas videmus*, rationẽ, sensũ, vitã *antecessisse nemo dixerit. Aliquãdo .n. non fuimus, & parẽtes nostros nouimus, & nostri suos, &*

prin,

principii argumentum est, omnium finis. Dicamus idem de animalibus & plantis: nam & horum originem, progressum & senium nouimus. Multo magis etiam de iis, quæ nihil præter nudum esse habent; cum & longe inferiora sint cæteris, & seipsa gignere aut producere nequeant, nedum quæ meliora & potiora censentur. Superest igitur, vt carentia, vt ita loquar, essentiæ, vitæ, sensus, rationis, in his omnibus præcesserit; vt, inquam, tempus fuerit, si tempus vocari potest, quo nihil horum esset, viueret, sentiret, intelligeret, non mundus, non homo, non eorum quicquã quæ homo spectat, quæ mundus continet Attamen existunt iam hæc omnia, & viuimus nos, & sentimus & intelligimus. Ergo per virtutem aliquam exteriorem factum hoc fuerit necesse est, quæ nos ex non esse, in esse; ex hoc nihilo, in hanc formam produxerit; quæque prolata è sinu suo dona illa omnia arbitratu distribuerit. Alias ex hoc nihilo, quod eramus (si dici potest) ad hoc quantulumcunque quod sumus, progredi non poteramus. Iam inter Nihilum *illud, &* Aliquid, *quantulumcunque id imagineris, spacium infinitũ est; nec vero infinitum quisquam, nisi infinitus replere potest. Ergo causam horũ effectuum vi & potentia infinitam esse oportet: quia vero* Causæ *nomen eius dignitati non respondet, hanc theologico idiomate* DEVM *vocamus. Accedamus ad naturam elementorum, è quibus hoc vniuersum concretum est. Ignis contrarius est aquæ, siccum humido, & subcontrariorum è contaariis numerus nascitur. Habent vero à natura, quæ sibi inuicem contraria sunt, vt se mutuo destruant & extinguant; adeo, vt ne in minimis quidem rebus coalescere possint, nisi virtute aliqua superiore, non tam regantur, quam cogantur. Interea non se offundunt aut aqua*

in ignem

in ignem, aut ignis in aquam, quin potius in corporum mixtura concrescunt, & per minima miscentur, cum ne in cithara quidem fides ipsæ, quæ eiusdem naturæ sunt absque citharœdi industria concinere poßint. Mundana igitur hac harmonia, in cuius corpore vniuerso, in cuius singulis partibus tot contraria, tot contrariorum concentum vides mirabili aliquo opifice & duce carere non potest. Sin vulgus obiicit, inter ignem & aquam sedere, arbitri instar, aerem, igni, ratione caloris; aquæ, humoris ratione, agnatum & affinem: addat ergo præpotentem his omnibus præsidere iudicem, qui & in hunc arbitrum compromittere tam infestos hostes iusserit, & eius demum sententiæ stare, & coegerit olim, & etiamnũ cogat. Iã libet ascendere. Cœlum cernimus: circulariter & perpetuò mouetur. In cœlo planetas, in planetis hunc illo superiorem, quique, quamuis renitente & aduerso cœlo, suum motum habent, suum cursum peragunt. Num & hos motus casui tribuamus? At si casu mouentur, & casu interdum cessabunt. Nec est aliud casus aut fortuna, quàm perturbatio, aut exorbitatio quædam; cum hi, quantumuis diuersi & aduersi motus vnum tenorem seruent, vnam orbitam perpetuo sequantur. An vero potius moueantur à seipsis? Atqui nec per se mouetur quidquam; nec vbi mouentur alia ab aliis, detur progressus in infinitum. Tandem ad principium aliquod retrogrediaris oportet. Principium autem motus, ipsa quies. Exempto sit horologium, vt & automatum quoduis. Malleus ille, qui nolam pulsat, te deducit ad rotam proximam, proxima ad remotiorem, minor ad maiorem, & hæc tandem ad artificem ipsum. Hic vero, qui rotas hasce ita subordinauit, vt omnes & singulæ vno impulsu moueantur, dum hæc ingenii neruis

agit, & mobilia facit, neutiquam vim patitur, neutiquã torquetur, Nimirum deducunt nos hi motus ad immobilẽ aliquem, hæ constantes vices ad vnum sui perpetuo similẽ; corpora ad spiritũ. Vt vero à terra deuenimus ad aerẽ, ab aere adætherẽ, ab æthere ad cœlũ, à minorib. gradatim ad maiora, à lucidis ad lucidiora, à subtilib. ad subtiliora, ita euehamur mente gradũ præterea vnũ necesse est, ad illum vsq; infinitum, ad illã lucem intellectui soli visibilem, ad illum viuificantẽ spiritum, ad quem collata, quæ hic miramur omnia, puncti instar sunt, lux ista opacum quid, spiritus nostri, tenuis aura aut vapor; qui tamẽ in iis ipsis, quæ spernimus, quæ vilissima cẽsemus, suam gloriam adeo conspicuam fecit, suam illam infinitam potentiam tam affabre inclusit, vt nemo sit tam hebes sensu, qui nõ videat; tam pusillus intellectu, quin complecti possit. Itaq; ad hæc inferiora descendamus, si lubet. Occurrit tellus, herbis, stirpibus, frugibus vestita: occurrũt terra mariq; varia innumeraq; animalia, feræ, pisces, volucres, reptilia, singula in suo genere ita perfecta, ita consummata. nihil vt addi deminiue, vel Momi iudicio, possit. Hæc vnde? & num ab elementis? At quod nec vita, nec sensu præditum est, qui aliis vitam sensumque præbuerit? an à sole? qui & quotidie oritur apud nos, & nunquam tale quidquam aut gignit, aut producit. Deniq; vnde tãta varietas, nisi ab inexhausta & fœcundissima potentia tanta perfectio, nisi à summa & singulari quadam sapientia. Herbarũ quædam calidæ sunt, quædam frigidæ; aliæ dulces, aliæ amaræ; nonnullæ nutriunt, medentur pleraque; quin & noxiæ iuuant; & noxiarum antitoda aut in vicinis, aut in illis ipsis habet. Animantium quoque quæ feræ sunt, aut raptu viuunt, alia desertaq; oberrant, & sola degunt. Quia si cateruatim degerent, aut hominibus miscerentur, noxam & perniciem

niciem inferret. Contra, mansuetorum greges & armenta passim occurrũt, ac si homini seruitia sua offerre velint: quia hominis vsui commoda sunt. Quis vel hoc dixerit esse opus Fortunæ? Dicamus vero. Sol terram calefacit; astra cultui vices & tempora assignant; aer arescentem & rimis hiscentem rigat; terra inseruit herbis, herbæ animalibus, homini animalia. Seruiunt omnia omnibus, vni omnia. Vnde rursum hæc connexio, hæc concatenatio? Si æterna sunt, & seipsis genita omnia; qui seruitutem sibi vltro asciuerunt? quo, inquam pacto; & quod pacti initium fuit? Qui etiam mutuas sibi operas tradunt, imo nonnulla aliorum tantum causa existunt; cum rerum finis, ipsis rebus, aut natura, aut ratione prior semper existat; æternitas autem nihil prius agnoscat, nil posterius. Quod si vero orta sunt quidem, sed à seipsis: cum primum prodierunt, latebant ne in seminis potentia, an florida iam & in vmbellam fastigiata sese exercuerunt? item, num ouo claudebantur, an viua exclusa sunt? num parua, an in suam iam magnitudinem adulta? Deinde, quid in hac rerum generatione prius, quidue posterius fuit? cum mutuis officiis carere non possint, non armenta herbis, non herbæ solo, non solum ipsum cœlo. Quod si omnia simul & semel, vt loquuntur, prodierunt, vnde in tot, tamque discordibus, tanta concordia? vnde in spiritu carentibus, conspiratio? in dissimilimis, inquam, simul prodeundi consilium? nisi sane à Mẽte quadam id profectũ dicamus, quæ & potentia sua diuersissima hæc fecerit, & sapientia sua in vnum scopum, in vnius vsum destinet? Ergo cum hic connexa sint, & in vnum contendant, ab vno esse necesse est; qui vno momento, vno nutu, cum ipsi demum visum est, omnia in lucem produxerit. At consequitur

iam,

iam vt videamus, vnde vnus hic prodierit, ad quem cætera tendunt, nempe homo; *& an non is per vnum & propter vnum illum existat, qui illa omnia fecit, & procreauit; is est, quem Deum, vt antea dixi, nuncupamus. Hominis effigiem, nedum hominem ipsum, qui consideret, continuo pictorem cogitat, statimque rogare in mentem venit, quis pinxerit? Qod si operis mortui vel potius muti opificem viuum imaginamur; multo magis operis viui opificem viuificum concipere debeamus; & eum sane, qui tanto hominem excidat, quanto statuarius statuam, à quo non propius ipsa statua abest; quam id, quod nō est, ab eo, quod est; quod vitæ expers, ab eo quod vitæ compos: quæ infinito spacio discriminantur. Is autem rursum est* Deus: *Ab hominis corpore, omnes artes omnes artifices, normam legemque symmetria mutuantur. Attestantur itaque artem in hominis structura singularem, partes quoque singulæ sibi mutuo inseruiunt, corpori omnes & singulæ. Est hoc itidem summa prudentiæ. Vbi vero ars & prudentia locum habent, fortuna casusque non audiuntur. Nam sicui brachium crusue frangatur, si cui lapidis ictu oculus effodiatur, ex vulgi more casum quidem nominabimus. At si luxatum membrum reducatur, aut amissum factitio sarciatur, aut lippienti cæcutientiue collyria specularíue dentur: nemo, quantumuis rudis, casum dixerit; quia vel infantium iudicio planum est, perire quidem casu & destrui multa; creari certe, exstrui, aut emendari nihil. Rursum, percipiunt sensus omnia genera colorum, sonorum, odorum, saporum, tactuum. Quis non videat, audiat, olfaciat, gustet demum & palpet, eundem & sensuum & sensibilium esse opificem? Quorsum enim sensus, si desint res sensibiles? res sensibiles, si desint sensus?*

Et cum hi ad illa referantur, & vicißim; vtrum in mundum primum venisse dicamus? Si sensibilia hac, sensuum suorum gratia creauit homo; quid vetat, quin etiamnum aliquid eius generis creet & condat? sin, sensibilium gratia sensus ipse sibi fabricauit: qui fit, vt sensim sensibus ipse suis priuetur? Ecquid vero hinc consequitur, nisi vt hunc opificem extra hominem, homineque superiorem quaramus? Iam orationem vim & facultatem, loquendi, in homine attende. Quis hominem ad societatem aptum, & alterius gratia natum dubitet? Ecquis tamen in mutuum vsum homines ex sese natos suspicetur? Rationem quoque aduerte, qua longe supra sensus sensibiliaque attollimur. Quis intelligibile aliquid esse non comprehendat, cui vis illa intelligendi ex aduerso respondeat? Quod si vero intellectum in nobis ipsis deprehendimus, qui ad vniuersum vix acini instar sumus; non pudebit dicere, nusquam, praterquam in nobis, Rationem aut Intellectum esse? Denique cum intellectus vi & virtute cateras res intelligamus; qua sese ipsa nec intelligunt, nec cognoscunt; hunc vero ipsum intellectum, qui in nobis intelligit, quid sit, quale sit, vnde sit, non intelligamus: annon agnoscemus tandem, intellectum aliquem nostro superiorem existere, cuius dono cateras quidem res intelligamus; at sane, qui in nobis intelligat & cognoscat, qua nos in nobismet ipsis hoc nostro intellectu nec intelligimus, nec cognoscimus? Quod si ita est, vt vere ita est, si, inquam, naturam nostram ipsi ignoramus, potißimarum actionum rationem & causam; quem tandem nostri autorem, qua originem agnoscemus? Humum spectas, homuncio, & oculos in patrem coniicis. At & pater nuncupabit suum, & nepos auum, & ad primum aliquem venias necesse est. Es vero tu

hebes admodum & stupidus, si hominem homo hominũ opificem putas qui nec dum gignis, de gignendo cogitas; nec mater, dum in vtero concrescit, de formando. Dicam, & verum est, non magis, quam arbor ad vitam consita, è qua forte in subiacentem agrum glans nuxue deciderint: quæ ignara ipsa arbore, radicem agent, in ramos exsurgent, ac demum proferent frondes, flores, fructus. Interim si vultum alicuius effingere cupis, centies oculos in eum coniicis, & manum de tabula subinde remoues, & dies, ne te ipsum fallas, interponis, & ducis modo lineam, modo inducis. Dic, quæso, ô quicunque homo hominem facis; qui fit, vt liberos non habeas, quoties velis; habeas interdum quos nolis; qui fœminas, cum mares malis? &c. Nec tamen eodem modo te tuæ imagines fallunt. Dic etiam, rogo, quas in homine formando materias & qua proportione miscueris? Vnde ossium durities? vnde venarum liquor? vnde arteriarum spiritus? vnde spirituum impulsus? pulsum dico, qui non magis est in tua potestate, quam si in corpore quouis alieno esset. Reclude nobis arcana humani pectoris, artes, machinas, automata, miracula illa omnia quæ tam exiguo corpore claudis. Hæc nisi in Anatome aut legeris, aut videris, ignoras plane, nedum facere ipse, aut fecisse possis. Enarra vero tandem quæ cerebrum oberrant, phantasias; quæ corde scaturiunt cogitationes; tuas, inquam, quas nec exprimere vis, nec reprimere interdũ potes. Abyssus ipse tibi es, quam scrutari nequis. Nec vero, quod scrutari in te ipse nequis, in aliis tu, aut in te alius fecisse potest. Scias itaque, homo, inesse tibi à superiori aliqua causa hæc omnia. Et quia intelligis, intelliget illa multo magis; & quia teipsum non intelligis, te intelligat illa necesse est; & quia infinitus es

mente

mente, cogitatione, actu, infinita & illa multo magis statuenda est, DEVS, *inquam, benedictus in secula, Amen. Quid loquar amplius? imo quid satis pro dignitate eloquar? dicam cum Hermete:* Domine, contemplabor ego te in iis, quæ sursum, an in iis, quæ deorsum? creasti omnia, nec est aliud vniuersa hæc natura, quã imago tui: perorabo vero cum Dauide Ps. 145. v. 10. benedicite Dominũ omnia opera eius Ps. 146. v. 8. & seqq. benedicite cœli, aquę, venti, fulgura, imbres, niues, maria, fluuii &c. benedic vero, ô anima mea Dominum. (Ps. 103. 1. & vlt. & 104. 1. & vlt.) *Quia si argumenta persequi velim, quæ mundus, quæque ea, quæ mundo continentur, passim suppeditant, mundum ipsum euoluam & edisseram necesse sit; qui sane nil aliud est, quam liber omnibus obuius, omnibus apertus, in quo & adulti Deum legere, & infantuli ipsi, vt ita loquar, combinare possint. Enimuero vt hi libri omnibus patent, mundus, inquam, & homo; ita ex horum lectione omnes omnino gentes Deum didicerunt; etsi diuersæ diuersa de eo conceperunt. Percurre enim orbem ab ortu ad occasum, à Septẽtrione ad Austrũ; perlustra mente, quotquot antecesserunt secula: quotquot viguerunt regna; ipsa demum scrutare Barbarorum siue lustra, siue mapalia; vbicunq; homines inueneris, ibi continuo religionẽ & numinis cultum: ibi sacrorũ ritus, preces denique & sacrificia reperies. Diuersa quidem hæc & confusa; at in eo saltem congruentia, quod* Deus est. *Quin & ipsa veritas veritati non parum patrocinatur; cum hinc notare promptum sit, non esse hanc fidem ex consuetudine commercioue vicinorum profectam, sed in mundi climatibus omnibus scriptam & lectam, in*

ipso homine inustam & insculptam. Innotuerunt ab hinc *centũ annis populi multi priscis seculis incogniti; & quotidie emergunt noui. In his inueniuntur, qui sine rege sine lege viuunt, qui sub dio degunt, qui nudi ferarum instar syluas oberrant, auia quærunt, & obuia depascuntur. Qui religionis specie, qui sacris, qui numinis sensu plane carerent, nulli inuenti sunt, nulli etiamnum inueniuntur. Nimirum quia non tam naturale est homini, societatem inire, iniurias cœli arcere, victũ parare, aut vitam ipsam tueri (etsi hæc naturalia inprimis censentur) quam vitæ Autorem agnoscere, Naturæ opificem venerari: Quod si vero eorum iudicium pluris facimus, quos sapientes primum, mox sapientiæ studiosos Antiquitas vocauit; Brachmanes apud Indos vt & apud Persas Magi, à Dei nomine omnia inchoabant. Pythagoras quoque & Plato, ab iisdem verbis suas lectiones orsi, in eadem desinebant, vt & poetæ illi antiquissimi, qui philosophiam versibus tradidere, Orpheus, Homerus, Hesiodus, Pherecydes, Theognis ab Ioue principium lubenter sumunt. Denique resonant Dei nomine numineque Stoa, Academia, Lycæum: Epicurum ipsum, quem nil pudendum pudet, pudet Deum negare, pudet diffiteri.* Hinc vero est, *inquit Plato;* quod è philosophis olim eligebantur Sacerdotes; quia qui Deum in Natura cognouerant, diuino cultui præesse debere videbantur. *Atque ita tandem, quod non nisi in euidentissima veritate vsu venire videas, dogmata sapientum, & fides populorum in idem consentiunt & concurrunt. Interim inficias ire nolim, quin omnibus seculis miseri & male ominati quidam extiterint, qui Deum spreuerint, aut negarint, quales & hoc seculo plures forte occurrunt. At si propius spe-*

ctes, aut iuuenes videas voluptatibus mersos, qui nunquam sibi, nedum Deo aut naturæ vacare noluerunt; vbi vero ingrauescit ætas; & ad se redeunt, & ad Deum accedunt: aut certe veteratores nefandos, & scelestos, qui hominem exuerunt, naturamque ipsam in semetipsis violarunt. Hi, vt impune & secure, quiduis perpetrēt, animæ animam non superesse, sceleribus suis non esse vindicem, non iudicem, persuadere conantur. Interim si periculum minetur, aut ingruat, si quid inexpectatum strideat, strepatue: omnibus artubus contremiscunt, cœlum suspiciunt, Deum ingeminant. Si mors eminus digitum intenti expallescunt, exanimantur, liquescunt; in extremo demum agone toto corpore, tota anima iactantur, tandemque desperabundi quamcunque diuinitatis speciem amplectuntur, quamcunque religionis vmbram captant. Adeo naturam & conscientiam coercere & compescere difficile est, quin sese & omnibus horis, & illa præsertim suprema, præsentes tanquam vadimonio sistant. Deum miseri confiteri nolunt, ne metuant; minimarum vero rerum pauor Dei confessionem ab inuitis extorquet. Imo quia Deum. qui omnia fecit, non timent; timent omnia, ab omnibus timentur. Exemplo sit Caligula, quamuis Imperator: minabatur cœlo & cum Ioue simultates alebat, si Pantomimis obstreperet plueretue. Si fulguret aut coruscet; caput cōnubit, sese sub lectulum condit. Crediderim, *inquit Seneca,* insolentes istas minas non parum exitium eius accelerasse; quum sibi ferendum eum populus reputaret, qui deos ipsos non ferret. *Inter doctos, etsi sectarum olim non erat modus, Atheos nominauit Antiquitas Diagoram Melium, poetam, Theodorum Cyrenaum, Euchemarum Tegeatem, & alios*

perpaucos, quos sane si accuratius examines, idola & gentilitios Deos risisse potius, quam Deum negasse videas. Nouimus *vero & eius generis multos, in vestigando mendacio, retegendaue superstitione sagaces & argutos; veritatis interim perquirendæ parum studiosos, & in religione examinanda aut obseruanda hebetes & supinos. De Diagora scitum est illud; cum Herculis statuam foco apponeret,* in hoc decimo tertio agone vt quondam Eurystheo, mihi inferuias oportet. *Sic in ligneum Deum iocabatur. At idem poema suum hinc orditur:* quod à numine summo reguntur omnia. *Narratur alius quispiam Ægyptios ita increpasse:* si Dii sunt, cur plangitis? Si mortui, cur adoratis? *& hic quoque vanitatem idolorum arguebat. Ad Euhemerum Tegeatem quod attinet, constat Atheum cognominatum, quod gentilitiorum Deorum historiam, genus, originem vere scripsisset; nimirum Reges, magnates, heroas fuisse quorum statuæ in idola, res gestæ in ludos annuos, honores tandem in diuinum cultum, tractu temporis & gliscente posterorum adulatione aut ambitione, degenerassent. Ecquis vero non idem hodie & credat & profiteatur? Obiicientur Sceptici, qui non tam negarunt, quam assensum, vt in omnibus, sustulerunt. Conuellunt vero hi ex professo omnes disciplinas etiam quæ in demonstratione consistunt, & sensuum iudicium suspectum habent; quin etiam, existant ipsi, nec ne, pronunciare verentur. Audiamus tamen, quid hoc insipientiæ genus aduersus hanc fidem, quam mundus prædicat, populi adorant, sapientes venerantur, comminisci tandem possit.*

In summa aiunt isti: qua ratione Deum credere

dere debeamus, quem non videmus? *Stulte, quicunque hanc sectam aut sequeris, aut imitaris; & eo magis, quod tibi ipse sapiens videris; credis solem in ergastulo in imo barathro, quia radios per rimulas spargit: Deum, cuius splendor in solem, in lunam, in astra diffunditur, quo aer, terra, mare collucent, quo ipse tu & vides & videris, non vides, non credis, non asseris? arborem nunc primum videris, te statim mens tua ad radicem ducit, quæ terra subest. Amnem spectes; raperis continuo ad scaturiginem, & hæc forte longissime dissita est. Homuncio, vt te arbor à ramis ad radicem duxit, non te & radix ad nucleum ducet, & nucleus ipse ad eum, qui nucleo vim dedit? Vt te amnis ad scaturiginem, non te scaturigo ad originem suam euehet, præsertim cum quicquid fluit, capite principioque carere non possit? Cogita te in Indiam, in oram aliquam incultam & syluestrem appellere; occurrit tibi casula ex auulso cespite: quid illico tibi in mentem venit?* Insula hæc, ais, non caret incolis; hac domo aliquis transiit, progrediendum vlterius, num aliquem inuenire possimus. Nimirum vestigia humani ingenii vides, etsi pedum nulla apparent.

Scis autem, ibices, quos obiter de rupibus pendentes vidisti, nihil eiusmodi aut facere, aut excogitare posse. Iam prodis in hanc lucem. Obuia sunt passim, quæ non potest homo fecisse, non toto vitæ tempore aut intelligere, aut cognoscere.

An non statim concludere debes, an non vel ab ipso limine in hæc verba mirabundus erumpere? hac Spiritus Domini transiit, hac Deus iter

fecit, aliquod homine superius homine præstātius sit necesse est. *Legimus, quibusdā, qui non nisi visa crederent, arte magica dæmonas exhibitos; his conspectis Deum etiam credidisse. Præposterum erat, Diaboli manu ad Deum deduci. At ex his, quæso, quæ credis, quantula vides? quantula conspicua sunt? stirpes anima præditas credis (quis enim diffiteatur?) facultate, inquā, qua vigeant, augescant, virescant, stirpes vides, in stirpibus hos effectus, hanc animam, hanc facultatem, & vbi sit, non vides, & vbi latent, ignoras. Credis & animalia anima prædita, qua mouentur, qua sentiunt; nihilo magis eam vides. Credis denique te mente pollere, excellentiori, inquam, anima, qua de animalibus, de homine, de te ipso ratiocineris & disseras. Excute vita functum, nil mutatum in partibus, nil exemptum toti corpori animaduertas. Agedum vbi nam latebat hæc facultas, & vbi tandem animam vidisti? Si credis, quia effectus vides, quos causam præcedere necesse sit; & ego te per effectus obtestor. Sin oculos tantum testes habere vis; nec absente anima, quicquam oculi vident; nec præsentem, qua omnia vident, videre possint. Denique faciem tibi esse credis, quam non nisi in speculo cernis; Deum, cuius vultum vel in minimis splendentem vides, aut negas, aut ambigis, aut asserere cunctaris? Quidam vt argutuli videantur sic disputant:* Si Deus est, animal est; alioqui sensibus non frueretur; & si sensibus fruitur, mutatur: & si mutatur, corrumpitur: & si corrumpitur, perit. *Bruta vere animalia, quæ præter brutum nil concipere possint. Alii:* Si Deus corpore caret, caret & anima: sin anima, & proinde actione. Sin corporeus est, etiā corporis mutationibus obnoxius est.

est. *Quasi non anima sola agat, non sola actionis compos sit in corpore. Corpus autem, quid, nisi moles, quæ animæ impulsu nutuue agitur & mouetur? Rursum*: Si Deus est, beatus est; si beatus, virtutibus pollet: si virtutibus, certe inprimis continentia. Quod si continens est; & appetit, & appetitu tentatur, quod de Deo cogitari absurdũ est. *His absurdis ad absurdissimum illud, quod* Deus non est *imperitos deducere volunt, qui aut non aduertunt, aut certe aduertere nolunt, quod recte Plutarchus docuit, non esse proprie virtutem, continentiam; sed iter ad virtutem, nimirum temperantiam.* Continens *enim qui* dicitur, affectus suos fræno compescit; temperans, nutu regit, & dicto audientes habet. *Est vero in Deo longe sublimius quid, cum & Deus ipsa Ratio sit, & extra Deum Ratio nusquam vere esse possit. Itaque elegantissima de eiusmodi hominibus Xenophanes*, si animalibus, *inquit*, pingere daretur, Deum procul dubio sibi similem fingerent: *quia scilicet nihil animal animali superius cogitare potest. Sunt hæc scepticorum argumenta, vel pueris ridicula: at qualia aduersus tam apertam & manifestam veritatem cogitari & fingi poterant: nec asserere verear, suos sibi elenchos & paralogismos satis notos fuisse: verum his, de omnibus ambigere, ac nihil plane certi habere, religio quodammodo erat. Itaque concludamus tandem, cum doctis & indoctis, Græcis, & Barbaris, hominibus & brutis, sensilibus & insensilibus, vniuerso & partibus, quod* DEVS EST. Huc vsque Mornæus. His annecte, quod alio loco scribit: *consideremus*, inquit, *iam in vniuerso, vt illa omnia connexa sint, & mutuam seruitutem seruiant. Aqua humectat terram;*

aer imbribus lætificat, sol & illuminat quotidie & subinde fouet. Terra vero inseruit herbis, herba brutis, homini bruta. Rursum. *Nihil hic sibiipsi natum videas, sol lucet & calefacit, at non sibi, Et terra alit fruges, quibus non indiget; & venti spirant, cum tamen non nauigent. Verum sunt hæc omnia comparata ad gloriam* Dei, *ad vniuersi perfectionem, ad hominis commodum. Denique indigent, quæ nobilia putas, vilium ope, & vilia, nobilium opera vtuntur. Adeoque concatenata sunt ima summis, parua magnis &c. vt catena vel minimus annulus eximi absque totius opificii conturbatione non possit. Non, inquam sol laborare, non plantæ marcescere, non imbres deficere, quin vniuersum afficiatur, & labem tabemque sentiat.* Hoccine *vero tandem opus, non vnius tantum opificis esse dicas, in quo tot tamque varia organa, & tam arcte copulata sunt, & eodem spectant? in quo tot natura dissentientia, arte consentiunt, tot dissona consonant, tot dissimilia contrariaque & antipathiam suam retinent, & sympathia nihilominus afficiuntur.* Finge *te in planicie aliqua phalanges multas videre, signa, vexillaque diuersa, varios hominum habitus; interim omnes frontem obuertant, eodem omnes contendant: Quid tu illico? nisi, vnum aliquem adesse ducem, cui omnes mereant, qui omnibus imperet.* Cogita *etiam te ciuitatem primum aliquam ingredi, vides diuersas ciuium classes, sed quosque pro sua conditione bene habitos: artes vicatim innumeras, sed quæ sibis mutuo inseruiunt: plebs demum optimatibus obsequitur, optimates plebi consulunt: vtrique apud iudices pari loco censentur.* Omnes *vero pari gressu parique animo rempublicam tuentur & defendunt. Quid tu rursum? nisi, certe præesse magistratum, qui & palan-*

tes

tes collegerit primum, & dispares etiamnum iure arbitriue suo pares faciat. Quod si quis plures imperare dixerit, rogo te, an non & superiorem rogabis? Quid vero tandem est, quod tantopere mireris, in diuersis hominum conditionibus ordinem esse, quos natura, vt specie coniunxit, ita animo coniunctos esse voluit? accede mundum: vides grauia, leuia; calida, frigida; humida, sicca; viuentia, vita expertia; sensibilia, insensibilia; innumerorum generum specierumque singula. Subeunt hæc eandem essentiam, eandem formam, & mutua ope carere nequeunt: quin & seruiũt, nostra quidem opinione, preciosa vilibus, magna exiguis, robusta debilibus, sublimia humilibus. Omnia vero ad mundi decus, ad hominis vsum, qui solus vti nouit, adornata & accõmodata videntur. Annon animaduertis, homo hoc vniuersum ideo ad te quodãmodo conuerti, vt ipse ad vnum Deũ conuertaris? Ex supradictis, mi Iuli, id est, ex toto vniuerso mundo, in illoque contentis non solum satis superque elucet, vnum verum esse Deum; verum etiam quod eundem Deum creatorem omnium, sua prouidentia totum mundum, & quæ in eo sunt, cuncta regere & gubernare, animaduertere possumus. De hac re iterum allegatum autorem nostrum audiamus: *Si is*, inquit, *qui Deum negat, Sensum, Naturam, Vniuersum ipsum eiurat: vereor, ne, qui Deum confitetur, & Rectorem negat, multo grauius peccet; cum sane ea ipsa confessione Deo contumeliam inferat, quatenus oculum illi sine visu, aurem sine auditu, potentiam sine intellectu, intellectum sine ratione, voluntatem sine bonitate, deitatem denique sine diuinitate tribuit. Ideoque antiqui, Numen θεὸν, seu*

πρόνοιαν,

πρόνοιαν, id est, Deum seu Prouidentiam *promiscue vocabant, quia neutrum sine altero concipi potest, & suo iudicio, aeque Atheus erat, qui Prouidentiam, ac qui Deum negabat. Rogo te, quicunque sis, vel apud Anthropophagos ipsos, qui Deum fateris, vnde Deum nosti? animaduertisti, ais, dispositionem quandam in rebus summis & imis, ordinem perpetuum, & nusquam interruptum, contraria innumera eodem spectantia, quae inquam, totis viribus contendunt, nec eo minus ad vnum finem tendunt. Vides etiam, vt terram foueat, Aer vero subinde riget, vt terra herbas producat, animalia herbis vescantur, animalibus caeteris vtatur homo. Haec cum dicis, Deum tu ex Prouidentia agnouisse dicis, ex concatenatione illa, quae in omnibus conspicitur. Dices quoque, in metallis quasi matrices deprehendisse te, quibus coalescunt, & fouentur: in plantis vim quandam, quae succum e terra at trahit, & in ramos foliaque eleganti analogia diducit, & ceu mortis suae conscia, vbi declinare incipit, ad speciei conseruationem, seminis folliculum emittit. Item in animalibus aduertisti, membra, & sibi mutuo singula & toti omnia seruire, inesse gignendi appetitum, mammas ad lactandum, curam industriamque ad tuendum foetum &c. Cogitasti tu, metalla, stirpes, bruta, illa sibi parare & prouidere non potuisse, vnde colligis, quae prouiderit & consulerit illis, vim aliquam superiorem esse. Iterum igitur ad Dei cognitionem Prouidentia tanquam manu adductum te vides. Quod si prouidentia, quae passim obuia cernitur, cogit Deum confiteri, quatenus ab effectibus progredimur ad causam, est haud dubie Prouidentia proprius & peculiaris effectus Dei; & qui eam negat, Deum negat, cum absque prouidentia ne Deum quidem*

quidem noris. Si Deus mundum non regit, rogo, vtrum, quia non potest; an quia non vult? Si non potest, cur omnipotentem dicis? & cur infinitum, cuius ipse fines regis & noris? cur vero & sapientem, cum sapiens sit, omnia ad certum finem dirigere, & casui quam minimum relinquere. Qui autem potentiam & sapientiam suam ad omnium rerum creationem extendit, cur minus ad omnium curam & conseruationem porrigere possit? Deinde non est intellectu prædita planta, quo sese regat, aut in posterum tueatur: intellectum tamen adesse vides, qui omnibus sui partibus alimentum suggerit, & prudentiam, quæ de futuro cogitat. Nihilo magis brutum, etsi sensu motuque valet: inest tamen prudentia, quam non nouit, quæ coquit, digerit, distribuit alimentum, quæ iusta & æquabili œconomia, quæ vigilat dum dormit, cumque maxime obbrutuit, de eo cogitat. Sentit, nescio quomodo, sibi lustro, cuniculo, nido, deponendo fœtui, ouisque opus esse: cogit æstate, quæ hyeme absumat, & solum certis anni tempestatibus vertit, & suæ naturæ accommodatum eligit; nec fallitur aut aberrat vnquam. In his Prouidentia tibi manifesta est, quam tamen non norunt, non sentiunt bruta. Ipse tu homo, vt mente, ita & prouidentia præpolles: cuius virtute facis, quæ cætera natura, vel potius quæ in cæteris natura facit, id est, summi omnium conditoris immota lex & politia: quo autem plus mente vales, eo & prouides magis. Excogitas enim sexcentas artes, easque diuersas, licet ad Deum vermiculus, & vermiculo quid minus. Artes autem paruæ, vt philosophus loquitur, prudentiæ, id est, prouidentiæ. Inflectis tu, quantum mentis neruis potes, ad tuum scopum institutumque omnia, imbres & siccitates, ardores & rigores ad vsum tuum, nego-

tia etiam vicinorum, vrbis, reipublicæ patriæ, ad tuum seu commodum seu decus; quin & cœlum, terram, mare, Deum, si fieri posset, ipsum. Iam stirpibus & brutis, quæ etiam Prouidentia carent, & prouidentia singulari reguntur, quis prouidet, nisi is ipse, qui fecit? quis, inquam, nisi sagittarii oculus sagittam, cœcam ex sese & lucis carentem, dirigit ad scopum? Qui porro prouidentiam omnibus indidit, an non & omnibus prouidet? & qui eam tibi infudit, qua tot tantasque res, quas non fecisti, quas vix de nomine nosti, ad tuum scopum inflectis, an non multo magis & singulas quas fecit, pro cuiuscunque natura regat, & omnes, teque adeo ipsum, ad suum dirigat finem? Præterea, si Deus rebus consulere & prouidere nequit, quo pacto stare poßit vulgatum illud: quod Deus omni humana cogitatione excellentior est? *cum negare velit nemo, quin is, qui prouidere potest, ei, qui non potest, longe præstet? Sin vero aliquid Deo maius concipere poßumus, quid prohibet, quin & ipsi dii simus? quod si præstantior est, qui potest, quam qui non potest; constatque Deo tribuendum esse, quicquid in homine laudatur, ita tamen, vt quod nobis dimensum, illi immensum; quod illi essentia, nobis participatio; quod illi origo, nobis deriuatio sit: cur non dicamus, Deum infinita sua sapientia omnibus rebus ad finem suum prouidere posse? Vt singulæ sapientia illa particulari, à Deo indita sibi, ad naturæ suæ neceßitatem prouident?*

Denique cum nihil aliud sit Prouidentia, quam sapiens rerum gubernatio ad finem; omnisque intellectiuæ operationis principium sit finis; Deus autem, qui omnia operatus est, vt summa potestas, ita summus sit intelle-

ctus; an non euidentissimum est, Deum ad aliquem finem creasse mundum? Finis autem quis, nisi Deus ipse, Deique gloria, cum finis minus bonus esse nequeat, quam quæ ad finem tendunt, vel comparata sunt? quin & quantum eius potentia in creando ab initio mundo patuit, tantum quotidie in gubernando porrigi sapientiam, cum potentiæ sapientiæque diuinæ iidem omnino sint fines? cumque idem sit rerum principium & finis, idem sagittarius & scopus, intermedium nihil, Deus, inquam ipse, potestne quicquam interiici, obstare quicquam, quominus ad destinatum scopum & omnia & singula pertingat?

Ergo quia prætexere non potes, quin possit, dices tu forte, nolle Deum tantam curam, tantum laborem suscipere. Quod si rogem, vnde hoc habes? mutus es Interroga rerum naturam: stirpes natura procliues sunt ad vegetandum omnes sui partes, bruta ad catulos alendos, homines ad educandos liberos, familiamque tuendam, & vnusquisque, si quid coluit, fecitne, id diligenter custodit & curat. Qui vero secus faxit, non iam barbarus, aut ferus, sed stipes saxumue iudicatur. Qui hanc singulis rebus procliuitatem, hanc vel insensilibus στοργὴν *indidit, non præ omnibus habeat? Denegabis vero Deo, quod tibi laudi? tribues, quod tibi vituperio ducis? Imo, quia cura illa bonitatis radius, qui bonitas ipsa, omnisque in vniuerso boni origo, hanc curam benignitate sua per vniuersum diffuderit: qui nos creare dignatus est, dignabitur & gubernare: qui potentia sua ad aliquem finem creare nos voluit (si enim nil agit natura frustra, quanto minus naturæ autor?) sapientia sua ad eundem quoque perducet.*

Huc

Huc vſque ſæpe ille citatus autor, quem ideo allegare, ipſiuſque de Deo ſententiam huc aſſcribere voluimus, quia noſtris meditationibus & ruminationibus ruralibus conſentanea, quia optimo ſtylo exarata. Ex quibus planiſſimum, quod ex creaturis creatorem agnoſcere & cognoſcere poſſimus. Sic eſt, mi Iuli Porphyri, ſic eſt: *Deus eſt.* Hoc mundus, hoc ſingulæ creaturæ, hoc ſacræ literæ; hoc noſtræ quoque ambulationes diſſertationeſque rurales te docent: En igitur noſtratum ſylueſtrium & campeſtrium deambulationum ſummam vtilitatem, ex media philoſophia rurali depromptam atque excerptam; en meditationes & cogitationes noſtras, quoties, inquam, ruri viuimus, quoties nobiſcum de rebus creatis ſermocinamur & obmurmuramus, quoties in vberibus floridiſque campis, ſiue nemoroſis frondiſluiſque ſyluis ſpaciamur, oberramus, vagamur.

CLX.

DECIMASEXTA DEAMBVLATIONUM RURALIUM VTILITAS: DEI ADUMBRATIO.

NVnc de cunctarum creaturarum vnico autore & conſeruatore (ad quem perſpectæ creaturæ ducunt, quemque ex creaturis cognitum ruri inter tot creaturas libero cœlo obambulantes in religioſo illo ſilentio ſummo ſtu-

pore

pore & tremore piis cogitationibus libamus) plura dicere hic occasio locusque esset, quid scilicet & quo vsque de Deo cognoscere possimus; sed quia satius me facturum puto, si istiusmodi res altissimis Theologis, magnis illis sanctisque viris, relinquam, & cymbam meam littus solummodo legere sinam: manum abstinebo, & cum Thoma Bonio, creatorem Deum admirans, & exclamans dico, *cum conspecta & considerata res creatæ quasi per obliquas & distortas semitas ad creatorem omniumque rerum opificem nos ducunt; qui viam ego stylo meo ad summum entium Entem tibi aperiam, teque ad eum ducam, ad purissimam illam substantiam, simplicissimum actum, primum motorem, supremam causam, magnum aurigam & monarcham, immensam maiestatem, omnium rerum factorem & conditorem, totiusque vniuersi mundi architypum? non est humanarum virium opus; non est finitæ potentiæ facultas, non est vllius intellectus obiectum, non est humanæ eloquentiæ materia. Nulla ingenii styliue excellentia aut dignitas illum comprehendere, enarrare aut declarare potest. Omnem Græcorum Latinorumque simul facundiam superat & eloquentiam. Superat denique omnium Doctorum & literatorum elegantissima scripta & literas. Quid igitur ego, ego, inquam, qui tanquam infantulus vix primum doctrinarum lac gustauerim, scribam, præstem, efficiam? egone tam vilis & abiecta euentura excelsum sanctumque montem Sion ascendere, aut in sanctum sanctorum ad patefaciendum Deum intrare ausus fuero? Vah, Deus meus, iam, iam iustum timorem me occupantem, horrorem membra visceraque mea percurrentem;*

rentem, & tremorem artus meos languidos reddentem sentio: iam, iam cognosco, me balbutientem esse, infantem, qui vix primos vagitus exprimere valeam. Solummodo igitur hoc dicam, tam infinite se extendere nobilitatem & excellentiam Dei opificis & creatoris, vt sensus humani eum comprehendere nequeant, quia est inuisibilis & intangibilis; vt lingua haud recensere seu enarrare possint, quia est ineffabilis: vt locus eum haud contineat, quia non circumscribi potest. Sacra scriptura non per totum manifestat, quia est inæstimabilis: tēpus non metitur, quia est immensus: nulla virtus penetrat, quia est inaccessibilis. Quis & quid est igitur magnus & immensus ille Deus? sufficiat pro tempore ita respondere, quod sit totus amor, quia semper amat; quod sit ignis, quia inflammat; quod sit lux, quia illuminat; quod sit sol, qui viuificat; quod sit stella, quia influit; quod sit ros, quia restaurat; quod sit aqua, quia purgat; quod sit nubes, quia defendit; quod sit oculus, quia omnia videt; quod sit manus, quia cuncta (excepto peccato) operatur; quod sit pectus, quia conseruat; quod sit auris, quia omnia auscultat; quod sit brachium, quia omnia sustinet; quod sit pes, quia coniungit; quod sit ala, quia subleuat; vita est, quia dat viuere; via est, quia ducit errantes; veritas est, quia non decipit; sapientia est, quia docet; motor est, quia omnia mouet; Summa, causarum causa est, quia omnia operatur. Solus ab æterno fuit, ideo verum & summum ens est; omnia format, ideo summum est exemplar; omnia perfecte monstrat, ideo speculum est; omnibus se communicat, ideo bonitas est; omnia ornat, ideo venustas & pulchritudo est: iustitia est, remuneratur & punit; clemētia est, debita remittit; fortitudo est, nihil timet; summus finis est, ad eum omnia referuntur,

tur, suique ipsius gratia creata sunt; felicitas est, beat. O nobilitas supra omnem nobilitatem, excellentia, supra omnem excellentiam, de qua tanquam ex fonte cuncta excellentia & nobilitas prouenit & promanat! O nobilitas & excellentia ineffabilis, humanis membris inuisibilis & intangibilis; quæ tamen istiusmodi illustribus qualitatibus se illustrat. Sit licitum hic mihi Theologicos terminos paucis libare atque attingere: solus ille est, qui omnes creaturas sibi obedientes reddidit: solus ille est, qui propria potentia miracula operatur: solus ille est, qui ex nihilo cuncta creauit: solus ille est, qui mortalium corda scrutatur & cognoscit: solus ille est, qui peccata remittit: solus ille est, qui gratiæ thesauros immittit: solus ille est, qui animabus felicitatem reddit; solus ille est, qui seipsum comprehendit: solus ille est, qui sine macula iustus & sanctus est: solus ille est, qui seipso beatus est: solus ille est, qui omnipotēs est: solus ille est, qui omnia est, qui vbiq; qui infinitus est: solus ille est, cuius opera à temporis interuallis haud dependēt, sed omne momentū ipsi inseruit: solus ille est, qui inuisibilis est, qui se per omnia visibilem reddit; solus ille, qui in iustitia est clemens: solus ille est, qui in ira tranquillus est: solus ille est, qui præterita, præsentia & futura perspecta habet: solus ille est, qui thronum suum cœlum habet, & scabellum pedum suorum terrarum orbem: solus ille est, qui exercitus & milliones angelorum ante thronum suum habet: solus ille est, ad cuius conspectum cœlorum columnæ tremunt: solus ille est, qui infernale barathrum terrore & luctu implet, damnatorū oculos planctu cingit, corpora dolore circūdat, ipsorum membra flagellis tremoreq; affligit terribiliū monstrorū damnatosq; in perpetuū timorē ponit, & mille mortib. attristat. O potētia, quæ tanta distātia infideliū animas corporaq; percutit! ô potētia,

rentem, & tremorem artus meos languidos reddentem sentio: iam, iam cognosco, me balbutientem esse, infantem, qui vix primos vagitus exprimere valeam. Solummodo igitur hoc dicam, tam infinite se extendere nobilitatem & excellentiam Dei opificis & creatoris, vt sensus humani eum comprehendere nequean, quia est inuisibilis & intangibilis; vt lingua haud recensere seu enarrare possint, quia est ineffabilis: vt locus eum haud contineat, quia non circumscribi potest. Sacrascriptura non per totum manifestat, quia est inaestimabilis: tēpus non metitur, quia est immensus: nulla virtus penetrat, quia est inaccessibilis. Quis & quid est igitur magnus & immensus ille Deus? sufficiat pro tempore ita respondere, quod sit totus amor, quia semper amat; quod sit ignis, quia inflammat; quod sit lux, quia illuminat; quod sit sol, qui viuificat; quod sit stella, quia influit; quod sit ros, quia restaurat; quod sit aqua, quia purgat; quod sit nubes, quia defendit; quod sit oculus, quia omnia videt; quod sit manus, quia cuncta (excepto peccato) operatur; quod sit pectus, quia conseruat; quod sit auris, quia omnia auscultat; quod sit brachium, quia omnia sustinet; quod sit pes, quia coniungit; quod sit ala, quia subleuat; vita est, quia dat viuere; via est, quia ducit errantes; veritas est, quia non decipit; sapientia est, quia docet; motor est, quia omnia mouet; Summa, causarum causa est, quia omnia operatur. Solus ab aeterno fuit, ideo verum & summum ens est; omnia format, ideo summum est exemplar; omnia perfecte monstrat, ideo speculum est; omnibus se communicat, ideo bonitas est; omnia ornat, ideo venustas & pulchritudo est: iustitia est, remuneratur & punit; clemētia est, debita remittit; fortitudo est, nihil timet; summus finis est, ad eum omnia referun-*

tur,

tur, suique ipsius gratia creata sunt; felicitas est, beat. O nobilitas supra omnem nobilitatem, excellentia, supra omnem excellentiam, de qua tanquam ex fonte cuncta excellentia & nobilitas prouenit & promanat! O nobilitas & excellentia ineffabilis, humanis membris inuisibilis & intangibilis; quæ tamen istiusmodi illustribus qualitatibus se illustrat. Sit licitum hic mihi Theologicos terminos paucis libare atque attingere: solus ille est, qui omnes creaturas sibi obedientes reddidit: solus ille est, qui propria potentia miracula operatur: solus ille est, qui ex nihilo cuncta creauit: solus ille est, qui mortalium corda scrutatur & cognoscit: solus ille est, qui peccata remittit: solus ille est, qui gratiæ thesauros immittit: solus ille est, qui animabus felicitatem reddit; solus ille est, qui seipsum comprehendit: solus ille est, qui sine macula iustus & sanctus est: solus ille est, qui seipso beatus est: solus ille est, qui omnipotẽs est: solus ille est, qui omnia est, qui vbiq; qui infinitus est: solus ille est, cuius opera à temporis interuallis haud dependẽt, sed omne momentũ ipsi inseruit: solus ille est, qui inuisibilis est, qui se per omnia visibilem reddit; solus ille, qui in iustitia est clemens: solus ille est, qui in ira tranquillus est: solus ille est, qui præterita, præsentia & futura perspecta habet: solus ille est, qui thronum suum cœlum habet, & scabellum pedum suorum terrarum orbem: solus ille est, qui exercitus & milliones angelorum ante thronum suum habet: solus ille est, ad cuius conspectum cœlorum columnæ tremunt: solus ille est, qui infernale barathrum terrore & luctu implet, damnatorũ oculos planctu cingit, corpora dolore circũdat, ipsorum membra flagellis tremoreq; affligit terribiliũ monstrorũ damnatosq; in perpetuũ timorẽ ponit, & mille mortib. attristat. O potẽtia, quæ tanta distãtia infideliũ animas corporaq; percutit! ô potẽtia,

 quæ

quæ & in cœlis & terris & in infernis pariter operatur & agit! ô potentia ineffabilis, quæ mundanas res omnes disponit sapientia, format efficacia, perfectas reddit bonitate, conseruat prouidentia, regit amore. Ille solus est, qui vernum tempus mollibus herbis vestit, rubicundis albisque rosis, pallidis violis, candidis liliis, cæruleis hyacinthis, flexuosis acanthis, vagis myrtis, teneris arbustulis, hirsutis plantis, vmbrosis vlmis, gratiosis sambucis; solus ille prata variis flosculis, clarisque aquulis ornat: solus ille autumnum innumeris fructibus ditat, maturis scilicet vuis, rubentibus pomis, flauis pyris, coronatis mespilis, milleque aliis fructibus: solus ille in æstate causat calorem, frumenti maturitatem, & agricolis hilaritatem: solus ille per terræ viscera penetrat, & metalla format: solus ille totum cœlum ineffabili lætitia implet, vbi delectat, vbi beat vbi felicitat, vbi illuminat, vbi restaurat, vbi cõfortat, vbi suæ bonitatis magnos thesauros aperit & communicat. O nobilitas atque excellentia, quæ tot diuitias sanctas fidelibus suis impertit! ô nobilitas & excellentia perfectissima, omne imperfectum tollens! ô nobilitas & excellentia immensa, quam nullus creatus oculus discernere potest! ô nobilitas & excellentia infinita & illustris, cui omnis alia nobilitas & excellentia instar vmbræ est! Quis igitur nõ admiraretur, & admirando non stuperet supremam illam nobilitatem & excellentiam magni Dei? O Deus meus, quo nunc progredior? quo gressus meos semitasq; dirigo? de quo iam proloquor? de infinita venustate & pulchritudine, nullos habente limites; de primo pulchro, omne pulchrum formante. O Deus meus! quid effari exordiar? si de mundana & visibili pulchritudine dicere velim, vix oculum, qui apprehendat, nec linguam,

quæ

quæ eloquatur, neque calamum, qui describat inuenio. Quis igitur in amplißimum, immensum infinitumque diuinæ pulchritudinis theatrum intrare audeat? cessat huc facundia Græca: cessat huc eloquentia Romana; cessant huc cuncta artificia oratoria, & sileant. Obscuri hic sunt omnis generis optimi elegantißimique styli, cedunt hic omnes doctrinæ, & omnes alti intellectus hic languēt; mortuæ hic sunt omnes memoriæ; omnia excellentia, clara, præstantia ingenia deiecta sunt: terrore, horrore, & timore omnes occupantur, rem tam ingentem, tam sublimem, tam excelsam & tam infinitam, qui describere & effari conantur, illi balbutiunt, illi voce carent, similib. translationibus, descriptionibus, & omnis generis refugiis aliis destituuntur. Ah iā, iam, præ magni Dei infinita excellentia totus tremisco, iam, iam magna reuerentia tacito horrore sanguis meus in venis congelatur, iam, iam intellectus meus decidit & perit, voluntas ad pium silentium est inclinata, memoria sopita perditaque est, lingua stupescit & præ ignorantia tacet. Quid igitur facies tu efficiesue, ô dulcis charaque anima mea? ad delineandā diuinæ excellentiæ pulchritudinisq; magnitudinē & infinitatem? quid te vane paras? siste, siste gradum tuum, & consiste. Nam si dixeris omnis venustatis esse vnicum fontem licet verum dixeris, respectu tamen infiniti nimis parum dixeris. Siste gradum & consiste. Nam si dixeris esse primum & principalißimum pulchrum, licet verum dixeris, respectu tamen immensitatis nimis parum dixeris. Retine, ô grata anima, sermonem tuum; licet enim immensum omnis pulchritudinis mare appellaueris, bene quidem appellasti, ast consideratione magnitudinis, nimis arcte appellasti. Retine sermonem tuum: licet

enim omnis excellentiæ abyssum appellaueris, bene quidem appellasti, ast consideratione amplitudinis, nimis coarctè appellasti. Reprime ô vaga anima, loquelam tuam: si enim excellentis venustatis gurgitem nominaueris, optime nominaueris, sed cogitatione altitudinis, nimis modice nominaueris. Reprime linguæ habenam. Si enim omnis pulchri & excellẽtis amplissimam sphærā nominaueris, optime nominaueris: sed cogitatione capacitatis nimis modice nomiuaueris. Coerce ô calida anima mea, orationem tuam. Licet omnium elegantiarum centrum nuncupaueris, ex quo omnes illæ proueniunt, & ad quod redeunt, verum quod verissimum nuncupaueris; at & verum, quod meditatione vastitatis suæ parum nuncupasti. Coerce orationem tuam. Licet supremam pulchritudinem nuncupaueris, cuius vestigia sunt pulchritudines terrestres, cuiusque imagines sunt sancti angelici spiritus, & mortalium immortales mentes, verum quod verissimum nuncupaueris: sed meditatione suæ excellentiæ, parū nuncupasti. Remorare & retardare ô iucunda anima mea, loquutionē tuam. Si asseueraueris esse excellentiam summamq; venustatem illam, quæ sanctos angelos & pias mentes beat, haud erraueris: sed ruminatione immensæ benignitatis, modicum asseuerasti. Remorare quæso, & retarda mentionem tuam, si asseueraueris esse omnium elegantiarū & excellentiarum, tam spiritualium, quam corporaliū, epilogū, haud erraueris: sed ruminatione magnificentiæ suæ, modicū asseuerasti. Est ille noster Deus omnis venustatis, omnis pulchritudinis, omnis excellẽtiæ, omnis virtutis, & omnis boni fons, autor, origo, & scaturigo; est inquā, noster ille Deus in sūma omnia in omnib. Ita, mi Iuli Porphyri, admirari potius, atq; paululum adumbrare, quam Deum describere voluimus. Annecte-

te tamen illa placet, quæ Lipsius in sua Politica de Deo scribit: *cõstet tibi*, inquit, *vnum esse regnatorem omnium, Deum. Ita appello* summum illud *&* æternum, neq; mutabile, neq; interiturum. *Quem in parte descripserim* (infinitum *enim* illud *quis definiet* ? Mentem solutam quandam, & liberam & segregatam ab omni concreatione mortali, omnia sentientem & mouentem, ipsamq; præditam motu sempiterno. *Nec plura addã, quia de Deo etiam vera dicere periculosum est, qui melius scitur nesciendo. Heu miseriam! adeo à cognitione summi illius remoti sumus, vt ignoremus & nomen. Ipse increpat*, Iud. 13. v. 18. Cur quæris nomen meum, quod est mirabile. *Et Damascenus.* τὸ θεῖον ἀκατάληπτον πάντως καὶ ἀνώνυμόν ἐστι, comprehendi diuinum illud non potest, neq; nominari. *Etsi nos tamen nomina ab antiquo habemus, & quod miremur, pleraque gentes quadrilittera: sed cum eodem Damasceno sentio, nullum nomen aptius Deo tribui*, τοῦ ὄντος. *Causa:* ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον, Vniuersum enim illud *Esse* complectens in se ipse habet, quasi mare quoddam infinitum & immensum. *Pulcherrime Hermes:* ἐστιν αὐτὸς καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα, ipse est & quæ sunt, & quæ non sunt. *Quo sensu? addit:* τὰ μὲν γὰρ ὄντα ἐφανέρωσε, τὰ δὲ μὴ ὄντα ἔχει ἐν ἑαυτῷ, nam & quæ sunt, aperuit, & quæ non sunt, habet in se ipse. Ille scilicet est, (*Ægyptiorum templis rite inscriptum*) τὸ γεγονός, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον quod fuit, quod est, quod erit; Ille, (*vt Apostolus ait*) ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

Hæc talia, nec impie, nec inscite dici possunt; sed quanto augustior & Deo dignior illa confessio? ἀνεκλάλητ☉, ἄῤῥητ☉, σιωπῇ φωνούμεν☉, ineffabilis, non dicendus, silentio exprimendus. Vocaui, *inquit idem Lipsius in Notis*, mentē, sed mente subtiliorē. *Hermes ille vere ter maximus in his diuinis:* ὕλης μὲν τὸ λεπτομερέστερον, ἀήρ· ἀέρ☉ ᾗ ψυχή. ψυχῆς, νοῦς. νοῦ ᾗ, ὁ Θεός, materia subtilior, aer; aere, anima: anima, mens: mente, ipse Deus. *Præditam dixi motu sempiterno. Recte accipe: pro vita & actione sempiterna. Aristoteles explicabit:* Θεοῦ ᾗ ἐνέργεια, ἀθανασία. τοῦτο δέ ἐστι ζωὴ ἀΐδι☉, ὥστε ἀνάγκη, τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν, Dei actio, immortalitas: hoc autem est perpetua vita: vt necessum sit diuinitati motum perpetuum inesse. Nam de alio motu, sane falsum. Ille omnia mouet, immobilis: omnia quatit, inconcussus. Hermes: πᾶν ᾗ τὸ κινούμενον οὐκ ἐν κινουμένῳ κινεῖται ἀλλ' ἐν ἑστῶτι. καὶ τὸ κινοῦν δὲ ἕστηκεν, omne vero motum non in moto mouetur, sed in quiescente, & id quod mouet, quiescit. De Deo *scripsi*, vera dicere periculosum. *Qui enim scis, an dicas vera? circumludis infinitum & æternum illud, tu pusille, tu mortalis. Atque hoc sensu, istud verum. Alias non nego, quin de Deo libere & vere dicamus, quæ de seipse, id est, quæ in sacris mysticisque libris referantur.* Melius, dixi, scitur nesciendo. *Hoc quoque pari cautione & sensu curiosos tantum excludimus: quoniam, vt ait Basilius.* τῆς ψυχῆς νόσημά ἐστι, τὸ κακῶς καὶ περιέργως ζητεῖν περὶ Θεοῦ, animi morbus est, male & superflue de Deo quærere. *Quid autem quæramus? cœli aut sideris vnius naturam plene nondum cepimus;*

mus; *& volumus cœli ſiderumque autorem? Vani, vani! Poetam audiamus:*

θεὸν νόμιζε, καὶ σέβου, ζήτει δὲ μή;
πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις,

Deum eſſe crede, & colito, ſed non quærito;
Nam nil habebis aliud hic, quam quærere.

Sed & Bias olim monuit, περὶ θεῶν λέγε, ὡς εἰσι, de Diis hoc tantum dic, eſſe. *Pius noſter ſcriptor magis pie*: Deus religione intelligendus, pietate profitendus eſt, ſenſu vero perſequendus non eſt, ſed adorandus. *Sileamus igitur hic, atque in religioſo illo ſilentio Deum adoremus, veneremur, & honoremus.*

CLXI.

DECIMASEPTIMA DEambulationum ruralium vtilitas: cur Principes, & omnes veram ſapientiam ambientes, philoſophiam magnifacere debeant, animaduerſio:

AT tu, optime Porphyri, antequam hanc de Creaturis, & ipſo creatore Deo, ruralem diſſertationem meam finiam, ex clariſsimi atq; excellentiſsimi viri Doctoris Andreæ Krebs / oratione *cauſas, cur Principes & omnes veram ſapientiam ambientes, philoſophiam magnifacere debeant*, continente, *quomodo* ſcilicet, *vir ſapiens, viſis rebus*

treatis philosophari poterit, quædam, quæ animo in syluis & campis oberrans voluo, pro clausula excerpam, haud odio credo habueris: *Cum omnes*, inquit, *simus homines, pari à Deo rationis & intellectus lumine ornati; aliis rimandi, aliis admirandi stupenda Dei opera, naturamque ipsam mira sapientia se conseruantem, fouentem, propagantem, contemplandi superne datam esse videmus; nec vllum esse arbitror, nisi plane rationis expertem, & sensuum adminiculo destitutum, qui non sursum deorsumque, cœlestia pariter & terrestria intuendo, totamque in illis naturæ perennem vicißitudinem contemplando excitetur, vt vel ipse in has naturæ abyssos, veræque sapientiæ thesauros inquirat, scrutetur, vel inquirentes in pretio & honore habeat.*

Illi præsertim, quibus Deus suprema in humanis conceßit subsellia: sed etiam supra vulgi sortem generosiore ditauit natura, præstantiores conceßit virtutes, diuinam plane in humanis, vniuersaque naturæ machina sapientiam contempletur, contemplatoresque suo honore & sua conuersatione dignis iudicent. Principes enim in ipsa natura sui ipsarum, sibique subiectarum; vniuersum totius reipublicæ speciem & formam expressam dum habent; non tantum videre licet, qui & quales sint. vnde hanc sibi potestatem, qua lege, quomodo conceßam habeant: verum in quibus consistat vera gubernandi ratio, in quem finem dirigenda omnis reipublicæ administratio. Hæc enim omnia in ipsam non alia causa supremus omnium rerum archetypus impreßit naturam, quam vt homines, præsertim Principes, eandem contemplantes, veram sapientiam inde discerent, quam nullibi,

nullibi, nisi in natura magni & parui mundi inuenient.

In hac sapientißimus omnium mortalium, quotquot vnquam vixerunt, victurique sunt, Rex Salomon, sapientiam quæsiuit. In hac sola se inuenisse gloriatur, ad huius normam diuinitus sibi concessum regnum felicissime administrauit. Hanc contemplantes, rudi illo & tenebricoso adhuc seculo, principium omnis boni, fontem omnis honestatis, ideam omnium virtutum inuenerunt primi philosophi. Hanc intuentes homines, cum respublicæ nullæ essent, societatem conciliarunt: ad hanc rempublicam regna, imperia conuocarunt, constituerunt muros, ciuitates extruxerunt; cum leges nullæ essent, sapientia pro legibus erat; cum pœnæ non essent decretæ, sapientia mala auertebat. Cum tandem malitia hominum excrescens arctiorem viuendi normam exposceret: sapientia leges præscripsit. Ad hanc summam omnis sapientiæ humanæ redundat vtilitas, vt cuncta quæ in regnis, imperiis rebuspublicis bene laudabiliterque geruntur, ab ea, & ipsius filia philosophia promanent: imo ipsa imperiorum forma & norma in natura impressa, per artem cognoscatur. Non inania, nec fabulosa narro; nec quæ dubiis & intricatis disceptantium nituntur argumentis; sed quæ vel oculorum sensui obiecta, omnibus paulululum hæc considerantibus cognoscuntur.

CLXII.

EX TRIBVS NATVRÆ REgnis, æthereo, vegetabili, & minerali tres vitæ ſtatus politicos inueniri:

A*Spice totam hanc mundi machinam, perluſtra tria naturæ regna*, æthereum, vegetabile, *&* minerale, *nonne, quod poſterius diximus, tres vitæ ſtatus politicos, in eis inuenies?*

Æthereum regnum *ſtatum eccleſiaſticum notat. Sicut enim regnum æthereum perpetuum, expers corruptionis eſt: ita eccleſia in terris perpetua eſt, & erit, quæ agitata licet Diaboli & mundi machinationibus, nec portis inferorum ſubuertetur. Sicut hoc regnum fouet vniuerſa, cuncta nutrit, omnia conſeruat: ita eccleſia omnes homines fouet, in ſpiritu Dei nutrit, & ad vitam æternam conſeruat.*

Regnum vegetabile *politicum ſtatum deſignat. Sicut enim à ſupremo regno vitam accipiens vniuerſa complectitur: & ſuis in natura legibus perpetuo ſibi ſuccedentibus mutationibus, generationibus, corruptionibus conſeruatur: ita ſtatus politicus à ſupremo Deo conſtitutus, & ſpiritu ſancto illuſtratus (Deus enim eſt, qui conſtituit & transfert regna) ſocietatem humanam certis conſtringit legibus, perpetuo ſibi, ſecundum iuſtitiæ normam, ſuccedentibus præmiis & pœnis, conſeruatur, & propagatur.*

Minerale regnum, *œconomicum ſtatũ exprimit. Sicut enim illud in terræ viſceribus latitans magno labore & periculo erutum, naturæ vim impreſſam, & per ar-*

tem

item expressam monstrat , & suppetias fert vegetabilibus , in commerciis hominum: sic status œconomicus in priuatis domiciliis latitans, magno labore & sudore ad vsum politicum præparatur : vt non tantum eius sit fundamentum , sed & ornamentum : vnde recte domus fundamentum ciuitatis *dicitur. Imo in tribus his , si paulum attendimus , vnum Princeps & caput, à quo reliqua omnia dependent , inuenies. Nonne in regno AEthereo sol princeps stella , stellarum omnium regina , solem iustitiæ , & omnis boni Deum , vnum essentia , trinum in personis designat, non admodum dissimili simili? Sicut sol substantiam, lumen & calorem in vna habet essentia : nonne homo in vegetabilibus magistratum monstrat? Sicut enim illi à Deo & natura in omnia creata concessum est imperium : ita magistratus ab eodem Deo, in subditos suos potestatem datam, & in natura præmonstratam habet.* Nonne *aurum in regno minerali patrem familias exprimit? sicut enim aurum sua natura perfectissimum metallorum, suo splendore & vsu præcipuo acceptissimum est; sic pater familias in domo & familia sua vitæ integritate, prudentia, pietate, modestia perfecte lucere suisque exemplo esse debet, vt vsui publico acceptus esse posit. Vt propius abditam naturæ sapientiam aggrediamur, age singula me cum perpende atque examina, & constabunt in singulis trium statuum non tantum quæ vnum , tanquam princeps & fundamentum reliquorum respiciunt , imo suspiciunt; verum à quo principio sint ista , quæ suis legibus, suo cursu , & immutabili ordine ad principis sui conseruationem vergant. Quæram , cur Deus naturam vniuersi ita condidit , vt cœlum corpus esset simplicissimum, nulli mutationi, nec alterationi, nec naturaliter*

turaliter corruptioni obnoxium: terra vero & omnia terrestria perpetuo sibi succedentibus mutationibus, generationibus, corruptionibus subiecta; vt sicut cœlum signo suæ perfectionis, motu, omnibus sublunaribus vitam & vigorem confert: ita hæc inferiora continuo quasi cursu ad interitum properent? nonne vt omnes homines, & præcipue Principes, qui ceu cœlum terræ, reliquorum hominum capita sunt, existimẽt, & serio deputent, non sibi vitam, neque potestatem à seipsis esse, sed à supremo cælesti monarcha concessam? nec datam perpetuam, aut felici cursu perenni; sed breuem, sed caducam, sed omnibus fortunæ telis & dubiis occultisque casibus expositam; vt inde mortalitatis & fragilitatis memores, humane cum suis viuant, cogitentque, non in terris; sed vnde terrestria, in cœlo vitam & regnum fore perpetua, omnis labis, omnis calamitatis expertia. Sic sic vel sapientia naturæ, originem & patriam nobis monstrat. Pedem (ita pergit excellentissimus Andreas Krebs) *me cum paulisper sige, vt acie mentis & oculorum cœlum contemplari possimus. cœlum, inquam, stellis magnitudine, altitudine, lumine discrepantibus & ab vno sole lumen mutuantibus, ornatũ. Cur vnum hoc tot stellis ornauit? cur cuilibet stellæ suum locum, propriam magnitudinem, peculiare lumen, ab vno tamen lumine promanans, concessit? cur ab vno tamen lumine lucis in stellis diuersitas? cur, inquam, singulis stellis singulas in hæc inferiora operationes tradidit, nonne vt in vno imperio infinita hominum multitudo contineretur? nonne vt hominum potentiæ essent gradus bonorum & dignitatum præeminentiæ? nonne vt caput vnum, à quo, ceu lumen defensionis & iustitiæ habeãt magistratus, seu Princeps denotaretur? nonne vt*

ne vt

ne vt in maiore luce dignitatis, ceu soli Planetæ, principi consiliarii adhærerent? nonne denique vt singuli demandato sibi munere fungerẽtur? ad vnguem in regno æthereo imperiorum idea expressa est. Huius contemplatione quis non delectaretur? quis non contemplatores tam admirandæ sapientiæ in pretio haberet? Vnum ferme excidisset, non prætereundum: cur in cœlo stellarum diuersus & plane contrarius motus obseruatur, in quo tamen harmonia cœlestis, & suauis stellarum & orbium concentus conseruatur? nonne vt in diuersis reip. consiliis & motibus omnia ad harmoniam prudentiæ, ad concentum pacis & concordiæ dirigenda, tanquam in speculo monstrentur? si possem omnes regni ætherei articulos exprimere; perfectã terrestris imperii formam, omnia imperii munera ex cœlo deducere. Perge incœpta legendi opera, vt hæc inferiora compendio lustrare possimus: in quibus siue vniuersa, siue singula consideramus, patet in istis idea reipublicæ. In omnibus enim terrestribus, quæ oculis nostris subiecta sunt certus est & dignitatis & præstantiæ ordo, quæ caput & dominum agnoscunt hominem. Notũ est, non esse animal, vel viuens vllum, quod nõ in sua specie præstantiæ gradus habeat: aliud alio multo sit generosius: Cur hoc, nisi vt tacite imperii forma exprimatur? Apes expresse regem suum sequuntur, eumque venerantur. Grues custodi suo se committunt. Longum esset de elephantis dicere, quæ prudentia in se inuicem, qua reuerentia & obedientia in homines natura sua ad miraculum vsque duci scribãtur à philosophis & historicis, quæ nostræ fidei maiorem fidem stabilire possent, nisi ex eorũ scriptis hæc & alia in hanc sententiã in integra tibi essent memoria. Et vt reliquũ tribus includã: manifesta reip. idea in regno minerali patet, quando

quando in singulis metallis non obscure conspicitur, in quibus dominatur Mercurius, qui Spiritus instar est; illi, ceu anima suppetias fert sulphur seu oleũ; his duobus subiacet sal, seu terra. Per Mercurium, *princeps seu caput intelligitur; per* oleum *seu* sulphur, *consiliarii, qui sunt anima imperii; per* sal, *subditi denotantur. Quæ omnia admiranda in natura sagacitate, in chymicis operationibus videntur: vt non immerito exclamare liceat: ô profunda naturæ sapientia! quam provide anima ad hominum vtilitatem disposuisti? vt in te suæ societatis, consiliorum & actionum speculum videant, vitæ sustentaculum habeant: morborum remedium accipiant, paupertatis subsidium sumant, angustiæ leuamẽ sentiant. Sin molestum nimis tam amplum contemplationum campum lustrare, ea, quæ strictim dixi, in temetipse quære, pectus tuum roga, omnia membra considera; & quæ dicturus sum breuibus, prolixe inuenies. Quicquid enim in toto est vniuerso, in paruum, hominem, mira sapientia collata esse nemo negare poterit, vnde homo recte μικρόκοσμος* paruus mundus *dicitur. Neque enim substantiæ, nec Qualitates perfectissimæ in hominem diffusæ sunt: verum particula auræ diuinæ eidem concessa, ex qua perfectissimam imperii formam quisque hominum secum circumfert, & gubernandi rationem in seipso habet: imo, si altiore mentis indagine ingenium humanum scrutemur; ex eodem incrementa & decrementa, imo inuersiones rerumpublicarum profluere videbimus: attende: non aliud est anima in corpore, quam Princeps in regno: non aliud sunt sensus interiores, quam supremi consiliarii, exteriores omnes internuncii; & à proximis seruitiis ministri. Quid reliqua membra? nonne subditi imperio supremæ dire-*

directricis, suo ordine & modo obsequentes? quid affectus in homine? nonne hostes, cum quibus perpetuo bello princeps conflictatur? Quid totus, inquam, homo? nonne imperii & reip. idea? in quo si ad nutum principis, omnia fideliter administrant subditi, salua omnia sint, ipsumque regnum stabile permaneat. Si vnum ab officio membrum exorbitat, quanta reliquorum dissensiones turbant principem? atq; adeo si pertinaci petulantia rebelles sunt subditi, ipsum principem sede sua moueant, totumque interimant, & inuertant imperium. Ingenium à capite ad calicem si consideramus, nonne qualia temperamenta, tales affectus, tales libidines, eiusmodi mores & actiones in priuatis, nec disparia in publicis consilia? nonne subditorum mutuus ad malum præcipue procliuis affectus, consilia nutu principis temperat? vt potius principem suum, cum quo viuunt, quam cætera, quorum successus & fortuna ab ingenio Principis dependent (nisi quæ in proprium incommodum & libidinem quoque faciunt) attendant: inde quales principes, tales subditi, talis resp. tales omnium rerum successus, talis denique fortuna. Vt enim quis ex suo ingenio suæ fortunæ faber dicitur, ita vniuersæ reip. fortuna ab vno in multos excuditur. Possem per singula membra singula in rep. politica officia præmonstrare: possem ex singulis temperamentis & complexionibus hominum, principum præsertim & consiliariorum reipub. statum & conditionem deducere, nisi prolixum & notum esset. Neque enim sine ratione & singulari admirandaque sapientia vniuersa ita condita sunt, vt inueniatur in omnibus imperii idea & forma. Inde enim non obscure intelligimus, hæc omnia, quæ existunt, & non à seipsis existere (nihil enim à seipso, nisi æternum illud numen, quod in

X seipso

seipso fuit, est & erit) esse per rationem potest: sed ab æterno aliquo principio promanare, & ea ipsa ad principium aliquod internum primum, certo ordine, naturæ sagacitate & prouidentia præeunte & præcedente, tendere. Omnia nanque vt ab vno sunt externo, ita vnum internum, ab externo impressum, ad quod vicißim tendant, illudque agnoscant, habeant necesse est. Nam omne quod est, ad suum principium, ceu centrum, natura inclinat. Quod in omnibus naturalibus fieri videmus & in ipsa politia patet. Siquidem natura nobis, nulla legis notitia præcedente, pietatem in Deum, obsequium & reuerentiam in parentes, obedientiam in magistratum dictitat: vnde recte philosophi, ab vno ad vnum omnia. Non temere philosophor: sed vt non tantum intelligas, vniuersam hanc societatis politicæ constitutionem in natura non obscure inueniri: verum principium omnis boni, cum actionum omnium causis & administratione reipublicæ in natura agnosci. Non enim sine causa Deus imaginem suæ cogitationis tum in magnum vniuersi infundere, tum in paruum hominis mundum imprimere voluit: sed vt ex illa, tanquam speculo obscuriori intueri ipsum, & mysterium Trinitatis, ab oculis hominum & omni ratione absconditum credere citius & venerari, imo adorare poßimus, qui scimus & intelligimus, totam hanc mundi machinam in tribus consistentem, ad vnum principium seu caput primum, infinitum, & inde externum vergere. (Quicquid enim vniuersale omnium principium producens, & conseruans est, infinitum & æternum esse etiam ethnici statuunt.) Deinde intelligimus, natura dictitante, nos non à nobis, quod principio quoque diximus, & clarius hic dicendum, existere

existere: itaque omnes principii respectu (quia cum nullo quicquam participat, quam trinitatem) sine conditione diuersitatis, cuiuscunq; sint status, æterno Deo subiectos esse, & naturam eius imitari, hoc est quod nobiscum communicat, relictis omnibus contrariis vitiis, bonitatis vestigia insequi debere, vt enim principium primum simplex est, quod non habeat superius, quo compositum, ad cõtraria moueatur, vel corrumpatur, aut mutetur saltem: ita omnem priuationẽ imperfectionis, aut ad aliud procliuitatis notam abesse necesse est. Vnde malum omne, & causam mali, à primo omnium principio aliena esse, neque vllum accidens in primum Ens entium cadere, ethnici scripserunt. A quo cum omnia moueantur (ethnicorum mentem exprimo, sed à Christianis cogitationibus non prorsus alienam) ad primum eas reciproco cursu moueri deberent. Ex hoc sensu, diuinus Plato non tantum Deum, causam boni, in natura statuit: verum philosophus bonum vniuersi constituit in principio, vt ad id omnia ordinentur. Ad hoc principium cum proxime ratio accedat cogitationes nostræ simplices, omnis contradictionis & malitiæ expertes esse deberẽt, & essent nisi implicatæ corpori, si corruptæ non essent. Malum itaque quod est, aliunde est, quod hanc Dei notitiam in nobis obscurauit, virtutis lucem ferme extinxit. Ex quo fonte gentium Doctor scribit: Deum gentibus notum fuisse: Athenienses ignotum Deum coluisse, legem boni & honesti in cordibus hominum impressam & scriptam esse; nos quidem ratione bonum intelligere, sed perficere non posse. Quamuis itaque gentes ex lumine naturæ, quis & qualis ille sit Deus nec scire, nec intelligere potuerint, causam reddente philosopho:

quia infinitum non sit scibile; tamen qua externam disciplinam boni & honestatis fontem in Deo situm, in homines diffusum intellexerunt; indeque omnem honestatem in vita spectandam esse statuerunt. Nos vero gratia Spiritus sancti illustrati, propius hæc disputare possemus: Huc vsque Andreas Krebs. Pluribus possemus, mi Iuli Porphyri; at non est pluribus opus, tum quia iam Theologis illa relsiquimus, tum quia eadem quodammodo ex Mornæo iam supra adumbrauimus.

CLXIII.

DECIMAOCTAVA DEAMbulationum ruralium vtilitas: agriculturæ & vitæ rusticæ antiquitatis, dignitatis, honestatis, vtilitatis, necessitatis & iucunditatis ruminatio & propensio.

POstquam igitur supra satis superque de quibusdam rebus creatis; ipsoque creatore disseruimus, ita vt de creaturis ipsoque cratore qualemqualem tibi philosophandi ansam præbuimus: satius nos nunc facturos ducimus, vt istiusmodi res relinquamus, & de vitæ rusticæ antiquitate, simul ac de agriculturæ dignitate & honestate, deinde de vtilitate, necessitate, & iucunditate pauca pangamus: quæ omnia non secus ac superiora ad nostrarum ruri obambulationum vtilitatem merito referimus.

CLXIV.

CLXIV.

VITA RVSTICA VRBANA antiquior.

QVoties porro beatos agellulos aſpicio, nõ poſſum, quin mente reuoluam & cogitem: Vitam ruſticam vrbana eſſe antiquiorem: quandoquidem ante vrbes conditas Deus primis noſtris parentibus creatis agricolationis artem mandauit: Gen. 2. v. 15. *Tulit enim Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum* (non ſeruili, puta, labore, ſed honeſta animi voluptate.) Et pulſo inde homini continuata ars; ſed additus labor: *In ſudore* (ſic loquutus eſt Dominus Gen. 3. v. 19. *vultus veſceris pane tuo.* & v. 17. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* & v. 13. *Et miſit Deus Adam de Paradiſo, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Rurſusque ex duobus filiis eius, *Cain fuit agricola, Abel* vero *paſtor ouium.* Poſt diluuium Noe vir *agricola* exercere terram, & plantare vineam poſteris didicit. Atque vt ſupracitata verba illa, *vt operaretur & cuſtodiret illum*, paulum penitius conſideremus & intelligamus: primum Auguſtini, deinde noſtram ſententiam ſiue opinionem de eiſdem aperiemus. Iſta verba viſa ſunt Auguſtino duplicem poſſe ſenſum reddere: alter ſenſus eſt, quem ipſe magis probat, vt duo illa verba, *operaretur & cuſtodiret* referat ad Deum; *illum* autem Pronomen, *illum*, (quod geminatur Hebraice, ſic enim eſt He-

braice, *vt operaretur illum & custodiret illum*) referatur ad hominem; & hic sit eorũ verborum sensus, Deum ob eam maxime causam collocasse Adamum in Paradiso, vt ipsum Adam magis ac magis indies operaretur, id est, excoleret & perficeret, iustiorem, melioremque indies reddens ad prçstantiora virtutum opera efficienda inuitaret pariter atque adiuuaret, *& custodiret illum*, corpus nempe seruans ab omni corruptione & offensione liberum, animum vero ab omni malo purum integrumque custodiens, quoad scilicet voluntas eius cum Dei voluntate consentiret & diuinis præceptis obtemperaret. Non enim ad consequendam æternam vitam & felicitatem satis est, hominem iustum & sanctum effici; nisi is permaneat in iustitia, & vsque ad extremum in bene agendo perseueret. Ponam hic Augustini verba, vt quod de sententia eius diximus, propriis ex verbis eius apertius & certius lector agnoscat. Sic igitur in cap. 10. lib. 8. de Genes. ad literam scribit Augustinus: *Est alius in his verbis sensus, quem puto non immerito præponendum, vt ipsum hominem operaretur & custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat esse terram; sed vt cultam atque fructuosam: Sic Deus hominem multo magis, quem creauit vt homo sit, eum ipse operatur, vt iustus, si homo ab illo per superbiam non abscedat. Quia ergo Deus est immutabile bonum; homo autem & secundum animam, & secundum corpus mutabilis res est, nisi ad immutabile bonum, quod est Deus, conuersus substiterit formari, vt iustus beatusque sit, non potest.*

AC

Ac per hoc Deus idem, qui creat hominem, vt homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, vt etiam bonus beatusque sit.

Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, vt ornata atque fœcunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui iam homo erat, vt pius sapiensque sit, eumque custodire, quod homo sua potestate in se, quam illius supra se delectatus, dominationemque eius contemnens, tutus esse non possit. Sic Augustinus. At enim hanc Augustini interpretationem (vt Valentinianus, cuius etiam verba hic vsurpo, & ego comprehendimus) excludit ac reiicit scriptura Hebraica. Nam etsi illud Pronomen, *illum*, Græce & Latine ambiguam habet relationem, & ad hominem, & ad paradisum: Hebraice tamen nulla potest esse ambiguitas, quia Pronomen illud ponitur in Genere fœminino, & necessario coniungitur cum vocabulo Paradisi. Est igitur horum verborum intellectus minus quidem, quam prior Augustini probatus, sed nobis tamen magis probandus, vt hæc sit illorum verborum sententia: posuit Deus Adam in Paradiso, *vt* ipse Adam sua opera cura & industria *eum*, id est, paradisum *operaretur*, id est, excoleret, varia scilicet opera faciendo, quæ ad eius loci culturam & ornatum pertinebant, simul etiam vt eum custodiret & conseruaret.

Ast non fuit absq; dubio, ille paradisi cultus Adamo in innocẽtię statu operatio laboriosa, & molesta, sed facilis & iucunda & gratia; per quã

nimirum varia sibi loca in paradiso ad habitandum comparasset, viasque & semitas, per quas commode & cum voluptate ingredi & spaciari posset, sine labore strauisset atque continuasset. Ac licet terra nihil non bonum atq; vtile sponte sua edidisset; accedente tamē hominis cultura, eadem illa & vberiora & meliora extulisset, cumque etiam id temporis vitam animalem acturus esset homo, nec potuisset perpetuo intentus & defixus esse Dei contemplationi subinde iuuisset eum, multas & varias actiones per membra corporis obire: inter quas ea, quæ in terra colenda versatur plenissima fuisset voluptatis atque iucunditatis. His adde, quod cultura terrę mirabiliter animum nostrum excitat ad obseruationem & admirationem diuinæ prouidentiæ, quę multis ex rebus, quas agricultura tractat, elucescit. Contulisset & plurimum ad periclitandas experiendasque tam diuersas terrarum vires, omniumq; ex terra nascentium. At vero post hominis peccatum laboriosa extitit agricultura, tum quod ad eam colendam necessitate cogimur, ob indigentiam scilicet cibi, quem nisi multo labore parare non possumus: tum quod non omnis terra, quæ colitur, fructifera est, & si qua est fructifera, ea tamen non nisi diu multumque à nobis elaborata, quę vitæ degendæ sunt necessaria, suo gerit, & quod laborem & tædium maiorem in modū auget, plurima fert inutilia & noxia, quibus resecandis exstirpandisque magnum perpetuumque laborem

rem subire necesse est. Potuisse autem eo tempore culturam terræ citra laborem & molestiã ab homine exerceri, satis argumenti est, etiam nunc tanta cum voluptate à quibusdam suscipi & tractari, vt magna eis pœna sit, inde abstrahi, & ad alia euocari. Audiat lector Augustinum in 8. cap. lib. 8. de Gen. ad literam elegantissimis verbis ea de re disputantem; namque explanans ea ipsa verba Mosis, quæ nunc tractamus, Adam esse positum à Deo in paradiso, vt operaretur eum, cum obiecisset, Deum hominem ante peccatum damnasse ad labores & molestias agriculturæ, hæc subiungit: *ita sane arbitraremur, nisi videremus, cum tanta voluptate animi agricolare quosdam, vt eis magna pœna sit inde ad aliud auocari. Quicquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc vtique longe amplius erat, quandiu nihil accidebat aduersi vel terra, vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio: sed exhilaratio voluntatis, cum ea, quæ Deus creauerat, humani operis adiutorio latius veraciusque prouenirent: vnde creator ipse vberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum inuitum indigentia corporis cogeret. Quod enim maius mirabiliusque spectaculum est, aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quam cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tanquam interrogatur, quæque vis codicis & germinis quid possit, quidue non possit: vnde possit, quid in ea valeat numerorum inuisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia, inque*

ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementū dat, Deus: quia & illud operis, quod accidit extrinsecus per illum accidit, nihilominus creauit & quem regit atq; ordinat inuisibiliter Deus. Hinc iam in ipsum mundum, velut in quandā magnam arborem, rerum oculus cogitationis attollitur, atq; in ipso quoq; gemina operatio prouidentiæ reperitur, partim naturalis, *partim* volūtaria. Naturalis *quidem per occultam Dei admirationem, quæ & lignis & herbis dat incrementum*; Voluntaria *vero per angelorum opera & hominum. Secundum illam primam cœlestia superius ordinari, interiusque terrestria luminaria syderaque fulgure, diei noctisque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aerem altius superfundi, arbusta & animalia concipi & nasci, crescere & senescere, occidere, & quicquid aliud in rebus interiore naturaliq; motu geritur. In hac autem altera, signa dari, doceri & discere agros coli, societates administrari, artes exerceri, & quæque alia siue in superna societate exercentur, siue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis consulatur, etiam per nescientes malas*: Sic Augustinus, qui multis deinceps verbis idem argumentum luculentissime tractat. Xenophon porro dixit, vt Cic. scribit in lib. de senectute, nihil sibi tam regale videri, quam studium agri colendi. Quin Cyrus Persarum Rex, ingenio præstans, & tanti gloria imperii clarissimus, agrum ipse sibi conserebat, arboresque sua manu satas demetiebatur, & in ordinem dispone-bat.

Proceres illos Romanæ nobilitatis & antiqui-

tiquitatis viros, ex agris ad imperia & dictaturas accersiri mos fuit, quibus illi cum essent perfuncti, ad priores agriculturæ exercitationes reuertebantur. Homerus Laertem, Vlyssis patrem, heroica corporis maiestate præditum, quem ex filii absentia senectuteque ingrauescente mœrorem capiebat, eum solatio colendi agri lenire ac mitigare facit: in qua occupatione post tot annorum exilium reuersus Vlysses versantem inuenit. Hinc apparet, primam humanarum artium fuisse agriculturam; hæc enim prima homini & in statu innocentiæ iniuncta est, & post peccatum sola ei indicta, quã exercuit Adam, & post diluuium Noe. Nec id mirum; naturalior. Ordine prima omnium occurrit agricultura, necessaria scilicet parando victui degendæque vitæ suggerens. Quo licet intelligere errorem poetarum gentilium & historicorum, qui, vt Augustinus tradit, lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 59. memoriæ prodiderunt, agriculturam post regnum Saturni esse inuentam; si quidem in ætate aurea, quæ sub Saturno rege floruit, nullam f[uisse] dicunt culturam agri; tunc enim, vt canit Verg. lib. 1. Georg.

——— ——— Ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et Ouid. lib. 1. Metamorph.

——————— Natos sine semine flores
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Et alio loco Vergilius (1. Georg.)

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.

Tradunt

Tradunt enim, Saturnum pulſum Creta à Ioue filio, veniſſe in Italiam, & inibi Ianum atque Italos agriculturam docuiſſe. Et licet Poetæ, mi Iuli Porphyri, hac in parte errarint, innuere tamen omnes voluerunt, primam omnium artem, de quibus literæ teſtantur, fuiſſe artem agriculturæ, & vitam ruſticam vrbana antiquiorem. Nec errant, qui ita eſſe putant. Ante homines enim plantæ creatæ ſunt, vt homines illis vti fruique poſſent; atque vt arbores primis hominibus cibos præbuerunt, ita & habitacula, quorum vmbra, ramis & truncis ſe aduerſus ſolis, pluuiarum, imbrium & niuium moleſtias tuerentur. Hoc Ouidius atteſtari vult, dum ſcribit:

Pro domibus frondes norant, —— —— ——

Et Nemeſianus,

Sylua domus, cubilia frondes.

Et verum eſt, vt ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus eſt videre, quod primis hominibus non domus extructæ ornatæque fuerint, ſed vimina, ſed caua arborum ligna, in quibus tectorum vice inhabitarent, & quod ex frondibus virgultiſq; contextis caſulas habitarint. Hinc eſt, quod Plinius, *quies*, inquit, lib. 18. c. 3. *ſomnusque in ſtramentis erat:* & Iuuenalis;

Syluestrem montana thorum cum ſterneret vxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus.

Cum ſcilicet nemo dum

—— —— —— *Sarrano dormiit oſtro,*

Nec

Nec conchyliatis, Ciceronis verbum est, *Cn. Pompeii peristomatis seruorum in cellis ludos stratos videres, tum parabili victu contenti erant, quantum scilicet suus ager cuilibet fundit.* Idem elucet ex illo Tulli: *Fuit quondam*, scribit, *tempus, cum in agris homines passim, bestiarum more, vagabantur, & victu ferino sibi vitam propagabant: nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant, nemo legitimas viderat nuptias, nemo certos inspexerat liberos. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir, & sapiens, dispersos homines in agris & in locis syluestribus abditos, ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit, & eos ex feris & immanibus mites reddidit & mansuetos.* Hæc ille. Hoc ipsum fabula quoque de Orpheo denotat, qui lyræ suæ fidelibus, hoc est, suauissimis disertissimisque sermonibus beluas demulsit, saxa traxit, flumina, syluas (intellige homines passim in syluis bestiarum more oberrantes) in admirationem rapuit. Imo adhuc sunt populi & nationes, quæ à primo more non recesserunt, quę adhuc sub arboribus incubant, syluasque incolunt, & saltus inerrant. En tibi Americanos & quosdam Afros, Arabasque & Tartaros.

CLXV.

DIGNITAS ET HONESTAS agriculturæ & vitæ rusticæ.

IStiusmodi, mi Iuli Porphyri, meditationes visis agricolis in animum meum irrepunt & irrumpunt

CLXVII.

PRINCIPES QVIDAM MAgni agricolationem sceptris prætulerunt.

MEminisse me quoque faciunt è contra magnos illos Reges & Duces, qui agricolationem sceptris prætulerunt, quos non puduit agros colere, semina serere, arbores inserere, arare, occare, putare, pastinare, messare, vindemiare, tondere, venari, piscari, vt Attalus Asiæ, Rex qui hortulos regno antetulit. Sicut & C. Fabricius, C. Marius, Curio Dentatus, S. Porcius Cato, Lucullus, Pericles, Scipio Africanus, Seruarius. De M. Curio ita scribitur *cum de Samnitibus, Sabinis ac Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis in villa: ad focum sedenti magna auri pondera Samnite, cum attulissent, repudiata sunt ab eo.* Et quid memorem Philometrum, Hieronem, Archelaum, Attalum Asiæ Regem, qui omissis regni curis, de iis scripta post se reliquerunt. Et alii multi, qui depositis publicis curis ad rusticandum venerunt. His adiice Catonem Censorinum, cui summæ laudi datum est, vt *optimus orator, optimus Imperator, optimus agricola* diceretur. De hoc ipso Catone ita scribit Franciscus Pettarcha: *Agriculturæ ars*, inquit, *magnis olim tractata viris atque ingeniis, in pretio fuit, in qua, vt multis in rebus altum locum Cato Censorius* tenet, de quo cum verissime scriptum sit; *optimus senator, optimus orator, optimus Imperator*; tandem laudis

ad-

ad cumulum illud est additum; *sine amulo, siue exemplo sui temporis agricola.* Quem puderet igitur cum Catone terram colere? quis omnino sibi turpe aliquid duceret, quod pulchrum ille sibi duxisset? qui præter corporis atque animi virtutes, rerumque gestarum gloriam, etiam de Hispania triumphasset; quis sollicitare atque hortari boues erubesceret, quos in sulcum vrgeret illa vox, quæ tot magnos exercitus in prælium accendisset; tot ancipites causas disertissime perorasset? quis castrum atque aratrum fastidiret, quod illa triumphalis ac philosophica manus attingeret? quæ insignes de tot hostibus victorias peperisset, tot de rebus optimis præclaros libros scripsisset, siue ad philosophiam; siue ad historiam; siue ad vsum vitæ spectantibus, quales sunt, quos de hoc ipso, quod nunc loquimur, scripsit. De Scipione Africano similiter Seneca Ep. 87. *In hoc agello ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus fessum rusticis. Exercebat enim opere se: terramque vt mos fuit priscis, subigebat*: Plinius, *generatim*; inquit, *ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*, lib. 18. c. 3. Atque hinc nec videri mirum, nec iudicari absurdum debet, quod Ouid. inquit, Fast. 1. 209.

Iura dabat populo, posito modo Prætor aratro.

Notandum illud; quod Gallius scribit, Italiam ab italis, hoc est, bobus, quibus olim abundabat, denominatam. Boues enim Græca veteri

braice, *vt operaretur illum & custodiret illum*) referatur ad hominem; & hic sit eorũ verborum sensus, Deum ob eam maxime causam collocasse Adamum in Paradiso, vt ipsum Adam magis ac magis indies operaretur, id est, excoleret & perficeret, iustiorem, melioremque indies reddens ad prçstantiora virtutum opera efficienda inuitaret pariter atque adiuuaret, *& custodiret illum*, corpus nempe seruans ab omni corruptione & offensione liberum, animum vero ab omni malo purum integrumque custodiens, quoad scilicet voluntas eius cum Dei voluntate consentiret & diuinis præceptis obtemperaret. Non enim ad consequendam æternam vitam & felicitatem satis est, hominem iustum & sanctum effici; nisi is permaneat in iustitia, & vsque ad extremum in bene agendo perseueret. Ponam hic Augustini verba, vt quod de sententia eius diximus, propriis ex verbis eius apertius & certius lector agnoscat. Sic igitur in cap. 10. lib. 8. de Genes. ad literam scribit Augustinus: *Est alius in his verbis sensus, quem puto non immerito præponendum, vt ipsum hominem operaretur & custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat esse terram; sed vt cultam atque fructuosam: Sic Deus hominem multo magis, quem creauit vt homo sit, eum ipse operatur, vt iustus, si homo ab illo per superbiam non abscedat. Quia ergo Deus est immutabile bonum; homo autem & secundum animam, & secundum corpus mutabilis res est, nisi ad immutabile bonum, quod est Deus, conuersus substiterit formari, vt iustus beatusque sit, non potest.*

Ac per hoc Deus idem, qui creat hominem, vt homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, vt etiam bonus beatusque sit.

Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, vt ornata atque fœcunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui iam homo erat, vt pius sapiensque sit, eumque custodire, quod homo sua potestate in se, quam illius supra se delectatus, dominationemque eius contemnens, tutus esse non possit. Sic Augustinus. At enim hanc Augustini interpretationem (vt Valentinianus, cuius etiam verba hic vsurpo, & ego comprehendimus) excludit ac reiicit scriptura Hebraica. Nam etsi illud Pronomen, *illum*, Græce & Latine ambiguam habet relationem, & ad hominem, & ad paradisum: Hebraice tamen nulla potest esse ambiguitas, quia Pronomen illud ponitur in Genere fœminino, & necessario coniungitur cum vocabulo Paradisi. Est igitur horum verborum intellectus minus quidem, quam prior Augustini probatus, sed nobis tamen magis probandus, vt hæc sit illorum verborum sententia: posuit Deus Adam in Paradiso, *vt* ipse Adam sua opera cura & industria *eum*, id est, paradisum *operaretur*, id est, excoleret, varia scilicet opera faciendo, quæ ad eius loci culturam & ornatum pertinebant, simul etiam vt eum custodiret & conseruaret.

Ast non fuit absq; dubio, ille paradisi cultus Adamo in innocētię statu operatio laboriosa, & molesta, sed facilis & iucunda & gratia; per quã

nimirum varia sibi loca in paradiso ad habitandum comparasset, viasque & semitas, per quas commode & cum voluptate ingredi & spaciari posset, sine labore strauisset atque continuasset. Ac licet terra nihil non bonum atq; vtile sponte sua edidisset; accedente tamē hominis cultura, eadem illa & vberiora & meliora extulisset, cumque etiam id temporis vitam animalem acturus esset homo, nec potuisset perpetuo intentus & defixus esse Dei contemplationi subinde iuuisset eum, multas & varias actiones per membra corporis obire: inter quas ea, quæ in terra colenda versatur plenissima fuisset voluptatis atque iucunditatis. His adde, quod cultura terrę mirabiliter animum nostrum excitat ad obseruationem & admirationem diuinæ prouidentiæ, quę multis ex rebus, quas agricultura tractat, elucescit. Contulisset & plurimum ad periclitandas experiendasque tam diuersas terrarum vires, omniumq; ex terra nascentium. At vero post hominis peccatum laboriosa extitit agricultura, tum quod ad eam colendam necessitate cogimur, ob indigentiam scilicet cibi, quem nisi multo labore parare non possumus: tum quod non omnis terra, quæ colitur, fructifera est, & si qua est fructifera, ea tamen non nisi diu multumque à nobis elaborata, quę vitæ degendæ sunt necessaria, suo gerit, & quod laborem & tædium maiorem in modū auget, plurima fert inutilia & noxia, quibus resecandis exstirpandisque magnum perpetuumque laborem

rem subire necesse est. Potuisse autem eo tempore culturam terræ citra laborem & molestiã ab homine exerceri, satis argumenti est, etiam nunc tanta cum voluptate à quibusdam suscipi & tractari, vt magna eis pœna sit, inde abstrahi, & ad alia euocari. Audiat lector Augustinum in 8. cap. lib. 8. de Gen. ad literam elegantissimis verbis ea de re disputantem; namque explanans ea ipsa verba Mosis, quæ nunc tractamus, Adam esse positum à Deo in paradiso, vt operaretur eum, cum obiecisset, Deum hominem ante peccatum damnasse ad labores & molestias agriculturæ, hæc subiungit: *ita sane arbitraremur, nisi videremus, cum tanta voluptate animi agricolare quosdam, vt eis magna pœna sit inde ad aliud auocari. Quicquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc vtique longe amplius erat, quandiu nihil accidebat aduersi vel terra, vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio: sed exhilaratio voluntatis, cum ea, quæ Deus creauerat, humani operis adiutorio lætius veraciusque prouenirent: vnde creator ipse vberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum inuitum indigentia corporis cogeret. Quod enim maius mirabiliusque spectaculum est, aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quam cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis tanquam interrogatur, quæque vis codicis & germinis quid possit, quidue non possit: vnde possit, quid in ea valeat numerorum inuisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia, inque*

ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementū dat, Deus: quia & illud operis, quod accidit extrinsecus per illum accidit, nihilominus creauit & quem regit atq; ordinat inuisibiliter Deus. Hinc iam in ipsum mundum, velut in quandā magnam arborem, rerum oculus cogitationis attollitur, atq; in ipso quoq; gemina operatio prouidentia reperitur, partim naturalis, *partim* volūtaria. Naturalis *quidem per occultam Dei admirationem, quæ & lignis & herbis dat incrementum*; Voluntaria *vero per angelorum opera & hominum. Secundum illam primam cœlestia superius ordinari, interiusque terrestria luminaria syderaque fulgure, diei noctisque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aerem altius superfundi, arbusta & animalia concipi & nasci, crescere & senescere, occidere, & quicquid aliud in rebus interiore naturaliq; motu geritur. In hac autem altera, signa dari, doceri & discere agros coli, societates administrari, artes exerceri, & quæque alia siue in superna societate exercentur, siue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis consulatur, etiam per nescientes malos*: Sic Augustinus, qui multis deinceps verbis idem argumentum luculentissime tractat. Xenophon porro dixit, vt Cic. scribit in lib. de senectute, nihil sibi tam regale videri, quam studium agri colendi. Quin Cyrus Persarum Rex, ingenio præstans, & tanti gloria imperii clarissimus, agrum ipse sibi conserebat, arboresque sua manu satas demetiebatur, & in ordinem disponebat.

Proceres illos Romanæ nobilitatis & antiqui-

tiquitatis viros, ex agris ad imperia & dictaturas accersiri mos fuit, quibus illi cum essent perfuncti, ad priores agriculturæ exercitationes reuertebantur. Homerus Laertem, Vlyssis patrem, heroica corporis maiestate præditum, quem ex filii absentia senectuteque ingrauescente mœrorem capiebat, eum solatio colendi agri lenire ac mitigare facit: in qua occupatione post tot annuorum exilium reuersus Vlysses versantem inuenit. Hinc apparet, primam humanarum artium fuisse agriculturam; hæc enim prima homini & in statu innocentiæ iniuncta est, & post peccatum sola ei indicta, quã exercuit Adam, & post diluuium Noe. Nec id mirum; naturalior. Ordine prima omnium occurrit agricultura, necessaria scilicet parando victui degendæque vitæ suggerens. Quo licet intelligere errorem poetarum gentilium & historicorum, qui, vt Augustinus tradit, lib.7. de Ciuit. Dei, cap.59. memoriæ prodiderunt, agriculturam post regnum Saturni esse inuentam; si quidem in ætate aurea, quæ sub Saturno rege floruit, nullam fuisse dicunt culturam agri; tunc enim, vt canit Verg. lib.1. Georg.

——— ——— *Ipsaque tellus*
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Et Ouid. lib.1. Metamorph.
——— ——— *Natos sine semine flores*
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.
Et alio loco Vergilius (1. Georg.)
Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.

Tradunt

Tradunt enim, Saturnum pulſum Creta à Ioue filio, veniſſe in Italiam, & inibi Ianum atque Italos agriculturam docuiſſe. Et licet Poetæ, mi Iuli Porphyri, hac in parte errarint, innuere tamen omnes voluerunt, primam omnium artem, de quibus literæ teſtantur, fuiſſe artem agriculturæ, & vitam ruſticam vrbana antiquiorem. Nec errant, qui ita eſſe putant. Ante homines enim plantæ creatæ ſunt, vt homines illis vti fruique poſſent; atque vt arbores primis hominibus cibos præbuerunt, ita & habitacula, quorum vmbra, ramis & truncis ſe aduerſus ſolis, pluuiarum, imbrium & niuium moleſtias tuerentur. Hoc Ouidius atteſtari vult, dum ſcribit:

Pro domibus frondes norant, —— —— ——

Et Nemeſianus.

Sylua domus, cubilia frondes.

Et verum eſt, vt ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus eſt videre, quod primis hominibus non domus extructæ ornatæque fuerint, ſed vimina, ſed caua arborum ligna, in quibus tectorum vice inhabitarent, & quod ex frondibus virgultiſq; contextis caſulas habitarint. Hinc eſt, quod Plinius, *quies*, inquit, lib. 18. c. 3. *ſomnusque in ſtramentis erat:* & Iuuenalis;

Syluestrem montana thorum cum ſterneret vxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus.

Cum ſcilicet nemo dum

—— —— —— *Sarrano dormiit oſtro,*

Nec conchyliatis, Ciceronis verbum est, *Cn. Pompeii peristomatis seruorum in cellis ludos stratos videres, tum parabili victu contenti erant, quantum scilicet suus ager cuilibet fundit*. Idem elucet ex illo Tulli: *Fuit quondam*, scribit, *tempus, cum in agris homines passim, bestiarum more, vagabantur, & victu ferino sibi vitam propagabant: nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant, nemo legitimas viderat nuptias, nemo certos inspexerat liberos. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir, & sapiens, dispersos homines in agris & in locis syluestribus abditos, ratione quadam compulit in vnum locum, & congregauit, & eos ex feris & immanibus mites reddidit & mansuetos*. Hæc ille. Hoc ipsum fabula quoque de Orpheo denotat, qui lyræ suæ fidelibus, hoc est, suauissimis disertissimisque sermonibus beluas demulsit, saxa traxit, flumina, syluas (intellige homines passim in syluis bestiarum more oberrantes) in admirationem rapuit. Imo adhuc sunt populi & nationes, quæ à primo more non recesserunt, quę adhuc sub arboribus incubant, syluasque incolunt, & saltus inerrant. En tibi Americanos & quosdam Afros, Arabasque & Tartaros.

CLXV.

DIGNITAS ET HONESTAS agriculturæ & vitæ rusticæ.

ISTiusmodi, mi Iuli Porphyri, meditationes visis agricolis in animum meum irrepunt & irrumpunt

rumpunt, quæ agriculturam commendant, honestatem dignitatemque eiusdem prædicant: De qua re paulum abundantius narrabo.

CLXVI.
AGRICOLÆ AD SCEPTRA vocati.

Accedunt ad præcedentes cogitationes, hæ subsequentes ruminationes, quod nimirum olim magni Reges ex agris feliciter ad sceptra sint vocati: vt Saulus Israelita 1. Reg. 9. & 10. & successor eius Dauid propheta, 1. Reg. 16. 12. Sic ab aratro ad dictaturæ principatum vocatus Quintius Cincinnatus. C. Marius quoq; homo rusticanus, qui durus ac pugnacissimus fuit & omnium Romanorum imperatorum ad octogesimum vsque annum, militarium patientissimus. Val. Max. lib. 3. c. 2. Item Viriatus rusticus Hispanus, qui vario Marte contra Romanos quatuordecim annos bel ligessit, nec vnquam collatis signis deleri potuit. Item Bassius ex agro ad tantam fortitudinis laudem peruenit, vt Imperator ab exercitu appellaretur. Ita Othomannus quoque ad Turcicum imperium ascitus, ex agricola denique in Hispaniæ Regem electus. Legimus & de quodam agricola, qui dum vomere pro mensa vteretur (excidit eius nomen) ad Boemorum sceptra solenniter sit vocatus. Pastor insuper fuit Spartanus. Pastores erant Paris & pater Æneæ Anchises. Et Deiotarum

tarum

tarum. Galatiæ Regem Cicero laudat, quod diligentissimus agricola & pecuarius habitus fuerit. Varro quoque literis testatur, *de antiquis illustrißimus quisque pastor erat, vt ostendit Græca & Latina lingua, & veteres poetæ, qui alios vocat πολυάρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, &c.* Inprimis vero adolescentes adhuc, vel iuuenes rei pastoritiæ vacabant, certe antequam regni clauum capesserent, quemadmodum Homerus Isum & Antiphum Priami Troianorum Regis filios introducit Iliad. λ. 106. vbi Eustathius: ἔθος τοῖς παλαιοῖς κατὰ τὴν πρώτην ἡλικίαν βουκολεῖν, ἢ ἱπποτροφεῖν, ἢ ποιμνίοις ἐπιστατεῖν, καρτερίας καὶ ἀσκήσεως χάριν, τὴν ἀνθρωπικὴν ποιμαντικὴν ἀσκουμένοις ἐν τῇ τῶν ἀλόγων ἐπιμελείᾳ, δι᾽ ἣν καὶ ποιμένες λαῶν (ἰλιάδ. α΄ στίχῳ σλς. καὶ β΄, πε, ρε, σνδ΄, καὶ ἀλλαχοῦ) ἐλέγοντο, *id est, solebant antiqui in prima ætate boues pascere, aut equos alere, aut gregibus præesse tolerantia atque exercitii causa, artem scilicet homines pascendi aut gubernandi curandis brutis exercentes, vnde & pastores populorum (Iliad. α. 263. β. 85. 105. 254. & alibi) dicebantur.* Istiusmodi Reges & Principes alios, agricolæ in agris, quoties visi mihi, in memoriam simul ac illorum res præclare gestas reuocant, de quibus tunc læte philosophari haud cesso.

CLXVII.

CLXVII.

PRINCIPES QVIDAM MAgni agricolationem ſceptris prætulerunt.

MEminiſſe me quoque faciunt è contra magnos illos Reges & Duces, qui agricolationem ſceptris prætulerunt, quos non puduit agros colere, ſemina ſerere, arbores inſerere, arare, occare, putare, paſtinare, meſſare, vindemiare, tondere, venari, piſcari, vt Attalus Aſiæ, Rex qui hortulos regno antetulit. Sicut & C. Fabricius, C. Marius, Curio Dentatus, S. Porcius Cato, Lucullus, Pericles, Scipio Africanus, Seruarius. De M. Curio ita ſcribitur *cum de Samnitibus, Sabinis ac Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis in villa: ad focum ſedenti magna auri pondera Samnite, cum attuliſſent, repudiata ſunt ab eo.* Et quid memorem Philometrum, Hieronem, Archelaüm, Attalum Aſiæ Regem, qui omiſſis regni curis, de iis ſcripta poſt ſe reliquerunt. Et alii multi, qui depoſitis publicis curis ad ruſticandum venerunt. His adiice Catonem Cenſorinum, cui ſummæ laudi datum eſt, vt *optimus orator, optimus Imperator, optimus agricola* diceretur. De hoc ipſo Catone ita ſcribit Franciſcus Pettarcha: *Agricultura ars*, inquit, *magnis olim tractata viris atque ingeniis, in pretio fuit, in qua, vt multis in rebus altum locum Cato Cenſorius* tenet, de quo cum veriſſime ſcriptum ſit, *optimus ſenator, optimus orator, optimus Imperator*; tandem laudis ad-

ad cumulum illud est additum; *sine æmulo, siue exemplo sui temporis agricola*. Quem puderet igitur cum Catone terram colere? quis omnino sibi turpe aliquid duceret, quod pulchrum ille sibi duxisset? qui præter corporis atque animi virtutes, rerumque gestarum gloriam, etiam de Hispania triumphasset; quis sollicitare atque hortari boues erubesceret, quos in sulcum vrgeret illa vox; quæ tot magnos exercitus in prælium accendisset; tot ancipites causas disertissime perorasset? quis castrum atque aratrum fastidiret, quod illa triumphalis ac philosophica manus attingeret? quæ insignes de tot hostibus victorias peperisset, tot de rebus optimis præclaros libros scripsisset, siue ad philosophiam, siue ad historiam, siue ad vsum vitæ spectantibus, quales sunt; quos de hoc ipso, quod nunc loquimur, scripsit. De Scipione Africano similiter Seneca Ep. 87. *In hoc agello ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus fessum rusticis. Exercebat enim opere se: terramque vt mos fuit priscis, subigebat*: Plinius, *generatim*, inquit; *ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*, lib. 18. c. 3. Atque hinc nec videri mirum, nec iudicari absurdum debet, quod Ouid. inquit, Fast. 1. 209.

Iura dabat populo, posito modo Prætor aratro.

Notandum illud, quod Gallius scribit, Italiam ab italis, hoc est, bobus, quibus olim abundabat, denominatam. Boues enim Græca veteri

CLXVII.

PRINCIPES QVIDAM MAgni agricolationem sceptris prætulerunt.

MEminisse me quoque faciunt è contra magnos illos Reges & Duces, qui agricolationem sceptris prætulerunt, quos non puduit agros colere, semina serere, arbores inserere, arare, occare, putare, pastinare, messare, vindemiare, tondere, venari, piscari, vt Attalus Asiæ, Rex qui hortulos regno antetulit. Sicut & C. Fabricius, C. Marius, Curio Dentatus, S. Porcius Cato, Lucullus, Pericles, Scipio Africanus, Seruarius. De M. Curio ita scribitur *cum de Samnitibus, Sabinis ac Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis in villa: ad focum sedenti magna auri pondera Samnite, cum attulissent, repudiata sunt ab eo.* Et quid memorem Philometrum, Hireonem, Archelaum, Attalum Asiæ Regem, qui omissis regni curis, de iis scripta post se reliquerunt. Et alii multi, qui depositis publicis curis ad rusticandum venerunt. His adiice Catonem Censorinum, cui summæ laudi datum est, vt *optimus orator, optimus Imperator, optimus agricola* diceretur. De hoc ipso Catone ita scribit Franciscus Pettarcha: *Agricultura ars*, inquit, *magnis olim tractata viris atque ingeniis, in pretio fuit, in qua, vt multis in rebus altum locum Cato Censorius* tenet, de quo cum verissime scriptum sit; *optimus senator, optimus orator, optimus* Imperator; tandem laudis ad-

ad cumulum illud est additum; *sine æmulo, siue exemplo sui temporis agricola.* Quem puderet igitur cum Catone terram colere? quis omnino sibi turpe aliquid duceret, quod pulchrum ille sibi duxisset? qui præter corporis atque animi virtutes, rerumque gestarum gloriam; etiam de Hispania triumphasset; quis sollicitare atque hortari boues erubesceret, quos in sulcum vrgeret illa vox; quæ tot magnos exercitus in prælium accendisset; tot ancipites causas disertissime perorasset? quis castrum atque aratrum fastidiret, quod illa triumphalis ac philosophica manus attingeret? quæ insignes de tot hostibus victorias peperisset, tot de rebus optimis præclaros libros scripsisset, siue ad philosophiam; siue ad historiam; siue ad vsum vitæ spectantibus, quales sunt, quos de hoc ipso, quod nunc loquimur, scripsit. De Scipione Africano similiter Seneca Ep. 87. *In hoc agello ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus fessum rusticis. Exercebat enim opere se: terramque vt mos fuit priscis, subigebat*: Plinius, *generatim*; inquit; *ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*, lib. 18. c. 3. Atque hinc nec videri mirum, nec iudicari absurdum debet, quod Ouid. inquit, Fast. 1. 209.

Iura dabat populo, posito modo Prætor aratro.

Notandum illud; quod Gallius scribit, Italiam ab italis, hoc est, bobus; quibus olim abundabat, denominatam. Boues enim Græca veteri

lingua ἴταλοί vocitati sunt. Præterea pop. Rom. gentium omnium victorem, à pastoribus initium habuisse, quis ignorat? Cyrus minor, Rex Persarum quoque scribitur, etsi summus & fortissimus Princeps, quod tantum in agro colendo studii posuit, vt gloriaretur, agrum se admirabili ordine & artificio sua manu conseuisse. Idem fecit magnus ille & terribilis Imperator Diocletianus, & Rex Attalus. Diocletianus ille vltro imperio valedixit, seseque in Dalmatiam, vnde oriundus, recepit, atque in villa prope Salonam oppidum decēnium, haud copioso lare, in hortulorum cultione trāsmisit. Duo hic Imperator exempla, quæ plus admirationis, quam imitationis, reliquit: Primus ille imperiū vltro cū Maximiano cōmunicauit; primus vltro eodem se abdicauit. Maximianus porro aliquādo in Lucaniam profectus, ad Diocletianū Carnuti forte cōmorātem abiit, eiq; persuadere voluit, vt sceptra & diadema resumeret: cui Diocletianus respondit: *Vtinā, Maximiane, apud Salonā inspicere posses oluscula mea manu instituta; profecto nunquam hoc à me postulares.* Insuper nullos vnquam in omni vita soles sibi lætiores affulsisse asseruit. Non possum intermittere, quin hiccum Pontani Maximiano ad Diocletianum exclamem; *Dii immortales! tā ne capa & allium? tā ne in asparagis, peponibus, apio, buglossa, ruta, menta, fœniculo, pomis, oleis, oleribus, radiculis, arboreis fœtibus, eximia & paucis intellecta mortalibus beatitudo? quomodo? pastinumne quam sceptrum diuinius? cassia quam diadema splendidior?*

dior? rheno quam purpura nobilior? puluis & illuuies, quã palatina mundiciæ purior? quam augustales lautitiæ illecebrosior? ego iam ouium aut capellarum pressare palmis vbera, caprimulgum aut bumulgum profiteri, & premere vrbibus caseolos, vnde tibi dextra grauis ære domum redeat, præstantius autumas, quam moderari populos, deorumque magnorum in terris sustinere personam, & agere vicarios? cum tu victrices istas, telisque proiiciendis, & vibrandis in hostẽ strictis ensibus assuetas manus ligonibus, rastris, falcibus submittis? Quid te viticulis deponendis & ablactandis, quid herbularum expurgationibus, consitionibus, insitionibus assiduo delassas? quid de cum molestia toties incuruas, cui se nuper incuruabant, & ad pedes supplicabundi prouoluebant opulentissimi Reges? quas tantas delectationes suppeditare potest res ipsa hortensis, atq; vniuersitas rustica, vt non mille modis optares imperium, & imperiorum omniũ amplissimum pulcherrimum, potentissimum? vsque eo te ex omni pectore lætitias expulisse regias? nunquid tu honestius dicere velis fodere aratro segetem subigere, aut aliquid ferre deniq;, quam condere leges, edicta proponere? nullusne apud animum tuũ residet tot bellorum tam dextro Marte confectorum, tot gentium fortunatissime debellatarum sensus? anne victoriarum triumphorumque tuorum æterna tibi subrepsit obliuio?

Non tamẽ potuit Diocletianus Maximiani sermone abhortari, vt se ab agelliolis & deliciolis suis alienaret; sed rusticationem imperatoriæ maiestati prætulit; nec eum piguit, neq; puduit pastinare, seminare, plantare, irrigare, idq; non minore animo & diligentia, quam in prælio gladios & pila olim tractauerat.

CLXIIX.

HEROES ANIMI RELAxandi causa ad villas confugisse.

HAud silentio præterire hic possum, quod Porta scribit, & ad dignitatem honestatemque agriculturæ etiam redundat: summos scilicet nostrorum maiorum heroes & proceres viros, quoties ex labore animum relaxare vellent, tanquam ad aliquod delectabile, ad villam confugisse, ad huius limina molestas curas omnes reliquisse; vbi longe ab hominum discordia, ciuium simultatibus, vicinorum inuidia, fori & curiæ strepitu, ad animi tranquillitatem veram consequendam quiescebant. Lucullus post imperatorias administrationes, relectis reip. muneribus in villam se contulit; vt ibi, quæ pars vitæ superesset, quiete transigeret. Tibericus princeps post multas res fortiter gestas, Romam reuersus ad villam transmigrauit: Gordianus senior in syluis & villis suauissime vixit. Scipio Linternum elegit, vt relictæ patriæ ingratitudinis dolorem leniret. Homerus, qui multis ante seculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat de filio, colentem agrum, & eum stercorantem induxit odyss. Philiscus dum Ciceroni exilium patienter ferre persuadet, vt rus colat, admonet, quod propinquum sit littori, cum nulla sit res, quæ ægrum

grum animum tam subleuet, quam agricultura, vt ex Dione habemus.

Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.

Sunt qui scribunt, Theseum bouis figura nummos obsignasse, vt ea ratione Atticos ad agricolationem prouocaret. Constat Seruium Tullum, pecudis figura nummos ex ære signasse. Et multi magni viri existimarunt, nihil tam regale, nihilque tam optimi viri esse, quam studium agrum colendi. Quapropter generosissimi & amplissimi viri post præclaras res se ruri & agricolationi dederunt.

CLXIX.

MVLTOS PHILOSOPHOS in hortis & syluis docuisse.

NEc defuere philosophi literatique viri, qui his locis animi causa secesserunt, vt mens solutior & quietior in profundarum causarum indagine esset. Vnde Academiæ locus Athenis in suburbio erat; quam Cimon riguis & vmbrosis deambulachris exornauit, vt in eius vita Plutarchus narrat. Laidis Cyrenæi in hortis schola fuit, quos Attalus Rex ædificauit. Theophrastus hortum iuxta ædes collocauit, quem moriens testamento phisophantibus reliquit. Democritus Abderites prope hortum cellam habuit, & vt Hippocrates ad Damageratum scribit, illu[illegible]ub Platano philosophantem inuenit.

uenit. Philo Iudæus philosophus Pythagoricus iuxta maria hortos habuit, ibiq; philosophatus est, Eusebio referente. Palæmon Atheniensis in hortis docebat, iuxta quos discipuli tuguria, in quibus habitarent, construxernnt. Cicero non minus philosophus, quam orator, Academiam suam habuit porticu & nemore celebrem, littori impositam, in villa ab lacu Lucrino Puteolos tendētibus, addiditq; Marianam quercum, & Tusculanum secessum, loca disputationibus apta, vnde quæstiones *Tusculanæ* à disputationis loco dictæ sunt. *Quis præclara Ciceronis ocia*, scribit Petrarcha, *& solitudines gloriosas explicet atque æstimet? Arpinatem, Cumanam, Pompeianam, Formianam, Tusculanam. Ibi fundauit leges, ibi vallauit Academiam, ibi armauit oratorē, ibi descripsit officia, ibi deorum formas, ac naturas pinxit: ibi diuinationem, radicem errorum multiplicium conuulsit, ibi bonorum ac malorum fines statuit, ibi ad philosophiam magnificentissime cohortatus est, quem librum ad vitæ imitationem, & ad studium veri ducem fuisse sibi, tantus fidei nostræ pugil Augustinus ingenue profitetur? Postremo ne de multis agens, post vnum amore captus aberrasse videar, ibidem mortem spernere, dolorem corporis patientia vincere, ægritudinem mœstitiamque animi ratione depellere, extirpare morbos & morborum causas, & quod maxime philosophiam totam, vt verbo eius vtar, illustrat, virtutem ad bene beateque viuendum nullis adminiculis egere, sed sese esse contentam docuit, contra sententiam maximorum hominum & quod alii aride ieiuneque garriunt, id ille copiosissime florentissimeq; disseruit, & vt*

vtili-

vtilitati delectatio, & maiestati rerum verborum splendor ac dignitas non deessent. Accedit ergo viri illius ingenium solitudo, &, quod mirabere, odiosa; quid putas factura esset optata? aut quantum, putas, optanda est? quodlibet tamen ipse sibi vita genus optaret, certe philosophis sit optandum, in eo libro, quo omnis generis hominum officia explicat, exsequitur.

Hæc ille. Habuit & M. Varro studium situ in villa, qua cogitabat, qua meditabatur iura populo Romano. Hæc ex Porta. Quibus hæc Petrarchæ annectã; *Et M. Tullius,* inquit, *& Virgilius Maro, quos eloquentia principes Latina nemo eloquens negabit, huic consilio hærebant, dum alter cum sæpe alias, tamen præsertim ad tractatum legum ciuilium accessurus, frondosas quercus & delectabiles secessus, quodque ibi scriptum memini, ripam & vmbram, & procerissimas populos, & concentum auium & strepitum fluuiorũ, atque aquas in partes scissi amnis, in medio, insulam paruam quæreret: alter autem suum Alexin, quisquis is est, pastorio carmine laudaturus,*

Inter densas, vmbrosa cacumina, fagos

assidue veniens solus in montibus & syluis id faceret. Platonem secuti ambo, qui inter ociosa cupressæta & spacia syluestria de institutis rerumpublicarum deque optimis legibus disputarat. His asscribe Anaxagoram, Xenocratem, Zenonem, Carneadem, Chrysippum, Diogenem, Solonem & innumeros alios, nec non nostri temporis præclarum Camerarium, qui de vita sua hortulana ita scribit: *Accedit ad hoc,* inquit, *quod in meis laboribus quotidianis & occupationibus interdum*

propemodum nimiis, vbi nonnihil ocii concessum fuit, hoc pacto nõ parum leuationis mihi compararuerim: hoc enim (hortum) *quasi refugium quoddam & secessum liberalem, vel potius Musæolum iucundissimum ab ipsa Natura tot herbis, arbustis, ac arboribus instructum ac exornatum, quis non amplectaretur? quis non fateretur, & marmora nitidissima regiarum, picturasque splendidissimas, aliaque præclara ædificia ab illis longissime superari?*

CLXX.
AB AGRICOLATIONE PLVRES familias nomina accepisse.

Hinc est, quod ab amore erga istiusmodi hortos, loca solitaria & amœna atque ab agricolatione hortorumque cultu multarum splendidissimarum familiarum nomina apud Romanos orta fuerint. *Hortensii* à colendis hortis sic dicti; *Cicerones* à cicere appellati. A lactuca, cognominati *Lactucini*. Itidem *Pisones* vel à pisis, vel à pensendo cognomen sortiti sunt. Et scribit Plinius Fabiorum, Lentulorum, Pisonum, Ciceronum cognomina prima inde esse, quod quisque aliquod optime genus sereret: quemadmodum etiam pari ratione Iunii, Tauri, Stabilii, Vituli, Bubulci, Virellii, Caprei, Porcii, Pomponii & alii plures, qui hinc in modum ab animalium diuersorum cura & tractatione fuere denominati.

CLXXI.

POPVLI ET VRBES MVLtæ ab agricolatione nomen sortitæ.

SVnt & populi, qui ex cibo nomen adepti, qui ex plãtis siue arboribus prouenit: Libyæ populi ex loti arboris fructu viuentes *Lotophagi* vocati sunt ab Homero: Æthiopes, *Rizophagi*, quod cib. ex radicibus, Diodoro Siculo autore: *Spermophagi*, non procul à Meroe insula Nili, quod è seminibus panem ad victum conficiant: Arcades è glandium esu Pythiæ oraculo *Balanophagi* vocati sunt. Plutarcho & Plinio referentibus. Eodem modo regionibus & vrbibus arbores nomina imposuerunt. Syriæ vallis à quercu vel terebintho denominatur, in qua Dauid Palæstinum gigantem interfecit. *Mysi*, populi à fago nomen acceperunt, quod Lydi *μύσον fagum* vocent. A pyrorum abundantia Peloponnensium *Apiam* dicunt. Insula *cotiuse*, ab oleastro illic nascente nomen habuit, qui *cotinus* vocatur. *Pityusæ* insulæ in mari Balearico, à pinu. Sinus Saxonicus à quercu. *Buxentum*, Italiæ oppidum, à Buxo. *Cyparissa* ciuitas ab Homero dicta, ob cyparissi multitudinem. *Cerasus*, ciuitas Ponti, à cerasis. *Laurentum*, Italiæ oppidum à lauro: sic *Daphni* Asiæ vrbs, à Daphnitis, & *Daphnusa* & aliæ innumeræ.

CLXXII.

OMNES FERME SANCTI patriarchæ & prophetæ agricolæ fuerunt.

AT quid multum de Principum philosophorumque ethnicorum erga horti agrique culturam amore enarro, agriculturæque dignitatem inde commendo? cum ex veteri testamento propemodum omnes sanctos patriarchas & prophetas enumerare possim, qui hortulani, agricolæ, pastoresque fuerunt. Et vt à primis ordiar, non inficias ire possumus, primum & publicum illum generis humani parentem in ipsissima sua felicitate statuque innocentiæ horticolam siue ruricolā fuisse, de quo primus & princeps historicorum ita literis testatur Gen. 2. v. 15. *Tulit ergo Dominus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret eum.* Ex quibus verbis (iam supra à nobis reiecta Augustini opinione) expositis, satis elucet, Adamum in statu innocentiæ horticolam siue ruricolam fuisse; & post lapsum agriculturæ artem, sed cum labore continuasse, & filios posteritatemque docuisse.

CLXXIII.

PASTORALIS ARS.

HInc est quod Gen. 4. v. 2. legimus, Cain fuisse agricolã, Abel pastorem; Et post diluuium, Noe Agricolam & plantatorem vineæ. Gen. 9. v. 20. Quamquam in hoc meo discursu artem agriculturæ & pecuariæ, ob cognationem, pro vna eademque habeam, ambasque vno sæpe vocabulo appellem. Audiamus hic Perorium, qui ita scribit: *Post peccatum Adami, primus omnium hominum, qui iustus & innocens appellatur in diuina scriptura fuit Abel. Et hic primus omnium hominum fuit pastor, suoque exemplo maiorem in modum hanc pastoralem artem cohonestauit ac nobilitauit, vt eam deinceps omnes Patriarchæ & principes populi Hebræi præter cæteras artes summo studio coluerint. Nec profecto sine causa. Est enim pastoralis ars omnium simplicissima minimeque operosa, vel artificiosa, nec ita animum hominis occupatum tenet, vt non ei ocium relinquat ad meditationem rerum naturalium diuinarumque contemplationem: neque certis indiget domiciliis, aut stabiles fixasque sedes exigit: sed à peregrinantibus etiam tractari & exerceri potest, Eius multiplex vtilitas est ad humanæ vitæ & diuini cultus vsum. Suppeditant enim victum & vestitum, materiam item oblationum & sacrificiorum, quæ Deo fieri oportet. Refert præterea imaginem quandam regalis administrationis & gubernationis: talem enim decet esse Regem erga subditos,* quali-

qualiter pastor gregem suum regit. Quapropter apud priscos illos non aliter boni Reges, quàm pastores populorum *appellabantur*. Quid plura? ... præsentat hæc pastorum ars & exercitatio, De. prouidentiam erga homines, præsertim autem erga electos, quamobrem Deus & Christus dominus gaudeat pastoris appellatione, eoque nomine frequenter in sacris literis nominantur. Adiice hisce primis parentibus nostris magnum illum multarumque gentium patrem Abraham, qui & agricola fuit & pastor, qui sæpissime ruri atque in conuallibus, in herbidis & agrestibus locis Deum colloquutorem, atq; ad ilicem Mambræ Dei angelos conuiuas habuit, iisdem sub quercus vmbra glandifera rurale conuiuium celebrans. Qui ex hoc patre satus Isaac, patrem imitatus etiam vitam ruralem vixit, quod cum multis agumentis, tum hoc ipso probari potest, quando sibi de terra longinqua pulchra, pudica, & fœcunda vxor aduheretur, deambulasse scribitur: quod eam viam, quę ducit ad puteum, cuius nomen erat *viuentis & videntis*, egressus, inquam, fuerat ad meditandum & considerandum vere viuentem & videntem omnia, ad solem iustitiæ vnicum & solum solis creaturarum cæterarumque omnium creatorem. Huius natus maximi nepos Abrahæ, patriarcharum maximus. Iacob, ouium pastor fuit, vitamque rusticam vixit, ruri ille scalam cœlo tenus erectam, ascendentesque & descendentes angelos vidit, & ruri cum Deo luctatus est. Non dicam

de

de ipsius filiis, qui omnes pastores fuerunt, & in patria, & in terra Gosen. Nam in medium traham familiarissimum Deo virum Moysen, quē Deus ex omnibus ex solitudine sumpsit, atque ad Regem Ægypti misit. Non multorum prophetarum vitas rurales, Dauidis, Heliæ, Helisæi, Hieremiæ, Ioannis Baptistæ referam: nec insistam eloqui solitudines vitasque rurales cæterorum piorum virorum, Cypriani, Ambrosii, Syluestri papæ, Martini, Augustini, Hieronymi, Gregorii, Bernardi, ii finitorumq; aliorum quos vitas rurales ad dignitatem agriculturæ, vitæque rusticæ excellentiam si perfecte describere vellem nimis longa atque odiosa hæc dissertatio fieret.

CLXXIV.

VITÆ RVSTICÆ HONEstas & innocentia.

QVapropter hic populorumq; rerumque publ. & studiosorum literariorū rectores linquam, atque de vitæ rusticæ honestate illud Pontani attexam: *Quid ergo*, inquit ille, *de rusticanorum innocentia dicam? quem vel in paruo lædunt? cuius famam lacerant? cui inuident? in quem ira debacchantur? cuius odio ardent? cuius facultates sitiunt? quem vsuris occidunt? nec mirandum certe, si in ea vita, quæ iustitiæ, probitatis, diligentiæ, temperantiæ, parsimoniæ procreatrix, atque vt ab omni maleficio separatissima, sic cum officio consocietatissima est; scelera, per singula pene tecta in vrbibus frequentata, haud gignuntur. Illic effusa*

in omni

In omni intemperantia libidines, crapula, inimicitiæ, cædes. Quid plura? flagitiorum turpitudinumque mille facies. Vrbes amplæ præsertim, sunt scelerum diuersoria, mendaciorum, auaritiæ, perfidiæ, nequitiæ officinæ. Atque alibi ita scribit: *Dulcis est aqua fluuiorum, quæ tamen in mare delata salsum saporem concipit: sic homines probi, peruersorum colloquiis, concursibus, aspectibus, consuetudine & admixtione salsuginem quandam hauriunt, & impudentes, inuerecundi, inter stolidos fatui, inter socordes ignaui, inter impios sacrilegi euadunt. At qui vitam suam agris mandauerunt, hoc non metuunt; sed ab alienis concupiscendis, vertendis, rapiendis sanctissime temperant, non macerantur inuidia, non exulcerantur iracundia, non superbia turgescunt, nec simultates suscipiunt, aut odia exercent: quoniam nihil oderunt, præter imbres immodicos, grandines, vredines, rubiginesque, similesque segetum calamitates & enitia. Non vetitas & inconcessas affectant nuptias, dapibus electis mēsas oneratas & saginā ignorant, quos non dulcedo vini ad ebriosas peruigilationes, sed cōtracta per totius diei laborē corporis laßitudo ad altißimū securißimumq́; somnū inuitat.* Aliis occupationib. artes: hic ipsa natura colitur: & ibi homines mire callidi ac versipelles; hic simplices, candidi & innocentes reperiuntur. Præponunt illi sibi magis quod est nimiū; agricolæ quod est sufficiens ac necessariū; non splēdorem, non delicias, nō fere quicquā aliud, nisi victū: & quidē seruitur per alias artes aut nullis, aut paucis; per agricolationē vniuersis. Quare Cicero, *vita rustica*, inquit, *quam nos agrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ, magistra est.* Vita rusti-

rustica maxime disiuncta à cupiditate. *Auaritiæ*, scribit Choppinus, *rarius addicti sunt rusticani.* Nam, Stobæi testimonio, est viuendi pater hominibus ager, & solus nouit abscondere paupertatẽ. Vrbs vero theatrum est vtiq; ambitionis infelicitate scatens, quæ auaritiæ nutrix fœdissima, vestibulis foribusq; potentum excubat, & preciis commercia poscit honorum. Hunc rusticæ vitæ modum depinxit graphice rusticus apud Tibullum, de se loquens:

Non ego diuitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis auo:
Prima seges satis, æstiuo securus aceruo:
Dites despiciam, despiciamque famem.

Et Ælianus, *est sane* inquit, *virtutis & vitæ magister ingenuus cunctis hominibus ager.* Nec non Philemon apud Stobæum serm. 54. N. 222. *δικαιότατον κτῆμ' ἐστιν ἀνθρώποις ἀγρός. ὧν ἡ φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει, πυρούς, ἔλαιον, οἶνον. ἰσχάδας, μέλι, iustißima hominibus possessio est ager: ea enim, quibus eget natura profert abunde, triticum, oleum, vinum, caricas mel.* Dionysius Halic. l. 2. antiq. Rom. fol. 135. *αὐτουργοὶ πάντες ἐγένοντο, καὶ τὸν ἐκ γῆς πλοῦτον ἁπάντων ὄντα πλοῦτον δικαιότατον, τῆς στρατιωτικῆς, καὶ οὐκ ἐχούσης τὸ βέβαιον εὐπορίας, γλυκύτερον ἐτίθεντο, omnes suis* manibus operati sunt, & opes, quas tellus præbet, vt omnium iustissimas, incertis ac periculosis belli cõmodis prætulerũt. Ita scilicet Numa, secundo Romanorũ Rege instituẽte. Quod institutũ cũ sub Tullo Hostilio neglectũ fuisset, Romaniq; ad bella & lucri studiũ se cõuertissẽt, Ancus Marti⁹, Numę ea filia nepos

in

in vsum reuocauit, qua de re idem Dionysius lib. 3. f. 177. citante illum VVolffgango Sebero, in suo discursu philosophico de agricultura: πολιτείας τε ἀγωγὴν, τὴν ὑπὸ τοῦ νουμᾶ κατασταθεῖσαν ῥωμαίοις ἐπαινῶν ὡς καλὴν καὶ σώφρονα ἀπὸ τῶν δικαιοτάτων ἔργων τὰς καθ' ἡμέραν ἑκάστῳ παρεχοῦσαν εὐπορίας, αἳ ἀνεώξασι πάλιν αὐτὴν (αὐτοὺς) παρεκάλει, γεωργίαις τε καὶ κληνοτροφίαις καὶ ταῖς ἄλλαις ἐργασίαις, ταῖς μηδὲν ἀδίκημα προσοῦσιν ἁρπαγῆς τε καὶ βίας, καὶ τῶν ἐκ τοῦ πολέμου γινομένων ὠφελειῶν ὑπεριδεῖν. *laudatis Numæ institutis, vt pulchris & temperatis; quibus ex iustissimo quæstu quotidie victus abunde pararetur, studerentque agriculturæ & pecuariæ; cæterisque operibus in quibus nulla rapinæ, & violentiæ est iniuria; posthabitis militiæ commodis;* Ea vero σύγκρισις plenius tractatur à Max. Tyrio, orat. 14 maxime autem inde huc ista pertinent, p. 84. πόλεμος μὲν γὰρ διδάσκαλος ἀδικίας, γεωργία δὲ δικαιοσύνης. ὁ μὲν γὰρ πλεονέκτης τρέφει, καὶ ἔπι τὰ ἀλλότρια ἄγει, καὶ αὐτοῦ κράτιστα ἔχει, ἐπειδὰν τὰ μέγιστα ἀδικῇ καὶ ἀδικῶν διατυχεῖ. παρὰ δὲ γεωργίας ἴση μὲν ἡ ἀντίδοσις, δικαία δὲ ἡ ὁμιλία. θεραπεύεις φυτόν, τὸ δὲ ἀντιδίδωσι καρπούς. θεραπεύεις λήϊον, τὸ δὲ ἀντιτροφεῖ. τημελεῖς ἄμπελον, ἡ δὲ ἀντοινεῖ. τημελεῖς ἐλαίαν, ἡ δὲ ἀντανθεῖ. φοβερὸς γεωργὸς οὐδενί, πολέμιος οὐδενί, φίλος πᾶσιν; ἄπειρος αἱμάτων,

ἄπειρος

ἄπτηρ⊙ σφαγῆς. bellum iniustitiæ magister est, agricultura iustitiæ. Bellum cum alterius iniuria plura semper quærit, alterius bonis semper imminet, at tum denum optime se habet, cum maximam iniuriam intulit, cum per nefas voti sui potiri potuit. Agricola tantumdem dat & accipit, iustissimeque munus exercet suum si plantam colis planta fructum reddit: si segetem colis, seges labori tuo respondet: Si vitem colis, vinea magnam vini copiam persoluit. Si oleam educas, floret ea & feliciter fructus profert. Nemini metum agricola incutit, nulli hostis est, amicus omnibus, sanguinis expers, expers cædis. Cui similis apud Libanium nauigationis & agriculturæ comparatio, f. 124. δικαιοσύνη μὲν κάλλιστον. ἀδικία δὲ κάκιστον. ποιεῖ δὲ γεωργία μὲν δικαίους, ναυτιλία δὲ ἀδίκους· ὁ μὲν γὰρ γεωργὸς σπείρας καὶ εὐξάμενος τοῖς θεοῖς, ἀναμένει τοὺς καρποὺς, καὶ δέχεται τὰς ἀμοιβὰς παρὰ τῆς γῆς, μηδένα λυπήσας οὐδέν: cum res optima sit iustitia, iniustitia vero pessima; agricultura iusti, nauigationib. iniusti homines redduntur: Nam seminib. sparsis, inuocatisque dijs fruges expectat agricola, & vices recipit à terra, nemini molestus omnium. Quin haud tantum, quod creditum sibi, sed plus etiam agri, præsertim fertiles, reddunt. Præcones huius rei inter alios Xenophon Oecon. f. 832. ἡ γῆ θέλουσα (al. θεὸς οὖσα) τοὺς δυναμένους καταμανθάνειν καὶ δικαιοσύνην διδάσκει· τοὺς γὰρ ἄριστα θεραπεύοντας αὐτὴν πλεῖστα ἀγαθὰ ἀντιποιεῖ, tellus volens (al. quæ quidem Dea est) iustitiam quoque docet illos, qui animaduertere possunt. Nam studiosissime se colentibus maximam bonorum copiam vicissim largitur. Musonius lib. quæstus philosopho conueniat, ἀμείβεται ἡ γῆ

 καλ-

κάλλιστα καὶ δικαιότατα τοὺς ἐπιμελουμένους αὐτῆς, πολλαπλάσια ὧν λαμβάνει διδοῦσα, καὶ ἀφθονίαν παρέχουσα πάντων τῶν ἀναγκαίων πρὸς τὸν βίον τῷ βουλομένῳ πονεῖν, *reſpondet terra optime iuſtiſsimeque colentibus ipſam multo cum fœnore, quæ accepit, reſtituens, & copiam exhibens omnium ad vitam neceſſariorum ei, qui laborare voluerit.* Stob. f. 737. Cicero in Caton. maiore p. 87. *agricolæ*, inquit, *habent rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium, nec vnquam ſine vſura reddit quod accepit, ſed alias minore, plerunque maiore cum fœnore.* Atque inde Offic. 1. p. 10. ad terræ imitationem ſolerter homines in referenda gratia inuitat: *quidam*, inquit, *beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles? qui multo plus afferunt, quam acceperunt.* Prædicat & Ouid. 1. Pont. 2. eleg. 6.

At puto fructus adeſt, iuſtiſsima cauſa laborum,
Et ſata cum multo fœnore reddit ager.

Eodemque alludit & lib. 1. de rem. verſ. 173.

Obrue verſata Cerealia ſemina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.

Plura congerere, inquit Seberus, ſuperuacuum eſt, patet, quod volumus: omnino honeſtum quid eſt agricultura, & nemini vitio vertenda, vt nunc fere fit: quaſi vero honeſtius ſit fœnerari, latrocinari, perpotare, & id genus alia facere. Veriſſime Cato affirmat, agricolarum vitam & voluptates proxime ad ſapientis vitam accedere. Vnde iure optimo ſapientiſſimus poeta Vergilius, poſt philoſophiæ ſtudium, quo nihil melius (vt ait Plato) dii immortales

lēs hominibus tradiderunt, nihil aliud, quam rusticam vitam desiderat: quod scilicet neque studiorum vita, neque agricolarum, sit vlla præstantior: quare ita canit:

Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis;
Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes.

Et nouerat, inquit Maioraggius, *poeta, vitā agricolarum simplicem, innocentem, puram ab omnibus vitiorum sordibus alienam; non occupatam honorum ambitionibus, non fraudibus, dolis, insidiis gaudentem: sed quietam, tranquillam, operum patientem, paruoque assuetam, variarum opum diuitem.* Hoc est, quod olim ingeniosissimi poetæ finxerunt, iustitiam ab omnium ordinum gentibus expulsam, apud agricolas longissimum tempus habitasse: hoc enim genus hominum innocentissimū, & ab omni malitia alienissimū est. Quod cum intelligerent illi antiqui prudentissimi homines, liberos suos procul ab vrbibus plerunque rus ablegabant; vt & haberent, quæ ad victum necessaria sunt, & laboribus dediti, non finerent animum, ocio luxuriantem, sese vitiis & voluptatibus tradere. Hinc merito omnium præconiis laudatur prisca fides, prisca frugalitas & sanctimonia primorum orbis, vt Choppinus ait terræ parentum, quorum solitaria vita rustica magis erat amica naturæ, initioque humanæ conditionis, quam vrbano posterior.

Nam quum duæ vitæ traditæ sint homini, rustica & vrbana: antiquior multo rustica, quod fuit tempus, cum rura colerent homines, neque vrbem haberent. Eo tempore, quo agricolæ sunt cœpti, atque in casis & tuguriis habitabant, nec murus, nec porta quid esset, sciebant mortales, & immani numero annorum vrbanos agricolæ præstiterunt. Minime mirum; quod diuina natura dedit agros, ars humana ædificauit vrbes. Hoc cum ita est, facile cogitandum, quod rustica gens multiiuga virtute prædita sit, quod virtutis custos sit; quod tutela honesti sit; quod bono, sincero, candidoque animo sit. Rusticitatem sinceram esse; ac simplicem veritatis nutricem, laudatricem virtutum, culpatricem vitiorum, ostendit Fridericus Dux Austriæ, Friderici Imperatoris patruus; quum sæpe mutata veste solus inter agrestes conuersaretur; quibus cum arans de seipso & de purpuratis suis confabulari consueuit. Interrogatus cur id ageret: *neque enim de me* (inquit) *aliò modo verum audire possum*. Testis est Æneas Syluius.

Ex agricolis porro Cato lib. 1. princip. inquit; *& viri fortissimi & milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quæstus, stabilissimusque consequitur, minimeque inuidiosus: minimeque mali cogitantes sunt*, qui hoc studio occupati sunt. Commemoratq; (vt Plinius lib. 10. cap. 3. refert,) M. Cato; veteres cum bonum virum laudarent, ita laudare solitos, *bonum agricolam, bonumque colonum*: laudatus ita & ipse Cato, quod scilicet, vt supra diximus,

optimus senator, optimus orator, optimus imperator fuerit. Seneca quoque scribit, nullum laborem recusare manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficere puluere unctum & nitidum, seueriorem loci disciplinam firmare ingenium, aptumque magnis conatibus reddere, fortiorem militem ex confragoso venire: segnem esse vrbanum & vernam. M. Cato porro lib. 1. princ. agriculturam mercaturæ præfert, quum ipsa periculosa & calamitosa sit. Præfert & ipsam fœnerationi, quum fœneratio illicita & inhonesta ob maximum quæstum; sed fœneratio quæ cum terra fit, licita honestaque est, & quæstus maxime pius, stabilissimusque & minime inuidiosus. Huc Cicero respexit, dum ita scripsit: *omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Imo si Xenophontis optimi scriptoris infallibili iudicio aliquid tribuendum est, nihil tam regale est, quam studium agri colendi. Et scias hic velim, mi Iuli Porphyri, vbicunque hucvsque de agriculturæ laudibus eiusq; honestate & dignitate disseruerim, quod rem pecuariam, vt iam supra memini, non excluserim. Nam teste Xenophonte, ars pecuaria cum agricultura coniuncta est: ideoque Aristoteles *viuam agriculturam* vocat rem pecuariam: & Libanius declam. 37. ἡ γεωργία πρᾶγμα ἀσφαλές· κἂν γὰρ ἡ τῶν ὡρῶν ἄτακτον ἐμποδίσῃ τοὺς καρπούς, πολλὰ τὰ παραμύθια, ἔρια, τυρός, γάλα *Agricultio tuta res est: quamuis enim tempe-*

ſtatum intemperies fructibus obſit; multa ſunt ſolatio, lana, caſeus, lac. Atq; hinc Ancus Martius, teſte Sebero, quoque coniunxit γεωργίας & κληνοτροφίας, vt ſupra vidimus. Et Deiotarum Galatiæ Regem Cicero laudat, quod diligentiſſimus agricola & pecuarius habitus fuerit, orat, pro ipſo. p.148.b. Et ſicut Ariſtotelis iudicio, Polit. 6.4. μετὰ τὸ γεωργικὸν πλῆθος βέλτιστος δῆμός ἐστιν, ὅπου νομεῖς εἰσι ζῶσιν ἀπὸ βοσκημάτων. *ſecundum eam multitudinem, quæ ex agricolis conſtat, populus ille eſt optimus, in quo ſunt paſtores, & qui ex re pecuaria vitam tolerant.* Sic Indi etiã in diſtributione populi primas quidem Sophiſtis aut Philoſophis tribuerunt, ſed illi ſtatim agricolas (forte vt cõſanguineos, quemadmodum Colum. agriculturam nominat conſanguineam ſapientiæ) l. 1. Præf. eo his proxime paſtores adiunxerunt, quos exinde opifices, milites ephori & ſenatores ſequebantur, quemadmodum recenſent Diodorus Siculus lib.2.f. 88. Arrianus de rebus Indicis, & Strabo lib.15. *Coniunxerunt,* inquit Seberus, *eoſdem & AEgyti. Nam præter illas tres partes, in quas AEgyptus diuiſa erat* (quarum primam tenebat τὸ σύστημα τῶν ἱερέων *ordo ſacerdotum,* alteram reges, tertiam οἱ μαχούμενοι *milites*) *alias quoque tres reipublicæ claſſes* (ἕτερα συντάγματα τῆς πολιτείας τρία) *conſtituebant, paſtorum ſcil. agricolarũ, & opificum.* Et vt agricolæ ibi omnium aliarum gentium agricolas longe peritia ſuberabant, ſic θαυμασιώτατον *maxime admirandum,* quod de paſtoribus, in primis vero gallinarum & anſerum Diod. Sic. ſcribit.

Verba

Verba eius sunt: χωρὶς τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἐκ φύσεως συντελουμένης γενέσεως τῶν εἰρημένων ζώων, αὐτοὶ διὰ τῆς ἰδίας φιλοτεχνίας ἀμύθητον πλῆθος ὀρνέων ἀθροίζουσιν. οὐ γὰρ ἐπωάζουσι διὰ τῶν ὀρνίθων, ἀλλ᾽ αὐτοὶ παραδόξως χειρουργοῦντες τῇ συνέσει καὶ φιλοτεχνίᾳ τῆς φυσικῆς ἐνεργείας οὐκ ἀπολείπονται), *non contenti animantium horum procreatione, natura, cæterisque hominibus peruulgata, sua ipsi ingenio infinitam auium* (huius generis) *multitudinem congregant. Non enim aues incubare sinunt, sed suis ipsi manibus (quod mirum est) fœtus excludunt, & efficacitati naturali ingenio & arte nihil concedunt.*

CLXXV.

SIMILIA ESSE BONI PAstoris & boni Regis officia.

AD commendandam porro rei pastoritiæ dignitatem accedit, quod Cyrus dicere solitus: similia esse opera boni pastoris ac boni Regis; & cl. Alexander: *ei, qui mansuetissimo hominum gregi est profuturus, ouium pascẽdarum scientia præexercitatio est regni.* Atque & Varrone (vt supra iam dictum) constat, de antiquis illustrissimum quemque pastorem fuisse; & literis testatur Homerus, quod antiqui in prima ætate boues pascere soliti fuerint, aut equos alere, aut gregib. præesse, tolerantiæ atque exercitii causa, vt artẽ homines pascendi aut gubernãdi curãdis brutis exercerent. Hic cogitandum, hanc sententiam ipsi Deo nostro haud improbari, cum duos illos præstantissimos populi sui Israelitici duces,

Mosen scilicet & Dauidem à re pecuaria ad populi sui gubernationem transtulerit. Hinc est, quod Asaphus de Dauide psalm. 78. v. 70. 71. scribit: *Elegit Dominus*, inquit, *seruum suum, & assumsit illum à caulis ouium; à tergo lactantium assumsit eum, vt pasceret in Iacob populo suo.* Huc refer, quod patriarchæ quoque pastores fuerint. Adde quod pastoris titulum saluator & Seruator noster Christus Iesus ipse sibi tribuit. Ioh. 10. v. 11. 14. Plura essent, quæ de pastoritiæ rei pastorumque dignitate, vtilitate & necessitate dicere possem: sed quia agricolarum & pastorum ferme vna conditio est: pro vna eademque arte ars pecuaria & agriculturæ hic sumitur. Quare ab encomiis illius hic abstineo, & sequentes Horatii versus de agricolarum & pastorum felicitate saltem attexo:

CLXXVI.

AGRICOLARVM SIVE PAstorum felicitas. Horat. Epod. 2.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore;
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Ergo

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inserit.
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit.
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpura,
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Non Afra auis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus,
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluæ salubres corpori.

Huic Carmini & illud VVeitzii apponamus, canentis:

Campestris vere vita est vitalis, in agro
Gratia cum nymphis habitacula fixit: in agro
Simplicitas & candor agit sincerus; in agro
Pro re vota metit, spes & mentitur auarus
Rusticus, & certa spondet sibi præmia falcis.
Hic nulla ardentes iniuria suscitat iras.
Exulat hic turpi cum proditione libido.
Ore suo rident hic singula, cuncta renident,
Nec fraus vlla subest, anguino incocta veneno.
Felix quem possunt sua reddere rura beatum,
Qui procul à strepitu rerum sibi viuit in agris.

Huc asscribendum quoque videtur, quod Vergilius scribit Georg. 2.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasque auro vestes, Ephyreiaque æra,
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur vsus oliui:
At secura quies & nescia fallere vita,
Diues opum variarum: at latis otia fundis
Spelunca viuique lacus: at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni.
Non absunt.
Fortunatus & ille, Deos qui nouit agrestes,
Panaque Syluanumque senem, nymphasq; sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres,
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro,
Non res Romanæ perituraq; regna, neq; ille
Aut doluit miserans inopem, aut inuidit habenti,
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea iura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidiis vrbem, miserosque penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro,
Condit opes alius, defossoque incubat auro.

Hic

Hic stupet attonitus rostris, hunc plausus biantem
Per cuneos (geminatur enim plebisque patrumq;)
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum
Exitioque domos & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.
Agricola incuruo terram dimouit aratro.
Hinc anni labor, hinc patriam, paruosq; nepotes
Sustinet, hinc armenta boum, meritosq; iuuencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut foetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Prouentuque oneret sulcos atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande sues laeti redeunt, dant arbuta syluae.
Et varios ponit foetus Autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea pendent dulces circum oscula nati,
Casta pudicitiam seruat domus: vbera vaccae
Lactea demittunt: pinguesque in gramine laeto
Inter se aduersis luctantur cornibus hoedi.
Ipse dies agitat festos, fususque per herbam
Ignis vbi in medio, & socii cratera coronant,
Te libans, Lenae, vocat: pecorisque magistris
Velocis iaculi certamina ponit in vlmo,
Corporaque agresti nudant pradura palaestra.
Hanc olim vitam veteres coluere Sabini,
Hanc Remus & frater, sic fortis Hetruria creuit:
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quae vna sibi muro circumdedit arces,
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, & ante
Impia quam caesis gens est epulata iuuencis
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
Sed nos immensum spaciis confecimus aequor,
Et iam tempus, equum fumantia soluere colla.

Audiamus & eundem autorem, suo tempore ob bella neglectam agriculturam deplorantem, lib. 1. Georg. in fine:

Quippe vbi fas versum atque nefas, tot bella per orbem
Tam multa scelerum facies, non vllus aratro
Dignus honos: squalent abductis arua colonis,
Et curuae rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc mouet Euphrates, illic Germania bellum:
Vicinae ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt, saeuit toto Mars impius orbe,
Vt cum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt se in spacia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

His Vergilianis adiice sequentes Boetii versus:

Felix nimium prior aetas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quae sera solebat
Ieiunia soluere glande.

Nec non Senecae Hippol.

Non alia magis est libera & vitio carens,
Ritusque melius vita quae priscos colat,
Quam quae relictis moenibus syluas amat.
Non illum auarae mentis inflammat furor,
Qui se dicauit montium insontem iugis,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis:

Non

Non pestilens inuidia, non fragilis fauor,
Non ille regno seruit, aut regno imminens
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes.

Cum hęcce præcedentia de agriculturæ dignitate & honestate scripsi, non intermittere possum, quin ex Francisci Petrarchæ, viri clarissimi, opusculo de vita solitaria edito, de vitæ ruralis siue solitariæ dignitate, præ excellentia honestate, & laude agricolarumque tranquilla, vita quietisque moribus quædam ideo annectam, quia summus est ille philosophus: quia melius præclariusue de hac re nequicquā scribi dicique potest.

CLXXVII.

MISERIA VRBICI, ET fœlicitas rustici.

DE miseria occupati vrbici, ac felicitate solitarii rustici in somno & surrectione ita scribit: *Surgit*, inquit, *occupatus infelix habitator vrbium nocte media, somno vel suis curis, vel clientum vocibus interrupto, sæpe etiam lucis metu, sæpe nocturnis visis exterritus, mox infelici somno corpus applicat, animum mendaciis, in illis est totus, seu ille mercibus precium fateri, seu socium, seu pupillum fallere, seu vicini coniugem pudicitia armatam expugnare blanditiis, seu litigio iustitiæ velum fando prætendere, seu denique plublici priuatique aliquid corrumpere meditatur, nunc ira præceps, nunc ardens desiderio, nunc desperatione gelatus, ita pessimus artifex, ante lucem diurni telam negocii orditur, qua sese atque*

atque alios inuoluat. Surgit solitarius atque ociosus, felix modica quiete recreatus, somnoque breui, non fracto, sed expleto, & interdum pernoctantis philomelæ cantibus experrectus, thoroque vixdum leniter excussus, pulsisque corporibus quietis horis psallere incipiens, ianitorem labiorum suorum, vt egressuris inde matutinis laudibus aperiat, deuotius exposcit, & cordis sui dominum in adiutorium suum vocat, nihilque iam viribus suis fidẽs & imminẽtium conscius, metuensque discriminum, vt festinet obsecrat nullis texendis fraudibus intentus, sed Dei gloriam non in dies tantũ, sed in horas, & indefesso lingua famulatu, & pio mentis obsequio repetens, ne quando forsitan ingrato animo diuinorũ munerum memoria euanescat. & sæpeinterea (mirum dictu) securi timoris, ac trepidæ spei plenus, memorque præteriti, ac futuri prouidens, læto dolore & felicibus lachrymis, abundat. Quem statum nulla voluptas occupatorum, nulla vnquam vrbanæ deliciæ, nulli regnorum fastus æquauerint. Inde suscipiens cœlum ac stellas, & illic habitandam dominum Deum suum tota mente suspirans, & patriam cogitans, de exilii sui loco protinus ad honesta cuiuspiam iucundæque lectionis studium conuertitur, atque ita cibis pastus amœnissimis, multa cum pace animi venturæ lucis initium præstolatur.

De misero porro occupato, & felici solitario, cum diei iam lux aduenit, ita pergit Petrarcha: *Diuersis votis expectata lux adest Occupatus vrbicus vel hostibus, vel amicis limen obsessum habet. salutatur, pascitur, attrahitur, truditur, arguitur, laceratur.* Rusticanti solitario vacuum limen; *& libertas in limine manendi scilicet eundique quocunque fert animus. Vadit*

ille

ille mœstus in forum, plenus querelarum, plenusque negociorum, & immitis diei primordium à litibus auspicatur. Vadit iste alacer in vicinam syluam, plenus ocii, plenusque silentii, & cum gaudio faustum limen serenæ lucis ingreditur. Ille vt portentum superba palatia, siue ad formidata iudicum subsellia ventum est, veris falsa permiscens aut iustitiam premit insontis, aut nocentis rei pascit audaciam, aut prorsus aliquid vel in proprium dedecus, vel in alienam perniciem molitur, mordente animum conscientia, sæpe etiam metu verba rumpente, & sæpe vera pro mendaciis, verba pro verbis referens, plenusque ruboris ac palloris, seque vicißim increpitans, quod non potius deserti famem, quam diserti famam concupierit, & arator, quam orator esse maluerit. Raptim infecto negocio domum redit, & turpibus latebris, non magis hostium, quam clientum suorum se furatur aspectibus.

Iste, vbi primum floreum sedile, salubremque nactus colle constitit, iubare iamque solis exorto, in diurnas Dei laudes, pio lætus ore prorumpens, eoque suauius, si deuotis forte suspiriis lene murmur, proni gurgitis, aut dulces auium concinant querelæ, innocentiam inprimis linguæ frænum litis nescium, visus tegmen vanitatibus obiectum, puritatem cordis, vecordiæ absentiam, & domitricem carnis abstinentiam deprecatur. Nec multo post tertiis in laudibus, tertiam in Trinitate personam veneratur, & sancti spiritus poscit aduentum, linguam quoque & mentem confeßione personantem salutifera, & charitatem cælico igne flammantem ac proximos accensuram. Quæ si deuote postulat, tam habet multam hoc mentis ardore, quam quolibet auri vel gemmarum splendore felicior: inde

autem

autem pedetentim sua relegans vestigia, scandente iam in altum, & qui mane nouum illustrauerat, meridiem accedente solis radio, nil potius, quàm extingui flammas litium, quas certatim flatu fomentis alter suscitat, & quo ille cupide pruritur. Hic omnem malarum cupidinum calorem noxium auferri flagitat. Denique quod vnum poeta Satyricus sine periculo posci docet, in corpore sano mentem sanam orat. Quis horum, oro, hactenus horas suas expendit honestius? De miseria occupati vrbici, ac felicitate solitarii rusticantis, cum prandii instat tempus, eundem autorem insuper audiamus. *Venit*, inquit, *prandii tempus, occupatus vrbicus sub ingenti & ruinam minitante aula componitur, pulvinaribus obrutus sepultusque, reboant variis tecta clamoribus, circumstant canes aulici, muresque domestici, certatim adulatorum circumfusa acies obsequitur, & corrosorum turba familiarium, confuso strepitu mensam instruit, verritur putre solum, & foedo puluere cuncta complentur: volat atriis argentum auro infectum, & pocula cauis gemmis expressa, scamnum serico vestitur, ostro paries, terra tapetibus, dum seruorum nuda interim cohors tremit. Instructa acie datur tandem lituo signum pugna. Coquina duces aula ducibus concurrunt; ingens fragor exoritur, conuehuntur terra marique conquisita epula; & vina priscis calcata consulibus ardent rutilo in auro nostra Graiaeque vindemia, vno in scypho Gnosos & Merone, Vesuuius Falernusque miscentur, Surrentinique colles & Calabri.*

Nec satis est, nisi Bacchus Ausonius vel Hyblaeo melle, vel eo à succo medicatus arundinis baccisque nigrantibus odoratus, naturā arte mutauerit. Parte alia par diuersi gene-

generis pompa conspicitur: feræ horribiles, pisces incogniti, volucres inauditæ puluere pretioso oblitæ veteris patriæ quædam, voce testantes originem nomenque iam solum de præside retinentes. Fumant ipsis edentibus stupenda fercula, & omne coquorum passa ludibrium: quæ si quis valde licet esuriens cernat, quam fœde, quantoque sunt coagulata lenocinio, solo spectaculo satur abscedat. Ita mixta videbit inuicemque certantia nostra exteris, marina terrestribus, nigra candidis, acria dulcibus, hirsuta pennatis, mansueta ferocibus, & quasi Ouidianum chaos illud antiquum renouatum, atque in angustias sit coactum, non solum, corpore in Vno, *sed in vna paropside.*

Frigida pugnabunt calidis, humentia siccis;
Mollia cum duris; sine pondere habentia
pondus.

Sub hac tanta colluuie diuersarum simul & aduersarum rerum, sub tot croceis atque atris, liuentibusque pulmentis, suspectum non immerito venenum sedulus prægustator explorat, quin & aduersus cæcas insidias, aliud remedii genus inuentum est. Inter vina dapesque liuida serpentum cornua prominent, aureis insita solerter arbusculis, & quasi voluptaria ex arte contra mortem miseri mira res ipsa mors excubat. Ille autem sedet obducta fronte, grauibus oculis, supercilio vmbroso, rugosa nare, genisque pallentibus, ægre viscosa labia diglutinans, vix caput attollens, fulgoribusque & odoribus attonitus, vbi sit, nescit; vespertina tumens crapula, & matutini negocii confusus euentu futurisque in fallaciis intentus, quo se vertat, aut quid agat. sudat, olet, ructat, oscitat, singula morsitas, vniuersa fastidiens. Solitarius rusticas vero vel paucis, vel vno, vel nullo famulo contentus, hesterno sobrius

vegetusque ieiunio, modesto sub lare mundam mensam, nulla re magis, quam sua praesentia exornat. pro tumultu requiem, pro strepitu silentium habet, pro multitudine seipsum, ipse sibi comes, ipse sibi fabulator ac conuiua est: nec metuit solus esse, dum secum est, pro aulaeis nudus paries, ex agresti cemento, pro solio eburneo, quercus est sibi vel fagus pura vel abies: coelum spectare, non aurum, terram amat calcare, non purpuram, fidicen gratus & assidenti consurgentique dulcissimus cantus est benedictio & gratiarū actio. Villicus, si res poscat, pincerna, coquus & verna est, quicquid is apposuit, hic aequanimitate & modestia preciosum facit, cibum omnē peregrinis syluis aut littorib. aduectum, omnem potum Ligurum atque Picentum collibus expressum dicas. Ea frons est, isque animus vtentis, sic in Deum inque homines gratus, sic communibus inemptisque laetus dapibus, non tantum, vt Maroneus ille seniculus Regum opes aequat animo, sed transcendit. Nulli penitus inuidet, nullum odit, sorte contentus sua, & fortunae iniuriis inaccessus, nihil metuit, nihil cupit; scit nō spargi venena fictilibus; scit vita hominū pauca sufficere, & summas verasque diuitias, nil optare, summum imperium, nil timere, laetum agit atq; tranquillū aeuum, placidas noctes, otiosos dies & secura conuiuia, it liber, sedet intrepidus, nullas struit aut cauet insidias, scit mortem suam non inutilem, nulli damnosam vitam, neq; multū interesse arbitratur quā diu, sed quam bene viuat, nec vbi, aut quādo moriatur magni existimat, sed qualiter, in id vnum summo studio intētus, vt bene actam vitae fabulā pulchro fine concludat. Nunc, mi Iuli Porphyri, eiusdem au-ctoris, occupati vrbici miseriam & solitarii rusticantis finito prandio, felicitatē oculis animoque

que

que percipe: *Labitur sensim dies & fugiũt hora, ac iam prandio finis est: turbãt illum familiaris exercitus hostesque collaterales, & ruina mensarum, & hominum vasorumque collisio, & ebriorum iocis tecta mugiunt, & querimoniis famescentum: habet enim non vltimum hoc malum mensa diuitum, inquisissima est, itque hic fames, hic nausea, temperies nusquam: aulæ quidem insuauis odor, inamœnus color, iter incertum, solum omne salsamentis effusis late olidum cruentumque, idem & vino lubricum, & fumo nubilum, & spumis horridum, & aspergine tepidum, & adipe tabidum, & ossibus albicans, & sanguine rutilum, denique vt verbo vtar Ambrosii, non coquinam, sed carnificinam dicas. Et licet*, vt *maioribus placet, à* parando prandium, *quasi* parandum *dictum sit, quod bellatores & prædium paret, non parari tamen aliquid, sed fieri, vereque prælium ibi gestum putes esse, non prandium. Ita dux saucius ac tremens, ita mero percussi omnes nutantesque abeunt; mensa pro acie fuerit, pro blando & fallaci hoste voluptas, cubilia pro sepulchris, conscientia pro inferno.*

At huic nostro diuersa omnia, angelorum aula conuiuiis, quam hominum, aptior, odor colorque optimus, index morum testisque modestiæ, mensa pacifica, luxus ac tumultus nescia, gulæ domitrix, expers immunditiæ, vbi gaudia habitent, vnde voluptas fœda exulet, vbi sit regina sobrietas: cubile castum & quietum, conscientia Paradisus. Surgit ille igitur vel ebrius, vel indignus, iste tranquillus & sobrius; ille de morbo dubius ac pauens, iste frugalitatis sibi conscius, omniumque quibus humanum corpus subiacet, securus; ille vel irascitur, vel ludit, hic vtrumque declinans Deo

gratias agit. Tota dehinc illi dies inter luxuriam somnumque & curas anxias & dura negocia dilabitur; huic inter laudes Dei & necessariam quietem, & honesta solatia nihil aut modicum perit. De miseria postea occupati vrbici, ac fœlicitate solitarii rusticandis cum abeunte sole vesper accedit, pauca etiam hæc ex nostro authore attexemus: *Cogitur ille iterum abeunte iam sole tecto egredi, vrbem lustrare, cœnum terere, concursare obuiis, sudare, laborare, anhelare, æstuare, cumque in omnes sese formas fraudum verterit, omnes laqueos ingeniique nodos explicuerit, sero tandem fessus rediens, & multū de artificio suo questus, bonæ famæ puræque conscientiæ, nihil omnino auri forte aliquid, plurimum sceleris atque odii domum refert. Iste vel apricum fontem, vel herbosam ripam, vel æquoreum littus adiit: gaudens diem illum sine dedecore transiuisse, & lucis ante terminum, aduersus secutura noctis pericula dolosque & insidias ac rabiem leonino more rugientis aduersari vigilem sobrietatem, atque orationis & fidei clypeum, aduersus somnia pollutionemque & nocturna Phantasmata, excubare sibi solitam clementiam sui creatoris implorat, atque in manus eius commendat Spiritum.* De misero occupato; & felici solitario cum redeunte nocte cœnandum est, ita autor ille scribere non desinit: *Ecce redit nox, ille redit ad crapulam, pompa ingens, ante retroque longum agmen: viui hominis funus putes, præcedunt funeralia & tibiæ, nec quid desit exequiis, & sumptuosissimum cadauer, perfusum caris odoribus, rursus inter puluinaria sepelitur adhuc tepidum, adhuc spirans, inde grauem cœnam indigesto superaddens prandio, ventura luci nauseam parat, & alteri*

prandi

prandio præcludit iter. Iste vel se canasse persuadet sibi, vel ita canat, vt Platonicum illud ipsa reprobet: nullo modo mihi placet, *inquit*, bis in die saturum fieri. De miseria occupati vrbici ac fœlicitate rurantis solitarii, hæc sequentia denique asscribamus: *Post hæc multum dißimili habitu corporis & animi cupitum vadunt, ille plenus curis, plenus epulis, plenus mero, plenus metu, plenus inuidia, deiectus, repulsus, superbia elatus, mœrore contractus, ira tumidus, impar sibi, impos animi, obsessus satellitibus, obseruatus æmulis, pulsatus clamoribus sollicitatus literis, interpellatus nunciis, suspensus fama, rumoribus territus, stupefactus auguriis, elusus mendaciis, fessus querimoniis, & ne nocte quidem litibus immunis, par vita dæmonibus, odiosus præterea vicinis, grauis ciuibus, vel formidatus, vel irrisus suis, suspectus omnibus, fidus nulli, diu insomnis, purpureo inuoluitur grabato, omnesque libidinum species expertus, & adfruendum præsentibus, sollicitato infœlici corpusculo ad absentes vago animo transmisso, vix tandem victus somnum oculis admittit; sed vigilant curæ, vigilat mens anxia, quam vrit ignis, & immortalis conscientiæ vermis rodit. Tum diurna negocia, deceptos clientes, oppressos pauperes, pulsos finibus agricolas, stupratas virgines, circum-scriptos pupillos, spoliatas viduas, afflictos necatosque innoxios, cumque his omnibus vltrices scelerum furias videt; sæpeque ita dormiens exclamat, sæpe conqueritur, & sæpe metu subito somnus abrumpitur. Iste autem plenus honesto gaudio, plenus sancta spe, plenus amore pio, plenus cōscientiæ integritate, securitate, hominum, Dei metu, nocituri cibi, & inutilium vacuus curarum, solus, tacitus, tranquillus, angelo simillimus, Deo*

tharus, formidabilis nemini, cunctis amabilis. Cubiculum somno non impudicitiis idoneum ingressus, dulcem, & imperturbatam excipit quietem, & si quid consopitus videt, plerunque similia vigilantis operibus sunt somnia dormientis, & hac etiam vitæ parte fœlicior, meliores aspicit visiones, neque solum lætiori animo, sed saniore etiam corpore membrorumque ministerio promptiore vtitur. Constat enim animi virtutes præcipueque modestiam, sanitati multum conferre corporeæ & frequenter, qui plus corpori seruiunt, plus obesse. Viden, mi Iuli Porphyri, rusticantis & solitarii vitæ excellentiam & honestatem; nunquid cum Petrarcha, Antonio de Gueuara, cæterisque viris hãc vitam commendantibus solitariam vitam occupata vita longe esse fœliciorem, exoptabiliorem, sanctiorem dixeris? postquam vnius occupati, vniusque otiosi hominis vnum diem tibi depinxerim. Nec immerito infœlicior vrbicocorum, quam ruralium hominum conditio videri debet: *quippe alieni nutus illi* (vt Petrarcha scribit) *arbitrio reguntur, & quid agere illos oporteat in aliena fronte addiscunt. Omnia illis aliena sunt, alienum limen, alienum tectum, alienus somnus, alienus cibus, &, quod est maximum, aliena mens, aliena frons, non suo iudicio flent, & rident; sed abiectis propriis alienos induunt affectus, denique alienum tractant, alienum cogitant alieno viuunt; contra ruralium & solitariorum hominum vita sancta, simplex, incorrupta, pura & felicissima vere dici potest, vti etiam supra meminerimus.*

Quare haud inique Petrarcha scribit: *Solitudo*

tudo, inquit, *equidem sancta, simplex, incorrupta, vereque plurißima rerum est omnium humanarum : cui etenim sese ostendit in syluis, cui se comat inter vepres? quem præter pisces hamo, quem præter feras & volucres visco fallat, aut laqueo? quem cantu quem gestu mulceat? quem coloribus delectet? Cui purpuram explicet? cui oleum vindicet, cui verborum florida serta contexat? cui demum sese approbet, cui placere studeat, præter illum, cui in intimas solitudines penetranti, solitarium nihil est? neminem illa vult fallere, nihil simulat aut dißimulat, nihil ornat, nihil palliat, nihil fingit. Nuda prorsus aut incompta est: Spectaculis enim caret & plausoribus veneficis animarum, vita rerumque omnium, Deum vnicum testem habet, nec vulgo cæco & mendaci, sed conscientiæ proprie de se credit.*

Huc refer illud Lypsii, quod ex ipsius Epistola quadam excerpsimus : *Agrum*, inquit ille, *bene cultum, meliorem esse vrbe aio, ad sapientiam, ad Mores, ad voluptatem. De sapientia; non negabis, quin illic aptior ad eam animus, vbi is liberior & magis sui iuris. Talis autem in agris est. Oppida vise & adi : non effugies, quin vna tumultus, procellas, turbas. Circumstrepent enim te subito res hominesque & negocium tibi non solum tua negotia facient; sed aliena.*

Vt difficile est in conuiuio lauto & opiparo solum esse siccum & sobrium : sic vacuum, inter tot occupatos. Ille ad sponsionem te trahet, & ad forum : ad nuptias alius & ad templum. In ipsa via clamores alibi & lites : pugna nonnullibi & arma, & mox iudex, lictor, carcer. Domum ipsam tuam

cum veneris: ne in secretum venisse te cense, aut penetrale. Irrumpent, ecce, salutatores, inuisores & amicorum nomine quidam fabulas, imo epulas, captantes. Hos nullum limen submonet, nullum velum; & per omnes rimas inuolant importunæ illæ muscæ. Inter ista & inter istos, quis libris liber locus? quis cogitationibus? sine quibus an vlla legitima ad sapientiam exercitio aut via sit, haud cerno. Et tamen fac te felicem aut fortem: otium aliquod in ipsa vrbe diu luctatus tibi vindices: nego id liberum, firmum, aut aptum animo vegetando. Spernit enim natura sua includi cœlestis ille ignis, & aerem amat ac campos. Vt generosas feras cauea domat aut frangit: sic altas mentes vrbicus ille carcer. Equum ad cursum apertus & liber circus prouocat: animum ad studia, vagans vacansque aura. Syluam illam viridem videt? hic carmen auet aut hymnum Deo pangere. Horti illam purpuram? hic cum libellis suis decumbere. Aquæ illud murmur? ad eam altiori cogitatione abiici. Et nocte ipsa aut sub eam, pictum illud patensque cœlum eum capiet: & inter tot stellas errantes, aut inerrantes, à curis terrisque erecto mente scandet super illas. Adde quod hic altum securumque otium: nemo, qui appellet, aut interpellet: & amicissima semper studiis, solitudo & quies. Vides igitur quæ in hac parte ager ante vrbem habeat: nec vane à Columella scriptum: Vitam rusticam proximam & quasi consanguineam Sapientiæ esse. Quid si nunc ad vitam me vocas & ad mores: bona fide, vtrubi, te quoque iudice, illa innocentior, & hi puriores? Veritas tibi exprimet quod in agris. Oculos paulisper coniice in magna illa & commerciis crebra oppida; mentior, nisi ambigas, cœtus illic hominum, an confluges vitiorum. Adfert enim seorsim quisque suas

culpas:

culpas: quas mixti vulgant, & velut contagio tradunt inuicem, capiuntque morbos animorum. Quin vt flumina per se dulcia, cum in mare venerint, salescunt: sic homines haud mali, ex agris in vrbem redacti, tactu inquinantur ex mixtione. Illic enim ambitio, auaritia, libido proprie habitant: & fons omnium vitiorum, depudere, *cui origo*, non negabis, *ex crebro illo inter se adspectu occursuque. Itaque prudentes olim legislatores & qui semina iecere boni status ciues suos plurimum ab vrbe & conuentibus abductos, habere voluerunt in agris; quos ad probitatem, modestiam, robur, gymnasium consueuere & palæstram. Romulus ille æterni auctor imperii, in duas classes cum ciuem diuisisset, seruos ac Liberos: istis duo tantum studia, militiæ & agri dedit; illis artes reliquas, quæ ad Mercaturam & ad lucrum. Ita enim est. Mercatura, & quicquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia, nec animum solum emollit & effœminat (vere Sallustio dictum) sed corpus. Quis vires & viros vnquam in oppidis quæsiuit, aut inuenit? adeo vetus illud verum in omni gente & æuo est, optimum militem legi ex agris. Parthi olim bello potentes; sed sparsi in agris. Schytæ; sed in tuguriis oberrantes. Germani: sed priusquam vrbes coluissent. Turcæ hodie; sed minimum dediti in amœnitatibus oppidorum. Quin illud ipsum Genitserorum agmen iure terror orbis, non ex agris solum, sed pœne dicam haru collectum, & mapalibus pastorum. Nam Romanos tibi quid ingeram? Curios & Fabricios nostis ferentes, occantes: Quinctios arantes, & Dictaturam induetes: & vno verbo, non milites solum ab agris, sed duces. De Moribus ergo vides, qui si vsquam etiam hodie prisci integrique quærendi sint, vestigia reperias in agris, vbi apud si quis-*

que & ideo pudor innocentia, simplicitas manet, & vita malarum fraudium artiumque expers. Sed quid pòßim in hac parte magis vere, magis ampliter dicere, quam Hippolytus ille apud Senecam? quem, quæso te audi:

,, Non alia magis est libera & vitio carens
,, ritusque melius vita quæ priscos colat,
,, quam quæ relictis mœnibus campos amat:
,, Non illum auaræ mentis inflammat furor
,, non aura populi, & vulgus infidum bonis,
non pestilens inuidia, non fragilis fauor,
,, non ille regno seruit, aut regno imminet,
,, spei metusque liber.

Et adde plura pulcherrimi cothurni, quæ omitto,

CLXXVIII.

VITÆ RVSTICÆ VOluptas & iucunditas:

AD voluptatem enim transeo: quæ tamen hic tam obuia, vt indigner, super ea moueri mihi litem. Elementa omnia intueor? vim suam vsumque palam & toto vt ita loquar, sinu in hoc rure nostro effundunt: obscure & parciter in tua vrbe. Solem vide, melius hic nitet: Aerem, latius latiusq; diffunditur & ridet, Aquas, purius bibuntur. Terram, hic tantum cernitur in vero suo vultu; Alibi in planitie effuse porrigitur; alibi in collem placide adsurgit; aut magis rigide in montem. Illic herbis & sponte natis arbustis vestitur: hic fruge fructibusque, & feliciore

feliciore ligno. Quem non delectet tam varius aspectus & cultus magnæ matris? cuius apud vos vna facies ædibus pressa aut pauimentis. Iam domum si venisti, hic prorsus gaudiorum & amœnitatis vera sedes. Mane surrexisti? ad musicam quidem, & circumsonant te, ac velut salutant, chori illi alitum, suauiter fritillantium, trutillantium, minurientium, ad quos non æquiparent se tibiæ, citharæ, aut ex arte vlli cantus. In hortum prospexisti? oculorum aciem tibi præstringet illa ipsa nocte exortum agmen florum & herbarum. In pratum? occurrent vere nouo arbores odora quadam & cana niue perspersæ; eædemque sub Autumnum, alia promotum purpura siue cera distinctæ. Propius easdem aspice, insitiones mirabere & matrimonia; adulteria etiam, & suppositos fœtus, inscia matre, nec inuita. Quam lasciuam comprehensionem fœcunditatemque quisquis in ligno non miratur; ipse profecto lignum. Iam ad agros deuertisti & tua rura? Illic boues lente pascuntur & oberrant; hic pecudes magis vage lasciuiūt & hœdi. Porcus alibi volutatur & grunnit: alibi cristata cohors cugurrit & scalpit. Segetes illic tuas vides & siliginis, farris, hordei vberes fasces: syluam istic, & ad hyemem lignorum strues. Vitem denique alibi florentem aut maturescentem; & spe iam prælibis sacrum illum alibilemque liquorem. Quorum omnium quæ copia in vrbe sit? quin ne imago quidem satis certa & expressa. Sed vt ii, qui parietem intuentur, ex leui linearum, ductu, animalia in eo & facies sibi fingunt: sic vrbici harum rerum fictiles quasdam vmbras: ita viuunt in pulcherrimo hoc mundo, mundi exules; nec bona aut dona eius plene vnquam norunt.

Hæc

Hæc ille. Hisce quæ de vitæ rusticæ voluptatibus & fœlicitatibus ex Lipsii quadam epistola excerpsimus, attexere placet duas alias de hac re epistolas, quarum prior erit Bebelii Iustini, ad amicum quendam suum sic scribentis: *Cum nuper legissem, vir humanissime, epistolam Poggii Florentini de re rustica venustissimam, veritateq; & & delectatione plenissimam; venit mihi in mentem is sermo, quem in Autumno tecum in ædibus tuis habui. Vbi cum diceres mihi, quosdam amicos tuos te sollicitare, & admonere, vt relicto tuo pago, ad honestiorem aliquam in vrbibus, vt tibi facile esset conditionem aspirares. Ibi ego visa tua quiete, iusto emolumento, veraque felicitate dixi. O si mihi cum honestate, & conditione opportuna, vti tibi in rure viuere concederetur, vbi & Deos natos & versatos tradit gentilitia, quam non mutarem illud cum crœsi diuitiis. Proinde si vis esse securus, tranquillus, sanus, longæuus, diues, & tandem felix in vita, reliquum ætatis tuæ consumas in rure, in quo honestissime, & tranquillissime es hactenus multos annos versatus. Omnino enim tristissima vita est censenda eorum qui plausu vulgi, qui in vrbibus conspicabiles, & gloriosi videri volunt, qui ambitioni seruiunt, honoribus, dignitatibus & magistratibus inhiando. Nihil est enim in toto orbe tristius, miserius, & iniquius ambitione, quæ multos (vt ait Salustius) mortales falsos fieri coegit. Hæc nos ad immensos labores subeundos impellit, hæc iniurias, ignominias, contumelias toleranter ferre perdocet, omnibus tam animæ, quam corporis periculis se intrepide exponens, atque miserrimo famulatu, authore Columella, per dedecus fascium decus mercatura, & tam inquieta quidem, vt non secus*

cus

cus ac furiis agitari videantur ambitiosi & quibus præsens semper adest pœna. Nulla quies illis est, nullus somnus dulcis, nullus cibus sapidus. Vt optime dixerit *Seneca tragicus*:

„Stet quicunque volet potens
„aulæ culmine lubrico;
„ne dulcis saturet quies.
„obscuro positus loco;
„leni perfruar ocio.

Quod si est felicitas tam animi, quàm corporis in rebus humanis, ea non est nisi in rure. Quæ enim hæc est felicitas, quam syncera, quam stabilis, quam diuturna securas cepisse dapes, omnibusq; sanctissimæ matris terræ opibus perfrui, nullo dolo, nulla fraude, nulla circumscriptione, simultatisq; stimulis superuacaneisq; curis molestari. Nõne hæc vrbanis honoribus atque diuitiis omnibus sunt anteponenda? Nonne *deliciæ pene cælestes sunt merito nuncupandæ? Adde quod tibi ipsi viuere potes, nunc legere Poetas, Oratores, Philosophos, Theologos, & cætera scriptorum genera, quorum tibi copia est, nunc in rus secedere, interque rosas, lilia conuallium, cæterosque flores odoratissimos suauiter & tute requiescere, inuitante te ad somnum Philomela, omniumque auium vario mellifluoque concentu: sed nec solum ad somnum, verum etiam ex pulchritudine rerum, & iucundissima dispositione fabricæ huius mundi, ad efficacissimam diuinarum rerum contemplationem. Potes & in rure nunc visere montes, nunc in vallibus circa riuos deambulare, nunc in saltus & nemora progredi, nunc canibus fugare lepores, nunc accipitre volucres terrere, & ita in deliciis ruris currendo, venando & recreare animum, & corpus exercitatione firmare*

mare sommo robore. Hoc rus regibus & illustribus viris, vrbicas molestias & turbulentias pertæsis, summum est solatium, Philosophisque & poetis vnicum ad contemplationem, & animum literis & virtutibus formandum diuersorium. Hanc felicitatem ruris delphicum etiam oraculum pronunciauit. Cum enim Gyges Lydorum rex ditißimus, ob idque superbißimus. Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior? Respondit ei Deus Aglaum Nophidium, pauperrimum Arcadiæ rusticum, multo eo esse feliciorem, qui in summa innocentia, fructibus sui agelli contentus, summa animi tranquillitate cunctas Regum diuitias, personatamque felicitatem longe superaret. Et cum gentilitios sibi deos deasque finxisset, faunos, satyros, panes, dryadas, Napeas nymphasque plurimas, eorum terrenæ maiestati non Vrbes attribuit, verum montes, fontes, rura & syluas, non obscure intelligens, non nisi in rure consistere terrenam felicitatem. Quid? quod summus optimus maximus Deus, cum hominem ad sui similitudinem formaret, non eum in vrbem aliquam, sed in Paradisum, id est, hortum, vt Græci dicunt, &, vt nostri, in hortum deliciarum collocauit, & eiectum non nisi in agros misit. Quid? cum cælos formasset, vrbem potuisset condere facillime. Sed quid dicam de felicitate humana? Si quærimus vitam æternam cælestemque felicitatem, vbi eam commodius inueniemus adumbratam, quam in rure? vbi minor occasio peccandi, vbi maior simplicitas, maior innocentia, maior probitas, maior iustitia. Hoc mihi aureum declarat seculum, in quo ante conditas vrbes dii, deæque (per quos, virtutes intelligimus) cum hominibus conuersabantur. Nam vt Hesiodus canit:

Tunc

Tunc homines diuum viuebant more, neque illos
anxia curarum moles, operumque labores
lassabant, aberat tristi cum mente senectus:
nulla mali labes, conuiuia læta placebant,
mors similis somno fuit, atque vberrima tellus.
Omnia liberius nullo cogente ferebat
in commune bonum, nec quispiam inuidit habenti.
Quam felix ætas, erat omnibus vna voluntas.

Et Poetæ scribunt, tandem ob flagitia iustitiam ad vrbibus ad rus concessisse. Sed vt omittamus poetarum figmentum, licet rationabiliter, & verissime excogitatum, nonne præter Philosophos, & reliquos rerum scriptores, qui contemplationibus dediti, in rus & syluas secesserunt. Nonne, inquã, crescente Ecclesia Christiana sanctissimi Patres, & maxime in AEgypto, vt expeditius, tranquillius, & sanctius Deo se deuouerẽt, relictis vrbibus in nemora se & solitudines, à quorum solitudine omne genus monachorũ, descendit, contulerunt? Existimantes non absurde rus & horridas syluas nihil habere commune cum vitiis. cum sceleribus, cum ambitione, luxuria, auaritia, & simul tam bene quadrare & congruere syluas humanæ naturæ sua amœnitate, vigore, & salubritate, vt viuacces ipsi non facile vllo labore, vel meditatione deficerent, aut frangerentur. Sed lege Poggium, qui copiosius hæc explanabit, vale.

Posterior Epistola, cuius supra mentionem fecimus. est Poggii. Huius autem verba hæc sunt:

Poggius Florentinus Cosmo de Medicis. S. D.

Si vn-

Si vnquam mihi antea rei rusticæ cura, & vita exercitio dedita, iocunda visa est, & suauis, nunc his paucis diebus, quibus in solo natali vixi procul à curia molestiis constitutus, iucundissimam ac suauissimam iudicaui, dulcis ocii, honestis negotii & modestæ voluptatis plenam. Cognoui enim hoc viuendi genus, quod multi præclari viri posthabitis rerum ciuilium fluctibus elegerunt, esse maxime expetendum, cum in eo vitam quietam, liberam, honestam, frugalitati coniunctam agere valeamus, vt non mirer Horatii Flacci ruris viuendi cum in vrbe esset, cupiditatem, qui 2. Sat. 6. scribens ad Mæcenatem:

O rus, inquit, quando ego te aspiciam? vel quando licebit
Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis,
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?

Et certe si qua virtuti, & literis vacandi via est, hanc profecto esse constat, remotam à vitiis, & honestati propinquam. Neque vero eam existimo tantum à doctissimis quidem viris rei rusticæ scriptoribus laudatam, quantum dignitas eius & merita erga humanum genus postulare videntur. Nam, vt omittam, quas vtilitates ex agricultura percipimus vt non recenseam quæstus vberrimos, quos largitur, quanta voluptas & quies ruris? quanta curarum remissio? quanta naturalis oblectatio? quanta virtus in eius vitæ ratione versatur? Hæc est sola naturæ hominum vsuique præcipue accommodata, quæ omnia ad victum, cultumque nostrum spectantia suppeditat nobis, ac subministrat. Hæc est, quæ semota à tempestatibus ciuilis insaniæ, tanquam ex quadam specula cæteros velutí naufragantes despicit, & contemnit. Hæc procul à malis vitiorum exemplis,

emplis, relictis fori, & contentionum iurgiis, sibi soli vacat, & bonæ menti. Hæc spretis superuacaneis cupiditatibus, cõtempta omni ambitione, neque superflua cupit, neque abutitur quæsitis. Hæc populari aura, & vulgi honoribus nihilipensis, honesto fruitur ocio, & omni tranquillitate, quæ rarißime assequuntur, qui vrbana tractant, & vulgi plausum quærunt. Hæc est vere Philosophandi dux, in qua & rerum secreta rimari licet, & bonos mores facile amplecti. Hæc bonis, hæc sapientibus, hæc doctis viris; hæc regibus atque imperatoribus digna exercitatio. Cyrus Persarum Rex, ille à Xenophonte celebratus, gloriari solitus est, hortum suis manibus consertum, & arbores in ordinem positas. Diocletianus depositis Imperii insignibus, in villa Salone agricultura detinebatur studio, vt hæc sola res veram quietem à curis superfluis vocationem largiri hominibus videatur. Hanc vitam cum multi egregie laudarint, Cicero noster in oratione pro Roscio omnium laudes meo iudicio superare videtur, qui eam parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ esse magistram tradit, maximeque disiunctam à cupiditate, & officio coniunctam. Quæ laus haud scio an in aliam vitam recte poßit conferri. Plures excellentis doctrinæ viri, vt Philosophandi studio, & bonarum artium peruestigationi facilius, penitusque possent vacare, relictis vrbibus, se rus in vitam priuatam contulerunt, vbi dies suos summa in quiete, & honesto ocio transegere. Multos vero ciuitatum gubernaculis inhærentes ciuilis tempestas ad scopulos allisit. M. Tullius ciuilem vitam priuatæ anteponit, laudatque eos, qui ad gubernandam Rempublicam accesserunt. At ipsi, vt & Demosthéni, multisque aliis eloquentißimis viris, satius fuisset nullas Reipublicæ partes attigisse. Quamuis talis Eloquen-

Bb tiæ

tia Ciceronem in tanta imperii magnitudine & in tanta amplitudine honoris facile suamque sententiam tueri potest, cum ea quemuis egregium ingenio hominem queant incendere, & erigere ad laudis & gloriæ appetitionem. Multum enim pollet in ciuitatibus vis dicendi, & ingenii laus. Sed multi sudores, labores plurimi, vita anxia proposita sunt eiusmodi viris, & varii fortunæ casus. Ego autem, cui senescenti quies, & ocium cordi est, degentem ruri commendo, & eum præsertim, qui à cura rei rusticæ ad literas tanquam in artem animi posset confugere. Neque ego nūc rusticana, aut fodiendi, aut arandi, aut plantandi, proprio sudore opera subeunda nobis censeo. Non enim sum Serranus aut Cincinatus, qui ab aratro ad senatum accersebantur. Non sum Scipio ille superior Africanus, quem Linterni exulantem, agrum suis manibus coluisse Seneca scribit. Manus enim meæ aptiores sunt calamo, quam operæ rusticanæ. Sed commendo vitam quietam, quæ rure viuitur, curam laudo rerum rusticarum, conserendi plantandique solertiam, laborem leuem, qui corpus paululum exerceat, atque corroboret probo victus modestiam integritatem vitæ, remissionem animi, quæ est vera ratio philosophandi. Non enim illic degentem rerum vrbanarum strepitus, & solicitudo anxia premit; non curiositas superuacua noscendi mente sollicitat, non quicquid vbique terrarum agitur, indagamus. Non curis superfluis abrumpitur somnus, non pestilens inuidia, non liuor edax fraudem proximo machinatur, non scelerum officinæ, quæ errant vrbibus ad mala facinora impellunt, non sexcenta alia, quæ ciuilis & occupata vita nequit effugere: sed dulcis ac secura quies, vita frugi, & ocium officio plenum, omnibus honoribus ac dignitatibus præferendum.

Hanc

Hanc vitam fidentius apud te extollo, quem scio sæpius rus, tanquam in portum, ex ciuili inundatione confugere, delectarique admodum cultura villæ; ac studio tum plantādarum, tum conserendarum arborum detineri, digno sane docto, libroque homine exercitio. Hortarer te ad eam viuendi mormam si aut res tua, aut tempora paterentur; attamen si frequenter hos, quibus necessario implicaris, ciuiles tumultus lenieris iucunditate atque amœnitate ruris; & te in libertatem animi, quam etiam legendo ociosus acquires, quandoque vendicaris: cognosces viuere aliquando te tibi, & tempus id tuum esse, quod aut in remissionem curarum ruri colendo impenderis, aut cōtuleris ad studia literarum, quæ est maxima omnium, & honesta voluptas, ac præ ceteris appetenda. Vale. Et licet agricultura, vt cunctæ res humanæ, res mundanæ, suas quoque difficultates & molestias habeat, easque ex illa statim ortas Dei sententia, Gen.3. v.17. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Accedunt gurguliones, erucæ, locustæ, bruchi, rubigines: adde interdum vastationes, direptiones agrorum, vinearum, pecorum hostiles:

Sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta malis.

Tamen mixta atque remixta omnia. Nullum malum, nulla calamitas, nullus labor aut dolor est, quin bonum aliquod illi immixtum sit:

ὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ ἢ κακά
ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις.

Nunquam à malo seiungitur prorsus bonum:
Quædam sed est horum se inter commixtio.

Audi Ouidium Trist. 5. eleg. 9.

Si numeres anno soles & nubila toto,
Inuenies nitidum sæpius esse diem.

Magna insuper agriculturæ iucunditatis & voluptatis pars ab ipso vitæ genere pendet, quod (Seberi verba sunt) *cum conscientia puriore, nec vllo cum ciuilium aut vrbicarum rerum strepitu coniunctum est.* Innuitur id, opinor, à Menādro apud Stobæum? ὡς ἡδὺ τῷ μισοῦντι τοὺς φαύλους ἐρημία: *ô quam suauis est solicitudo ei, qui malos odio habet?* Maior vero adhuc, ab ipsius naturæ rerum è terra nascētium contemplatione: vnde Libanius f. 124. θεαμάτων ἥδιστον ἀγρὸς, ἄμπελοι, τὸ τῆς Ἀθηνᾶς δῶρον, καρποὶ, φυτὰ, λήϊα; *quid habet admirationis iucunditatem magis rem, agro, vitibus, Mineruæ dono, fructibus, segete?* Et paulo fusius fol. 90. εἰ δέ τις οἴεται τερπνότερον εἶναι τὸν ἐν ἄστει βίον, ἐνθυμηθήτω πρὸς ἑαυτὸν, οἷον μὲν ἐστιν ἄμπελον ὁρᾶν καὶ βότρυς κρεμαμένους. οἷον δὲ ὑπὸ πίτυϊ ἢ πλατάνῳ μεσημβρίαν κεῖσθαι. ὅσον ἰδεῖν λήϊα ζεφύρων αὔραις κινούμενα. οἷόν τε ἀκοῦσαι βοῶν μυκωμένων καὶ προβάτων βληχωμένων. οἷόν τε θέαμα δαμάλεις σκιρτῶσαι, καὶ ἕλκουσαι γάλα. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ, μηδὲν εἶναι τὰ ἐν τοῖς θεάτροις δεικνύμενα πρὸς τὴν ἀπ᾽ ἐκείνων ἡδονήν. ἐπεὶ καὶ τὸ διὰ τῶν κρουνῶν ὕδωρ καὶ μακρὰν φερόμενον ὀχετῶν φαίην ἂν λείπεσθαι τῶν πηγῶν αὐτῶν. πολλῷ γὰρ καθαρώτερα τὰ ἐκ τῆς γῆς ἀναδιδόμενα νάματα, τῶν ἐπὶ τὰ ἄστη τεκτόνων χερσὶν ἀγομένων, *iam si quis existimet, iucundiorem esse vitam, quæ in oppido degitur, in suo corde eam rem volutet,*

tet, quam suaue sit vites intueri, & racemos pendentes? quam volupe etiam sub pinu vel platano tempore meridiano recumbere? quam gratum segetes auris Fauonii agitatas cernere? quam iucundum boues mugientes, & oues balantes audire? quam amœnum spectaculum iuuencarum saltitantium & lac sugentium? Equidem ea nihil esse duco, quæ in theatris docentur, præ voluptatibus, quæ ex illis rebus hauriuntur. Aquam certe, quæ per tubos & longos canales ducitur, deteriorem esse affirmauerim ea, quæ ex ipsis fontibus manat. At enim longe puriores sunt riui, qui è terra emergunt, iis, quæ ad oppida aquæ-ductorum manibus deducuntur. Carmen ecce adiungo quod eidem argumento, calore erga res rurales, & optimo stylo effudit Lipsius:

Ille est par superis diis,
& mortalibus altior,
qui fati ambiguum diem
non optat leuis, aut timet:
quem non ambitio impotens,
non spes sollicitat lucri:
quem non concutiunt metu.
Regum præcipites minæ,
non telum implacidi Iouis:
Vno sed stabili loco
vulgi ridet inania:
securoque oritur dies,
securo cadit & dies.
Vitam si liceat mihi
formare arbitriis meis:
non fasces cupiam, aut opes,
non clarus niueis equis

captiua agmina traxerim:
insolis habitem locis,
hortos poßideam, atque agros,
illic ad strepidus aquæ
musarum studiis fruar.
Sic cum fata mihi vltima
pernerit Lachesis mea,
non vlli grauis, aut malus
qualis N. hic meus,
tranquillus moriar senex.

Pro huius rei clausula illud Petrarchæ apponere operæ precium esse puto; *vnum,* inquit, *est his omnibus fundamentum, hanc vitam læto ocio, illam tristi negotio incumbere. Quod si quando forte conuulsus aliquis, aut naturæ fortunaque vis ostẽderit quamuis id perrarum, & velut inter portenta numerandum sit: tamen si accidat, mutare sententiam non pudebit, & iucundam otiosamque frequentiam, solitudini mœstæ ac sollicitæ præferre non metuam. neque enim solitudinis solum nomen, sed quæ in solitudine bona sunt laudo.* *Nec me tam vacui recessus & silentium delectant, quam quæ in his habitant, ocium & libertas: neque adeo inhumanus sum, vt homines oderim, quos edicto cælesti diligere iubeor vt me ipsum; peccata hominum, & inprimis mea atque in populis habitantes curas & sollicitudines mœstas odi.* Hæc pro tempore de agriculturę dignitate honestate & iucunditate dixisse sufficiant.

CLXXIX.

AGRICVLTVRÆ ET PEcuariæ artis vtilitas & summa necessitas.

*NVnc consequens, vt tibi, mi Iuli Porphyri, paucis de agricultura & artis pecuariæ vtilitate & summa necessitate meas cogitationes aperiã. Obambulans ruri sæpe ita mecum murmuro, verissimumque esse, quod sine aliis artibus olim satis fœlices fuerint, futuræq; sint vrbes; at sine agricultura arteque pecuaria neque consistere mortales, neque ali posse. Sæpissimeque illud Chrysostomi animo voluo: ἔστι τέχνη γεωργική, ἔστιν ὑφαντική, οἰκοδομική, αἳ καὶ ἀναγκαῖαι, σφόδρα εἰσὶ, καὶ μάλιστα συνέχουσιν ἡμῶν τὸν βίον. αἱ γὰρ δὴ ἄλλαι διάκοναι τούτων εἰσὶν, ἡ χαλκευτική, ἡ τεκτονική, ἡ ποιμαντική, ἀλλὰ καὶ τούτων αὐτῶν τῶν τεχνῶν ἀναγκαιοτέρα πασῶν ἡ γεωργική, ἣν καὶ πρώτην εἰσήγαγεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον πλάσας. ὑποδημάτων μὲν γὰρ ἄνευ καὶ ἱματίων δυνατὸν ζῆν γεωργικῆς τε χωρὶς, ἀμήχανον. *Ars est agricultura: ars est textrina, ars est ædificatio; quæ etiam ipsæ perquam necessariæ sunt, ac vitam nostram maxime tuentur. Nam cætera, vt ferraria, fabrilis, eaque quæ in ouibus armentisque pascendis sita est, his duntaxat ancillatur. Quin harum quoque artium nulla perinde necessaria est, vt agricultura; quippe quam etiam Deus primam inuexit, cum hominem procreauit.*

Etenim sine calceis ac vestimentis vita duci potest, sine agricultura autem nullo modo potest. Et Libanius: παλαιότατον μὲν δὴ πρᾶγμα γεωργία, καὶ ἅμα τοῖς ἀνθρώποις εἰς τὸν βίον συνεισελθόν, ἔδει γὰρ εὐθὺς μὲν γενομένους δεῖσθαι καὶ τῶν ἀπὸ γῆς τροφῶν δεηθέντες τε τὴν γῆν ἐπιχειρεῖν ἐργάζεσθαι, *Agricultura res est antiquissima, simulque cum hominum ortu in vitam processit. Fieri enim aliter non potuit, quam vt geniti nutrimentum statim de terra requirerent, & ideo ad colendam terram aggrederentur.* Ex his videre est, quam vtilis agricultura fiet, & quid operetur, si bene colatur. Notetur tamen quod Apollod: gnari mẽtionem faciat; sic est: gnarum esse oportet. Huc referendum illud Phocilidæ.

χρήζων πλούτου μελέτην ἔχε πίονος ἀγροῦ.
ἀγρὸν γάρ τε λέγουσιν ἀμαλθείας κέρας εἶναι.
Indigens opibus curam habe fertilis agri;
Agrum enim aiunt Amaltheæ cornu esse.

Quod idem cornu, vt Seberus vult, secundum Pherecydem, δύναμιν ἔχει τοιαύτην, ὥστε βρωτὸν ἢ ποτὸν ὅπερ εὔξαιτό τις παρέχειν ἄφθονον, *eius est facultatis, vt quicquid esculenti ac poculenti quispiam expedit, copiose admodum suppeditet*, sicut refert Apollod. Socrates autẽ ita interpretatus est, vt dixerit Symbolũ id esse, ἂν μή τις ᾖ μάλθων, ἀλλὰ ἐργάτης, πάντα ἕξειν τἀγαθά. καὶ μὲν τὴν ἀμάλθειαν τοῦ μὴ μάλθωνος τάττομένου. καὶ ὅτι τὸ κέρας βοὸς ἐργατικωτάτου ὄντος, τὸν ἐργάτην ἐνσημαίνεσθαι. βότρυς δὲ ἐν τῷ κέρατι εἶναι, καὶ τὰ ὅμοια ὅτι ἐν τῇ γεωργίᾳ πάντα ἔνεστιν, ὧν χρείαν ἔχομεν, *illum, qui minime dissolutus, sed gnauus & industrius esset, omnia bona consecuturum.*

Per

Per cornu vero bouis, quod animal est laboriosissimum, virum operarium innui: Botros autem & similia in cornu esse quoniam omnia, quib. egemus in agricultura insunt. Exemplar eiusmodi operarii fuit C. Furius Cresinius. Is (teste Plinio lib. 18. c. 6.) è seruitute liberatus, cum in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas: in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuẽs damnationem cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxerit filiam validam, atque (vt ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit: *veneficia mea Quirites, hac sunt, nec possum vobis ostendere aut in forũ adducere lucubrationes meas vigiliasque & sudores. Omnium sententiis itaque est absolutus.* Sic est: amãs laboris & diligentiæ demum agrorum liberalitatem experitur, sine qua nulla gens, nulla ciuitas, nullus mortalis viuere potest. De summa porro agriculturæ necessitate, summaq; vtilitate ita scribit Vitruuius: *vt natus infans sine nutricis lacte non potest ali; neque ad vita crescentis gradus perduci: sic ciuitas sine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere, nec sine abundantia cibi frequentiam, populumque sine copia tueri.* Et Aristot. φύσει ἀπὸ τῆς μητρὸς ἡ τροφὴ πᾶσιν ἐστι. ὥστε καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀπὸ τῆς γῆς, *Naturaliter à matre cunctis nutrimentum suppeditatur; idq. & hominibus è terra.* Xenophon insu-

per, citante illum Sebero, καλῶς δὲ κἀκεῖνος εἶπεν, ὃς ἔφη τὴν γεωργίαν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν εἶναι. εὖ μὲν γὰρ γερομένης τῆς γεωργίας, ἐῤῥωνται καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι ἅπασαι. ὅπου δ' ἂν ἀναγκαθῇ ἡ γῆ χερσεύειν, ἀποσβέννυνται καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι, σχεδόν τι καὶ κατ' γὴν καὶ κατ' θάλατταν. *Etiam is recte dixit, qui agriculturam aliarum artium matrem & nutricem esse perhibuit. Nam cum Agricultura prospere succedit, etiam artes cæteræ omnes vigent: at vbi terra necessitate aliqua inculta manet, etiam artes cæteræ fere terra marique extinguuntur.*

Huc quoque sine dubio Homerus respexit, is vt in clypeo Achillis præclaras hominum artes insigniret, agriculturam expressit; nam aratores & messores posuit, & eos, qui vindemiam exercebant. At quid causę fuit, quare ita fecerit? Si me interrogas, hanc fuisse respondeo: *vt argumentum rei rusticæ & agricolarum magis probaret, quam bellatorum ac rei bellicæ. Illud enim mortalibus vitam ac felicitatem pollicetur; hoc autem mortem & miseriam.* Quare merito aliis omnibus scientiis & laboribus est anteferenda agricultura, quia non solum quæstuosa est, & multum vtilis humano generi, verum etiam salutaris: quæ vt aliæ disciplinæ vitam exornant, sic ipsa tuetur atque conseruat, & quodammodo vitam ipsam (vt ille ait) in vita retinet. Ex quo videre est, locupletem sine paupere vitam non degere posse, pauperem vero sine diuite posse; Pauperē magis diuiti esse necessarium, quam pauperi diuitem. Adiice quod Delphicum Oraculum Aglaum quen-

quendam senem & pauperem virum, qui paruũ prædium colebat, *illiusq; frugibus vitam tolerabat, omnium mortalium felicißimum pronunciabat.* Huc attexe, quod Iohannes Bapt. Porta scribit: *Animo volutanti, quæ qualesq; fuerint Agriculturæ, diuitiæ, delitiæq;, adeo innumeræ occurrũt, vt vnde incipiam, nesciã. Nam si necessitatem considero, tanto est humano generi emolumento, vt ea carere nullo modo poßit. Si vtilitatem, inter primas non postrema; aut quænam illi poterit comparari? Si voluptatem dignitatem commistam, ea est excellentia, ea autoritas, ea deniq; maiestas, vt non reperias vnam ex maximarum artium numero, quæ non illi tanquam Reginæ famulari videatur. Quod humano generi pernecessaria sit, euidentius est, quam vt pluribus probari velit: sine enim rebus, quas rerum parens & nutrix natura edit, humana cõditio subsistere non posset, & qui id negauerit, & matrẽ ipsam & nutricem negabit. Arborum, herbarumq; fructibus vescimur, & iis quoq; cætera vescũtur animalia, quibus & nos victitamus: idcirco plãtas ante omnia animalia mundo natas Theophrastus, Porphyrius, & Eusebius enunciarũt, & ante eos verißimus Moyses, qui tertia die Deum opt. Max. pomiferum lignum, sexta vero animalia produxisse tradit. Ad alios plures humanæ vitæ necessarios vsus valet Agricultura.* Cicero libro de Diuinatione: *Arborum autem confectione, omnique materia, & culta & syluestri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, & mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tecti septique frigora caloresque pellamus.* Magnos vsus affert ad nauigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes vndique copiæ, plurimisque mari-

maritimis rebus fruimur atque vtimur. Sunt & arbores lanigeræ, apud varias gentes, vt Porta scribit; vt pretiosis indumentis sericorum morem dederint, plurimorum autorum testimoniis memorabiles Seres sunt, hoc lanificio syluarum nobiles perfusam aquâ depectentes frondium caniciem apud Indos. Æthiopia illis conterminalaniferas etiam habet arbores, quę pro fructibus lanam ferunt, qua ad vestimenta vtantur. Virgilius 2. Georg.

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres.

Ægyptus, autore Polluce, fert plantas, è quibus lanificium contexunt. In Tylo insula arbores laniferas nasci tradit Theophrastus, ex quibus telas, ac deinde vestes, alias viles alias preciosas, conficiunt. Insulæ cuiusdam meminit Diodorus in Oceano Meridiem versus positæ, ex cuius lanugine incolæ sibi vestes præparant. Plinius lib. 5. c. 1. in Atlante monte plantas cupresso similes nasci tradit, quæ, tenui lanugine obducantur. Atq; in Co Insula cupressi, terebinthi, fraxini, & quercus flores, decusso imbre vermes generant, qui stamen ad bombycinas vestes faciant. Et ne longius exempla repetamus sunt & apud nos vermiculi, mori foliis sati, qui vellus conflant, ex quibus pretiosæ vestes conficiuntur.

CLXXX.

VARIORVM AVTHORVM agriculturæ definitiones; vbi & terræ fertilitatis consideratio.

HÆc omnia, quę diximus, probe considerās; agriculturam describit Varro, Artem necessariam & magnā, & scientiam, quæ doceat, quæ sint in vnoquoque agro facienda & serenda, quoque terra maxime perpetuo reddat fructus; & agricolas ad duas metas intendere debere docet, ad vtilitatem scilicet, & voluptatē: vtilitatem fructus, voluptatem delectationem parere. Et Xenophon Agriculturam, scribit esse aliarum artium parentem & altricem, qua bene habente, & cætera valent: neglecta vero illa, terra marique iacere omnia. Esse præterea indagatricem & accusatricē vitæ hominum, quippe cū nullus ignoret citra victus necessaria neminem degere posse, hac neglecta nisi ex alia viuat arte, necesse esse, vt in furandi suspicionem veniat. Plato interrogatus quid agricultura esset, alimenta respondit, quibus humanum genus carere nequit, ex terra colligere. Cicero, *agricultura*, dicit, *est ars, quæ docet vsuram cum terra facere, & plerunque cum maiori fœnore.* Xenophon generosam artem vocat, quippe vtilis prouentu, iucunda opere, hominibus grata, facilis cōgnitu, & exercitio quoque generosa; generosa nam-

namque vocamus animalia, quæ pulchra, vtilia & mansueta sunt. Ingenium quoque ars, nam; quum cæterarum artium professores multa in eorum disciplina occultiora abscondunt agricola magnopere gaudet suum opus ab omnibus cerni: rogatusq; quomodo id egerit, libenter explicat. Adeo ingenuos & liberales hęc ars homines reddit. Et Porta nil aliud Agriculturã esse docet, quam *inspecta plantæ natura, ei cœlum cum terra maritare, vel societatem perquirere cœli & terræ ad arbores: sed cum cœlum nullo modo queat flecti; oportet sedulum agricolam situs varietate vti, vt cœlo facile plãta associetur. Exemplo omnia fient clariora: Quæ in siccis serenda sunt, orientem & Septentrionem spectent, & quæ in humidis meridiem. Præcoces in frigidis seremus, vt maturitas antecedat algorem. Quæ rores oderint, orientem versus serantur, vt statim onus exoriens solis radius illum quam primum desiccet. Quæ contra rorem exposcunt, occidentem aut Boream versus, ne tam cito à sole desiccentur aut diutius frui liceat; sic cœlum terræ parere ars cogit.* Huc vsque Porta. *Est omnium artium optima*, scribit Maiotagius, *agricultura, ex qua fructus iam varii, tot frumentorum genera, tanta rerum omnium copia, quæ ad victum hominum, & cultũ etiam deorũ pertinet. Semper enim boni assiduiq; domini* (vt apud Ciceronem ait Cato) *referta cella vinaria, olearia, mellaria, & pecuaria est: villaque tota locuples est. Terra enim*, ita pergit citatus author, *cui vni* (vt secundo libro c. 63. scribit Plinius) *rerum Naturæ partium eximia propter merita, cognomen indidimus Maternæ venerationis, benigna est, mitis, indulgens, vsusque morta-*

mortalium semper ancilla: quæ cùm gremio mollito, ac subacto semen sparsum excepit, (vt apud Ciceronem Cato philosophatur) *tepefactum vapore & complexu suo, diffundit, & elicit herbescẽtem ex eo viriditatem; quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur; è quibus cum emerserit, fundit frugem, spica ordine structam, & contra auium minorum morsum munitur vallo aristarum.* Quid dicam quam bona fide, quantoque cum fœnore terra depositum reddat? vt nihil excogitari possit hominibus necessarium, aut vtile, quod non è terra nascatur? Ex hisce meis narratis, satis optime Iuli Porphyri, intellexeris, summas agriculturæ & liberalitatem & diuitias, summamque vtilitatem simul ac necessitatem summis encomiis prædicandam, efferendam, laudandam.

CLXXXI.

ROMANI CENSORIA nota affecere eos, qui male & negligenter agrum colerent.

EAdem probe considerantes antiqui Romani, & censoria nota affecere eos, qui male & negligenter agrum colerent. Et ideo petitæ ædilitatis repulsam passus fertur Scipio Nasica, quod adolescentem competitorem, cui rustico opere duratæ manus, quasi illudens interrogasset, nunquid manibus incederet?

CLXXXII.

CLXXXII.

IMPERATORVM, REGVM Principum edicta agricolarum securitatem tuentior:

MVlti porro Imperatores & Principes, hæc omnia itidem bene animo ponderantes, leges, statuta ac edicta, quibus agricolis securitatem tuerentur, ordinauere, proposuere, & publicauere. Inter alia extat constitutio Friderici 2. quam in codice Iustiniani subtit: Quæ res pignori obligari possunt etiã reperimus cuius hæc sunt verba: *Agricultores & circa rusticitatem occupati, dum villis insident, & agros colunt, securi sint; quacunque parte terrarum, ita vt nullus inueniatur tam audax, qui personas vel boues, agrorũ instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad operã rusticalẽ pertinet, inuidere, capere, aut auferre præsumpserit; in quadruplum ablata restituat; infamiã ipso iure incurrat, imperiali animaduersione nihilominus puniendus &c.* Exteris quoque gentium principibus agricolarum incolumitatem & securitatem magnopere curæ fuisse legimus, Cyrus Magnus, quum bella gereret, præconium fieri iussit, vt parceretur agricolis, & sic vincerent, vt possessores manerent in suis possessionibus. Persarum Rex Xerxes, quum in expeditione contra Græcos esset, apud Herodotum, armatis viris ad Actabanum inquit: *Non pastoribus inferemus bellum.* Et Arrianus in libo rerũ Indicarum, quem citat Camerarius, asserit, nefas fuisse apud Indos, agricolas in bello capere, aut

aut agrum eorum vastare. De Bellisario, Ducē præstantissimo scribit L. Aretinus, quod Rusticorum tandam habuerit curam, vt in ducendo exercitu neminem eorum violari, nemini inferri damna passus fuerit; ne poma quidem in arboribus pendentia milites suos attingere ausos fuisse: Et additur, quod hac seueritate consequutus fuerit, vt castra eius abundantiora fuerint, quam vllum in vrbe forum; ita liberam & securam fuisse rerum venalium importationē. Idem fecisse Totilam regem, apud Procopium est legere, qui per omnem Italiam mali nil quicquam intulit, sed terram vt intrepide colerent nil secius, vt antea, imperauit. Memorabilis & hoc in loco lectu digna est epistola militaris D: Aureliani ad suum vicarium, vt à Flauio Vopisco recensetur: *Si vis Tribunus esse* (ita scribit Aurelianus) *imo si vis viuere: manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deferat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. Deprædâ hostis, non de lachrymis prouincialium habeat, arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia, vestis noua, vestem veterem excludat, stipendium in balteo, non in popina habeat, Torquem brachialem & annulum apponat, equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat. Nullum centuriatum comiter curet, Alter alteri quasi seruus obsequatur: à medicis gratis curentur, Aruspicibus nil dent; in hospitiis caste se agant; qui litem fecerit, vapulet.* Ex his videre est, quod egregii imperatores scitis scutisque defenderint. Iisdem

adiiciam illud de Friderico Comite Palatino Rheni. *Is igitur* (verbis vtor Seberi) *commisso prælio non procul ab Heidelberga tres Principes cepit, Carolum March. Badensem, Iohannem eius fratrem Episcopum Mediomatricum, & Hulderitum Comitem VVirtembergensem, defensores Adolphi Nassauiensis, qui à Rom. Pontifice designatus erat Archiepiscopus Moguntiæ, contra Dietherum comitem Henbergensem, quibus in arcem deductis & exceptis conuiuio Principibus digno, prohibuit apponi panem, eumque postulantibus, iussit renunciari, voluisse se illos commonefacere: bella sic geri debere, vt petatur hostis, non innocens turba agricolarum fame necetur, quorum segetes ipsi contra iura belli crudeliter vastassent, & frumentum iam importatum succensis pagis corrupissent. Eosdem tamen postea grandi redemptos pecunia dimisit.* Ab imperatoribus insuper Romanis quam-plurima priuilegia rusticis siue agricolis data sunt, quæ in Legum Codice & Principum constitutionibus reperiuntur: quod scilicet ruricolæ ad onera extraordinaria non sint trahendi; quod vinculis non sint cogendi à quouis creditore, nec aratoria instrumenta iure pignoris capienda; quod rusticorum debitores in duplum sint damnandi; quod ob vectigal prædiarium coloni à domino superiore non inquietandi; quod iuris ignorantia rusticis in multis rebus prosit; quod rustici testamentum non tot testes quot vrbici testamentum, vt firmũ sit, requirat; Rustico non currere tempus agnoscendæ bonorum possessioni præstitum; Rusticitatẽ deliberare à dolo & delicto

præ-

præsumpto. His adiice cereales Ferias & vindemiales, nec non iura præscriptionis vsusfructus, fundi, arborum in confinio positarum, pecorum. Et quod formulæ sublatæ sint in rusticorũ litibus. Et id genus priuilegia alia de quibus Renatus Choppius tres libros scripsit, quem tibi emere & legere poteris. Vides mi Iuli Porphyri, quod multi imperatores, reges, Principes, agriculturam Reip. summe necessariam, summé vtilem, summo pretio habuerint, agricolasquẽ optimis priuilegiis honorarint, prouiderint, extulerint.

CLXXXIII.

AD SANITATEM CORPORIS conducere agriculturam.

NEc opus esse puto, multis contextibus, agriculturæ laudes prolongare, cum ex prędictis mentem meam satis superque perspexeris, quapropter dissertationis meę de agricultura iam iam abrumperem, nisi pro conclusione de altera vtilitate, quæ ad corpus & animũ pertinet, pauca quædã adducere operæ pretiũ esse putarem. de qua re, cum excellẽtissimus Wolfgangus Seberus, in discursu suo Philosophico præclare scribit, vt hic non meis, sed ipsius verbis & ibi allegatis philosophorũ sententiis vtar, facile mihi concesseris? *Corpus*, inquit, *seruatur à morbis, & robur firmius contrahit.* Libanius in

Encomio agric. διαφεύγουσι δὲ καὶ τὰς πολυειδεῖς ταύτας νόσους, ἃς ἐντίκτει τὸ τρυφᾶν. ὑφ' ὧν ὁρῶμεν διαφθειρομένους τοὺς εὐδαίμονας καλουμένους. πρὶν γὰρ τοῦτο ἐκβαλεῖν τὸ ἀῤῥώστημα, ἕτερον προσέπεσε. καὶ εἰσὶ συνεχῶς ἐν χερσὶ τῶν ἰατρῶν. γεωργοῖς δὲ οὐδ' ἂν δέοι τῶν ἰατρῶν. τὸ γὰρ πονεῖν ἀεὶ περὶ γῆν, φρουρὰ τοῖς σώμασι. εἰ δὲ μέγιστον δὴ ἐν ἀνθρώποις ἡ ὑγεία. καὶ τοῦτο γεωργοῖς περιείληφεν (ἢ πριειλήφθη) *quin etiam multiplices morbos euitant, quos nimiæ pariunt deliciæ; & quibus confectos videmus eos, qui beati vocantur. Nam prius quã hæc inualitudo tollatur, altera superincidit. Ita perpetuo manibus egent medicorum Agricolis vero ne opus quidem fuerit medicis. Etenim quod semper in terra colenda se exercent, præsidium corporibus est. Quare robustiores sunt, quam vt morbi capiantur impetu. Si ergo maximum bonum sanitas habetur, eo sane fruuntur agricolæ.* Et plane ad eandem faciem: ὑγεία παρὰ γεωργοῖς συνεχεῖς γὰρ οἱ πόνοι. καὶ ἔστιν αὐτοῖς ἔργα καὶ θέρους καὶ χειμῶνος, καὶ τῶν ἄλλων ὡρῶν. τὸ γὰρ ἀεὶ κινεῖσθαι καὶ φιλοτεχνεῖν νοσήματα μὲν ἀποκλείει (al. ἀποκωλύει) τὸ ὑγιαίνειν δὲ διατηρεῖ. *Sanitas est agricolarum in laborum assiduitate, cum opus faciendum sit & in æstate, & hyeme, & aliis anni temporibus. Moueri autem continuo & artibus studere, morbos excludit, sanitatemq́ue custodit.* Itẽ: ἀφθονώτατ' ἀγαθὰ, οὐκ ἐᾷ ταῦτα μετὰ μαλακίας λαμβάνειν, ἀλλὰ ψύχη τε χειμῶνος, καὶ θάλπη θέρους ἐθίζει καρτερεῖν. καὶ τοὺς μὲν αὐτουργοὺς διὰ τῶν χειρῶν γυμνάζουσα ἰσχὺν αὐταῖς προστίθησι. τούς τε τῇ ἐπιμελείᾳ γεωργοῦντας ἀνδρίζει πρωὶ ἐγείρουσα, καὶ πορεύεσθαι σφοδρῶς ἀναγκάζουσα. *tum copiosissime bona subministret agricultura non sinit*

ta cum mollitia capi, sed ad hyemis frigora, & aestatis calores tolerandos consuefacit. Eadem illos qui manibus suis laborant; exercendo magis robustos efficit: alios vero qui cura sua colunt agrum, strenuos reddit, dum mane ipsos excitat, acriterque pergere cogit. Addit multo plura inter quę hæc: agriculturā alacres etiam promptosque reddere ad militiam; quod prolixe declarat; item [ἡ γεωργικὴ] καὶ πρὸς ἀνδρίαν συμβάλλεται μεγάλα. οὐ γὰρ, ὥσπερ αἱ βάναυσοι, τὰ σώματα ἀχρεῖα ποιοῦσιν, ἀλλὰ δυνάμεια θυραυλεῖν καὶ πονεῖν. ἔτι δὲ δυνάμενα κινδυνεύειν πρὸς τοὺς πολεμίους. μόνον γὰρ τούτων τὰ κτήματα ἔξω τῶν ἐρυμάτων ἐστὶ, *Agricultura*, vel res rustica, *etiam plurimum confert fortitudini. Non enim inutilia efficit corpora, sicut officina, sed ea, quae foris excubare valeant, & laborem ferre, atque etiam pericula adire ad hostes. Nam soli hi suas facultates extra munitiones habent.* Vid. & Polit. 6. cap. 4. vbi similiter de re pecuaria quoque. Marcus Cato princ. de re rustica: *ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur.* Columella lib. 1. *vera illa Romuli proles assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitata firmissimis praeualuit corporibus, ac militiā belli, cum res postulauit, facile sustinuit durata pacis laboribus. Non minus,* inquit Choppius, *plane agricultura sanis optimum corporis habitum, quam aegris sanitatem Medicina promittit,* vt cornelius Celsus inuit: quod Flaccus olim re expertus: *vbi me,* ait,

—— in montes & in arcem ex vrbe remoui,
nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auster:

autumnusque grauis, libitinæ quæstus acerbæ.
Hæ latebræ dulces, etiam, si credis, amœnæ
incolumem tibi me præstant Septembribus horis.

Atque adeo Romani ciues, cum nonis modo diebus vrbanas res vsurparent, reliquis septem versarentur in opere rustico, vtrumque consequebantur, vt & cultura agros feracissimos haberent, & ipsi valetudine essent firmiores, Vegetius demum (nam plures non addam) li. 1. c. 3. *Nunquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio & in labore nutritur: solis patiens, vmbræ negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara; simplicis animi; paruo contenta; duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo* de iure est.

CLXXXIV.

AD BONOS MORES CONducere agriculturarum.

NOn solum agricultura vtilitatem suam (extra illam, vt superius docuimus, quam Reipub. præbet) ad agricolarum corpus verum etiam ad animum & mores extendit: De qua re quam plurima hic recensere scribereque & possem & vellem, nisi iam supra vbi de agriculturæ honestate & dignitate egimus, id satis fecissem. Pro conclusione tamen huius amabilis atque iucundissimæ de agricultura materiæ, ex Xenophonte, Plutarcho, Menandro, Libanio, Petro Gregorio Tholosano, & Augustino, à Sebero citatas

citatas de hac re sententias hic attexam: Xenophon ita scribit: *καὶ τὰ ἤθη γενναιοτάτους, τοὺς αὐτῇ συνόντας ἡ γεωργία ἔοικε παρέχεσθαι, etiā mores quod attinet agricultura generosissimos efficere videtur illos, qui in ea versantur.* Indeque Plutarchus Numam scribit illam *μᾶλλον ὡς ἠθοποιὸν, ἢ πλουτοποιὸν τέχνην magis vt artem morum magistram quam vt cōciliatricem opulentia amplexum esse, secundum* Menandrum vero apud Stobæum:

ἀρετῆς ἐστιν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος
ἐλευθέρου τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις, ἀγρός.
Et sane virtutis & vita magister
ingenua cunctis hominibus ager.

His ac similibus Encomiis quoddam veluti fulcrum subdet Libanius; cuius verba hæc sunt. *μυρία μὲν οὖν ἐπιτηδεύματα καθ' ἀνθρώπους. ἄριστον δὲ ἡ γεωργία. τὸ γὰρ μέγιστον κέρδος δίδωσι τοῖς γεωργοῦσι. τοῦτο δέ ἐστιν αὐτοὺς ἀγαθοὺς εἶναι. ἀνὴρ γὰρ ἀρότρῳ προσκείμενος, καὶ περὶ τὴν γῆν ἐσπουδακὼς, πόρρω μὲν ἀγορᾶς, καὶ τῆς ἐν ἀγορᾷ φιλονεικίας. πόρρω δὲ δικαστηρίων, καὶ τῶν ἐν δικαστηρίοις συκοφαντικῶν πόρρω δὲ ἐκκλησίας. καὶ τῶν ἀπ' ἐκκλησίας θορύβων, οὐ γραφόμενος, οὐ ψευδόμενος, οὐ φεύγων, οὐ τὰ ψευδῆ μαρτυρῶν, οὐ τὴν ἴσην, ἀντ' ἀπόδοσιν ἀπαιτῶν. οὐδὲ ἐργαζόμενος χρήματα, ἐξ ὧν ἕτερον συμφοραῖς περιέβαλεν. ἀλλὰ σπείρας, καὶ τὰ ἄλλα ποιήσας, ὁπόσα περὶ τὰ φυτὰ περιμένει τὴν ὥραν, καὶ τὸν ἐκεῖθεν πόρον μετὰ μὲν εὐχῶν καταβάλλων τὰ σπέρματα. τῶν δὲ καρπῶν*

ἀπαρχόμενος τοῖς δεδωκόσι θεοῖς. φιλοπραγμοσύνης ὅτι πλεῖστον ἀπελθὼν ἅτε ἐν βουσὶ καὶ προβάτοις καὶ αἰξὶ διατρίβων. ὥστε μοὶ δοκοῦσι καὶ ῥᾶον τυγχάνειν τῶν θεῶν, ἡνίκα ἂν αὐτοὺς καλῶσιν αἰτοῦντες ἑαυτοῖς ἀγαθά. οὐ γὰρ δὴ ἑτέροις κακά. καὶ μὴν καὶ σωφροσύνην παρὰ τοῖς γεωργοῦσι μάλιστα ἂν εὕροιμεν. οὐ γὰρ δὴ ἑταῖραι καὶ κῶμοι καὶ προαγωγοὶ καὶ μέθαι πρὸς ἀφροδίτην αὐτοὺς ἐρεθίζουσιν. οὐ γὰρ ἀγρῶν ταῦτα ἐπιχώρια, Cũ innumeræ sint hominum occupationes & studia: omnium certe optimum est agricolatio. Maximum siquidem agricolis questum affert: cum eos videlicet bonos efficit. Nam qui arationi incumbit, & agri colendi studio tenetur, procul quidem abest à foro, & contentione forensi: procul etiam à prætoriis & prætoriorum calumniis: procul vero à concione, & tumultibus concionis: non defert, non mentitur, non in ius vocatur, non falsum testimonium perhibet, non remunerari vicissim postulat, nõ parandis inhiat pecuniis ex quibus alteri periculum creet, verum post sementem aliamque operam, quam in stirpibus colendis impendit, anni tempestatem & prouentum annuũ expectat. Et cum precibus quidem ac votis semina terræ mandat: frugum vero fructuumque primitias, diis, qui largiti sunt, offert. A negotiis aliis facessendis quam longissime absistit: quippe qui inter boues, oues, & capras versatur. Quapropter id genus hominum mihi videtur facilius Deos exorare, cum ipsos inuocant & honesta sibi poscunt. Neque enim vnquã aliis imprecantur mala. Præterea Temperantiam & continentiam ab agricolis potissimum coli animaduertas. Nam meretrices, commessationes, lenones, crapula, minime ipsos

me ipsos stimulant ad res venereas. Siquidem hæc ruri affinia non sunt. Verum addo tamen verbis Petri Greg. Tholosani: *Hæc priscis maxime obtinuerunt temporibus verum ætatis posterioribus degenerauit probitas rusticorum, & indies fiunt peiores* &c. Item: *obseruare oportet mores regionum, & distinguere prisca à nouis, siquidem vita hominum priorum, vt erat minus corrupta, & fuit innocens magis; sic & erat contenta laboribus propriis, & prouentibus quos sibi ex agrorum cultura parabant rusticæ vitæ intenti, sine inuidia & ambitione possessione & acquisitione naturali, cum voluptate honesta coniuncta, contenti. Nunc sunt plerumque mancipia serui, coloni, mercenarii, in exsugendis potius, quam colendis aruis intenti, quia ad illos de conseruandis ac emendandis illis non pertinet & facile dominos fallunt: Variæ inter illos fraudes in heros, seu dominos proprietatis, ad intercipiendas pensiones; in vicinos, ad terminos submouendos: & in emptores rerum suarum promercalium. Tantumque vafricies eorum creuit, vt stulta superbia intumescant, & agresti modo & Deum & homines contemnant, vt rusticitatis appellatione plerunque superbia significetur, & perfidia &c.* Noti sunt & versi.

Rusticus inflatur nimium, si sæpe rogatur.
Rustica gens est optima flens, & pessima ridens,
Vngentem pungit, pungentem rusticus vngit.

Hæc ita esse est testis experientia, sed in ipsa interim agricultura nō magis culpa; quam in Medicina, quod ægrotus, qui ea non recte vtitur, haud cōualescit. Concludam igitur verbis Augustini in Ps. 70. Tametsi magis scopus ei de negotiatoribus agere: Sic autem inquit: *Quomodo*

pacis: sic & laboris & requiei, sic & seriorum studiorum, & recreationum esse debet. Relaxatio studiorum danda est animo, sed danda, non vt ille relaxetur, sed vt remittatur. *Vt in vita, sic in studiis quoque pulcherrimum.* (Plinius scribit) *atque humanissimum est, seueritatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hac in petulantiam abeat. Non in eadem intentione æqualiter retinenda mens est; sed ad iocos* (inquit & docet Seneca) *reuocanda: Danda est remissio animis, meliores acrioresque requieti resurgunt; Nascitur ex assiduitate laborum animi hebetatio quædam, & languor: Indulgentium,* inquit Romanus sapiens, *est animo, dandumque subinde otium, quod alimeti & virium loco sit: & in ambulationibus apertis vagandum, vt cœlo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus. Post secundos,* scribit Petrarcha, *ingenii successus, & egressu facili in syluas & loca virentia, nihil esse Musis amicius, queruli amnis in ripam grauedinem posse fatigationem deponi, nec ideo minus in aruum ingenii rerum semina mitti, & inter ipsum quietis reparandique animi tempus venturo labori materiam præparari;* vtile simul & iucundum opus, & actuosa requies, & quietus labor, vt cum ad angustam illam Demosthenis ac secretã aream reditum fuerit, sententiarum semẽ em inutilibus excusis votiua verborum messis æquiparet, atque ita nullum studio tempus iners aut inane præterfluat. Experimur quoque ad motum alacrius corpus defatigatum redire, breuia quietis inter interualla si interuenerint. Hac causa optime facere videmur, si lusibus, iocis, iucundisq; colloquiis

cum

eum tot Dei creaturis ſtudia grauiora & triſtiora diſtinguamus, ac per hoſce dies otium noſtrum in his collocemus, quod alii otioſiſſimis, frigidiſſimis & vitioſiſſimis occupationibus perdunt.

CLXXXVI.

VIGESIMA DEAMBVLAtionum Ruralium vtilitas: Bonæ valetudinis conſeruatio.

IPſum denique hominis corpus ex iſtiuſmodi itionibus & ſuas trahit vtilitates atque commoda: corporis ſic robur augetur: corpora pura redduntur: corporis indurantur inſtrumenta; natiuus calor augetur, qui contra quiete & otio deſtruitur: valetudo ita conſeruatur, dum humores craſſi conſumuntur: atque imbecilitas à morbo contracta depellitur: Et ſcribit de ſe Seneca, quod catarrhis & deſtillationibus, à quibus affligebatur, ſolitus fuerit deambulatione ſuccurrere. Adiice quod deambulationes ventriculum cibos facile digerentem reddant. Quare Socrates interrogatus, cur ita crebro deambularet? Se ita tamen obſonare recte reſpondit. Ob has enumeratas rationes Ægyptiorum Rex Amaſis Ægyptiis mandauit, ne prius cibum iuuenes caperent, quam centum & octoginta ſtadia percurriſſent. Hic Auguſtus & Adrianus

Impp.

adiiciam illud de Friderico Comite Palatino Rheni. *Is igitur* (verbis vtor Seberi) *commisso prælio non procul ab Heidelberga tres Principes cepit, Carolum March. Badensem, Iohannem eius fratrem Episcopum Mediomatricum, & Huldericum Comitem VVirtembergensem, defensores Adolphi Nassauiensis, qui à Rom. Pontifice designatus erat Archiepiscopus Moguntiæ, contra Dietherum comitem Henbergensem, quibus in arcem deductis & exceptis conuiuio Principibus digno, prohibuit apponi panem, eumque postulantibus, iussit renunciari, voluisse se illos commonefacere: bella sic geri debere, vt petatur hostis, non innocens turba agricolarum famenecetur, quorum segetes ipsi contra iura belli crudeliter vastassent, & frumentum iam importatum succensis pagis corrupissent. Eosdem tamen postea grandi redemptos pecunia dimisit.* Ab imperatoribus insuper Romanis quam-plurima priuilegia rusticis siue agricolis data sunt, quæ in Legum Codice & Principum constitutionibus reperiuntur: quod scilicet ruricolæ ad onera extraordinaria non sint trahendi; quod vinculis non sint cogendi à quouis creditore, nec aratoria instrumenta iure pignoris capienda; quod rusticorum debitores in duplum sint damnandi; quod ob vectigal prædiarium coloni à domino superiore non inquietandi; quod iuris ignorantia rusticis in multis rebus prosit; quod rustici testamentum non tot testes quot vrbici testamentum, vt firmũ sit, requirat; Rustico non currere tempus agnoscendæ bonorum possessioni præstitum; Rusticitatẽ deliberare à dolo & delicto

præ-

præsumpto. His adiice cereales Ferias & vindemiales, nec non iura præscriptionis vsusfructus, fundi, arborum in confinio positarum, pecorum. Et quod formulæ sublatæ sint in rusticorũ litibus. Et id genus priuilegia alia de quibus Renatus Choppius tres libros scripsit, quem tibi emere & legere poteris. Vides mi Iuli Porphyri, quod multi imperatores, reges, Principes, agriculturam Reip. summe necessariam, summè vtilem, summo pretio habuerint, agricolasquè optimis priuilegiis honorarint, prouiderint, extulerint.

CLXXXIII.

AD SANITATEM CORPORIS conducere agriculturam.

NEc opus esse puto, multis contextibus, agriculturæ laudes prolongare, cum ex prædictis mentem meam satis superque perspexetis, quapropter dissertationis meę de agricultura iam iam abrumperem, nisi pro conclusionẽ de altera vtilitate, quæ ad corpus & animũ pertinet, pauca quædã adducere operæ pretiũ essẽ putarem. de qua re, cum excellẽtissimus Wolfgangus Seberus, in discursu suo Philosophico præclare scribit, vt hic non meis, sed ipsius verbis & ibi allegatis philosophorũ sententiis vtar, facile mihi concesseris? *Corpus*, inquit, *seruatur à morbis, & robur firmius contrahit.* Libanius in

 διαφεύγουσι δὲ καὶ τὰς πολυειδεῖς ταύτας νόσους, ἃς ἐντίκτει τὸ τρυφᾷν. ὑφ' ὧν ὁρῶμεν διαφθειρομένους τοὺς εὐδαίμονας καλουμένους. πρὶν γὰρ τοῦτο ἐκβαλεῖν τὸ ἀῤῥώστημα, ἕτερον προσέπεσε. καὶ εἰσὶ συνεχῶς ἐν χερσὶ τῶν ἰατρῶν. γεωργοῖς δὲ οὐδ' ἂν δέοι τῶν ἰατρῶν. τὸ γὰρ πονεῖν ἀεὶ περὶ γῆν, φρουρὰ τοῖς σώμασι. εἰ δὲ μέγιστον δὴ ἐν ἀνθρώποις ἡ ὑγεία. καὶ τοῦτο γεωργοῖς περιείληφεν (ἢ πριειλήφθη) *quin etiam multiplices morbos euitant, quos nimia pariunt deliciæ; & quibus confectos videmus eos, qui beati vocantur. Nam prius quã hæc inualitudo tollatur, altera superincidit. Ita perpetuo manibus egent medicorum. Agricolis vero ne opus quidem fuerit medicis. Etenim quod semper in terra colenda se exercent, præsidium corporibus est. Quare robustiores sunt, quam vt morbi capiantur impetu. Si ergo maximum bonum sanitas habetur, eo sane fruuntur agricolæ.* Et plane ad eandem faciem: ὑγεία παρὰ γεωργοῖς συνεχεῖς γάρ οἱ πόνοι. καὶ ἔστιν αὐτοῖς ἔργα καὶ θέρους καὶ χειμῶνος, καὶ τῶν ἄλλων ὡρῶν. τὸ γὰρ ἀεὶ κινεῖσθαι καὶ φιλοτεχνεῖν νοσήματα μὲν ἀποκλείει (al. ἀποκωλύει) τὸ ὑγιαίνειν δὲ διατηρεῖ. *Sanitas est agricolarum in laborum assiduitate, cum opus faciendum sit & in æstate, & hyeme, & aliis anni temporibus. Moueri autem continuo & artibus studere, morbos excludit, sanitatemque custodit.* Itẽ: ἀφθονώταθ' ἀγαθὰ, οὐκ ἐᾷ ταῦτα μετὰ μαλακίας λαμβάνειν, ἀλλὰ ψύχη τε χειμῶνος, καὶ θάλπη θέρους ἐθίζει καρτερεῖν. καὶ τοὺς μὲν αὐτουργοὺς διὰ τῶν χειρῶν γυμνάζουσα ἰσχὺν αὐταῖς προστίθησι. τούς τε τῇ ἐπιμελείᾳ γεωργοῦντας ἀνδρίζει πρωῒ ἐγείρουσα, καὶ πορεύεσθαι σφοδρῶς ἀναγκάζουσα. *tum copiosissime bona subministret agricultura non sinit*

ra cum mollitia capi, sed ad hyemis frigora, & æstatis calores tolerandos consuefacit. Eadem illos qui manibus suis laborant; exercendo magis robustos efficit: alios vero qui cura sua colunt agrum, strenuos reddit, dum mane ipsos excitat, acriterque pergere cogit. Addit multo plura inter quę hæc; agriculturā alacres etiam promptosque reddere ad militiam; quod prolixe declarat; item [ἡ γεωργικὴ] καὶ πρὸς ἀνδρίαν συμβάλλεται μεγάλα. οὐ γὰρ, ὥσπερ αἱ βάναυσοι, τὰ σώματα ἀχρεῖα ποιοῦσιν, ἀλλὰ δυνάμεια θυραυλεῖν καὶ πονεῖν. ἔτι δὲ δυνάμενα κινδυνεύειν πρὸς τοὺς πολεμίους. μόνον γὰρ τούτων τὰ κτήματα ἔξω τῶν ἐρυμάτων ἐστὶ, *Agricultura*, vel res rustica, *etiam plurimum confert fortitudini. Non enim inutilia efficit corpora, sicut officina, sed ea, quæ foris excubare valeant, & laborem ferre, atque etiam pericula adire ad hostes. Nam soli hi suas facultates extra munitiones habent.* Vid. & Polit. 6. cap. 4. vbi similiter de re pecuaria quoque. Marcus Cato princ. de re rustica: *ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur.* Columella lib. 1. *vera illa Romuli proles assiduis venatibus, nec minus agrestibus operibus exercitata firmissimis prævaluit corporibus, ac militiā belli, cum res postulauit, facile sustinuit durata pacis laboribus.* Non minus, inquit Choppius, *plane agricultura sanis optimum corporis habitum, quam ægris sanitatem Medicina promittit*, vt cornelius Celsus inuit: quod Flaccus olim re expertus: *vbi me*, ait,

—— in montes & in arcem ex vrbe remoui,
nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auster:

autumnusque grauis, libitinæ quæstus acerbæ.
Hæ latebræ dulces, etiam, si credis, amœnæ
incolumem tibi me præstant Septembribus horis.

Atque adeo Romani ciues, cum nonis modo diebus vrbanas res vsurparent, reliquis septem versarentur in opere rustico, vtrumque consequebantur, vt & cultura agros feracissimos haberent, & ipsi valetudine essent firmiores. Vegetius demum (nam plures non addam) li. 1. c. 3. *Nunquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio & in labore nutritur: solis patiens, vmbræ negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara; simplicis animi; paruo contenta; duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo* de iure est.

CLXXXIV.

AD BONOS MORES CONDUCERE agriculturarum.

NOn solum agricultura vtilitatem suam (extra illam, vt superius docuimus, quam Reipub. præbet) ad agricolarum corpus verum etiam ad animum & mores extendit: De qua re quam plurima hic recensere scribereque & possem & vellem, nisi iam supra vbi de agriculturæ honestate & dignitate egimus, id satis fecissem. Pro conclusione tamen huius amabilis atque iucundissimæ de agricultura materiæ, ex Xenophonte, Plutarcho, Menandro, Libanio, Petro Gregorio Tholosano, & Augustino, à Sebero citatas

citatas de hac re sententias hic attexam: Xenophon ita scribit: καὶ τὰ ἤθη γενναιοτάτους, τοὺς αὐτῇ συνόντας ἡ γεωργία ἔοικε παρέχεσθαι, *etiam mores quod attinet agricultura generosissimos efficere videtur illos, qui in ea versantur.* Indeque Plutarchus Numam scribit illam μᾶλλον ὡς ἠθοποιὸν, ἢ πλουτοποιὸν τέχνην *magis vt artem morum magistram quam vt conciliatricem opulentiæ amplexum esse*, *secundum* Menandrum vero apud Stobæum:

ἀρετῆς ἐστιν ἀρετῆς & βίου διδάσκαλος
ἐλευθέρου τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις, ἀγρός.
Et sane virtutis & vitæ magister
ingenuis cunctis hominibus ager.

His ac similibus Encomiis quoddam veluti fulcrum subdet Libanius; cuius verba hæc sunt. μυρία μὲν οὖν ἐπιτηδεύματα κατ᾽ ἀνθρώπους. ἄριστον δὲ ἡ γεωργία. τὸ γὰρ μέγιστον κέρδος δίδωσι τοῖς γεωργοῦσι. τοῦτο δέ ἐστιν αὐτοὺς ἀγαθοὺς εἶναι. ἀνὴρ γὰρ ἀρότρῳ προσκείμενος, καὶ περὶ τὴν γῆν ἐσπουδακώς, πόρρω μὲν ἀγορᾶς, καὶ τῆς ἐν ἀγορᾷ φιλονεικίας. πόρρω δὲ δικαστηρίων, καὶ τῶν ἐν δικαστηρίοις συκοφαντικῶν πόρρω δὲ ἐκκλησίας. καὶ τῶν ἀπ᾽ ἐκκλησίας θορύβων, οὐ γραφόμενος, οὐ ψευδόμενος, οὐ φεύγων, οὐ τὰ ψευδῆ μαρτυρῶν, οὐ τὴν ἴσην, αὐτ᾽ ἀπόδοσιν ἀπαιτῶν. οὐδὲ ἐργαζόμενος χρήματα, ἐξ ὧν ἕτερον συμφοραῖς περιέβαλεν. ἀλλὰ σπείρας, καὶ τὰ ἄλλα ποιήσας, ὁπόσα περὶ τὰ φυτὰ περιμένει τὴν ὥραν, καὶ τὸν ἐκεῖθεν πόρον μετὰ μὲν εὐχῶν καταβάλλων τὰ σπέρματα. τῶν δὲ καρπῶν

ἀπαρχόμενος τοῖς δεδωκόσι θεοῖς. φιλοπραγμοσύνης ὅτι πλεῖστον ἀπελθὼν ἅτε ἐν βουσὶ καὶ προβάτοις καὶ αἰξὶ διατρίβων. ὥστε μοὶ δοκοῦσι καὶ ῥᾷον τυγχάνειν τῶν θεῶν, ἡνίκα ἂν αὐτοὺς καλῶσιν αἰτοῦντες ἑαυτοῖς ἀγαθά. οὐ γὰρ δὴ ἑτέροις κακά. καὶ μὴν καὶ σωφροσύνην παρὰ τοῖς γεωργοῦσι μάλιστα ἂν εὕροιμεν. οὐ γὰρ δὴ ἑταῖραι καὶ κῶμοι καὶ προαγωγοὶ καὶ μέθαι πρὸς ἀφροδίτην αὐτοὺς ἐρεθίζουσιν. οὐ γὰρ ἀγροῖν ταῦτα ἐπιχώρια, *Cũ innumeræ sint hominum occupationes & studia: omnium certe optimum est agricolatio. Maximum siquidem agricolis quæstum affert: cum eos videlicet bonos efficit. Nàm qui arationi incumbit, & agri colendi studio tenetur, procul quidem abest à foro, & contentione forensi: procul etiam à prætoris & prætoriorum calumniis: procul vero à concione, & tumultibus concionis: non defert, non mentitur, non in ius vocatur, non falsum testimonium perhibet, non remunerari vicissim postulat, nõ parandis inhiat pecuniis ex quibus alteri periculum creet, verum post sementem aliamque operam, quam in stirpibus colendis impendit, anni tempestatem & prouẽtum annuũ expectat. Et cum precibus quidem ac votis semina terræ mandat: frugum vero fructuumque primitias, diis, qui largiti sunt, offert. A negotiis aliis facessendis quam longissime absistit: quippe qui inter boues, oues, & capras versatur. Quapropter id genus hominum mihi videtur facilius Deos exorare, cum ipsos inuocant & honesta sibi poscunt. Neque enim vnquã aliis imprecantur mala. Præterea Temperantiam & continentiam ab agricolis potissimum coli animaduertas. Nam meretrices, commessationes, lenones, crapula, minime ipsos*

me ipsos stimulant ad res venereas. Siquidem hæc ruri affinia non sunt. Verum addo tamen verbis Petri Greg. Tholosani: *Hæc priscis maxime obtinuerunt temporibus verum ætatis posterioribus degenerauit probitas rusticorum, & indies fiunt peiores* &c. Item: *obseruare oportet mores regionum, & distinguere prisca à nouis, siquidem vita hominum priorum, vt erat minus corrupta, & fuit innocens magis; sic & erat contenta laboribus propriis, & prouentibus quos sibi ex agrorum cultura parabant rusticæ vitæ intendi, sine inuidia & ambitione possessione & acquisitione naturali, cum voluptate honesta coniuncta, contenti. Nunc sunt plerumque mancipia serui, coloni, mercenarii, in exsugendis potius, quam colendis aruis intenti, quia ad illos de conseruandis ac emendandis illis non pertinet & facile dominos fallunt: Variæ inter illos fraudes in heros, seu dominos proprietatis, ad intercipiendas pensiones; in vicinos, ad terminos submouendos: & in emptores rerum suarum promercalium. Tantumque vafricies eorum creuit, vt stulta superbia intumescant, & agresti modo & Deum & homines contemnant, vt rusticitatis appellatione plerunque superbia significetur, & perfidia &c.* Noti sunt & versi.

Rusticus inflatur nimium, si sæpe rogatur.
Rustica gens est optima flens, & pessima ridens,
Vngentem pungit, pungentem rusticus vngit.

Hæc ita esse est testis experientia, sed in ipsa interim agricultura nō magis culpa; quam in Medicina, quod ægrotus, qui ea non recte vtitur, haud cōualescit. Concludam igitur verbis Augustini in Ps. 70. Tametsi magis scopus ei de negotiatoribus agere: Sic autem inquit: *Quomodo*

 reuoc.s

reuocas à negotiatione? an vt agricola sim & aduersus Deum tonantem murmurē, vt grandinem timēs sortilegum consulam, vt quæram, quid faciam contra cœlum, vt optem pauperibus famem, quo poßim vendere, quod seruaui? Ad hoc me adducis? Sed non ea faciunt, inquit, Agricolæ boni, Nec illa negociatores boni &c. Ista hominum non rerum peccata sunt. Huc vsque mi Iuli Porphyri de agricultura agricolisque in nostris ruri obambulationibus, nostras meditationes, & ruminationes quodāmodo aperuimus, ausamque satis superque sufficientem tibi præbuimus Philosophandi, cogitandi, considerandi; ex quibus videris, quid vtilitatis ex deambulationibus Philosophans animus trahat, quid in apricis campis meditetur, in latis lætisque pratis secum loquatur, in opacis, frondifluis, querulisque syluis, speculetur, contempletur, scrutetur.

CLXXXV.

DECIMA NONA DEAMBVLationum Ruralium vtilitas: alacritatis in studiis excitatio.

AD deambulationum vtilitates porro & hoc referendum, quod alacritatem in studiis, quæ domi fiunt, excitent; fastidiumque illud, quod ex nimia studiorum oriri continuatione solet leuent. Huc quoque referendum illud Ouidii, ep. 4.

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Et, Senecæ.

Detur aliquando otium, quiesque fessis

Et

Et Ouidii loco iam citato.

Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

Et iterum:

Arcus & arma tua tibi sunt imitanda Diana,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Et illud:

———— Maior post otia virtus,
πόνος σχολὴν ἔφυσε, καὶ σχολὴ πόνον.
Labor otium parit, & quies laborem.

Hinc est, quod tales obambulationes tristitiæ & melancholiæ medicinę vocentur. Idem obseruamus in rebus illis inanimatis, nec non animalibus ratione carẽtibus. Lyræ & testudinis cordę ex remissione cõseruantur; assidua intentione franguntur. Nouales licet alternis interquiescant annis, cessationem tamen vbertate compensant; Redduntur fœliciter magnoque cum fœnore semina credita agro requieto aliquandiu si manserint. Arcus quandoque remittitur, vt post melius intendatur. Non habenas semper adducunt, sed remittunt interdum equis, qui vtuntur. Volucres procreationis atque vtilitatis suæ causa nidos figunt, texunt atque conficiunt, & cum aliquid effecerunt leuandi causa laboris, passim & libere per aerẽ volitãt. Eadem ratio est cum nostris animis, qui negotiis atq; opere defessi gestiunt, & volitare cupiunt cura & labore vacui. Et ita comparatũ in ipsa natura esse videtur; vt in omnib. rebus mutuę sint vices. Est vicissitudo æstus & frigoris, vigilię & somni, diei & noctis, tempestatis & serenitatis, belli & pacis

pacis: sic & laboris & requiei, sic & seriorum studiorum, & recreationum esse debet. Relaxatio studiorum danda est animo, sed danda, non vt ille relaxetur, sed vt remittatur. *Vt in vita, sic in studiis quoque pulcherrimum.* (Plinius scribit) *atque humanissimum est, seueritatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam abeat. Non in eadem intentione æqualiter retinenda mens est; sed ad iocos* (inquit & docet Seneca) *reuocanda: Danda est remissio animis, meliores acrioresque requieti resurgunt; Nascitur ex assiduitate laborum animi hebetatio quædam, & languor: Indulgentium*, inquit Romanus sapiens, *est animo, dandumque subinde otium, quod alimẽti & virium loco sit: & in ambulationibus apertis vagandum, vt cœlo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus. Post secundos*, scribit Petrarcha, *ingenii successus, & egressu facili in syluas & loca virentia, nihil esse Musis amicius, queruli amnis in ripam grauedinem posse fatigationem deponi, nec ideo minus in aruum ingenii rerum semina mitti, & inter ipsum quietis reparandique animi tempus venturo labori materiam præparari*; vtile simul & iucundum opus, & actuosa requies, & quietus labor, vt cum ad angustam illam Demosthenis ac secretã aream reditum fuerit, sententiarum semẽ em inutilibus excusis votiua verborum messis æquiparet, atque ita nullum studio tempus iners aut inane præterfluat. Experimur quoque ad motum alacrius corpus defatigatum redire, breuia quietis inter interualla si interuenerint. Hac causa optime facere videmur, si lusibus, iocis, iucundisq; colloquiis cum

eum tot Dei creaturis studia grauiora & tristiora distinguamus, ac per hosce dies otium nostrum in his collocemus, quod alii otiosissimis, frigidissimis & vitiosissimis occupationibus perdunt.

CLXXXVI.

VIGESIMA DEAMBVLAtionum Ruralium vtilitas: Bonæ valetudinis conseruatio.

IPsum denique hominis corpus ex istiusmodi itionibus & suas trahit vtilitates atque commoda: corporis sic robur augetur: corpora pura redduntur: corporis induratur instrumenta; natiuus calor augetur, qui contra quiete & otio destruitur: valetudo ita conseruatur, dum humores crassi consumuntur: atque imbecilitas à morbo contracta depellitur: Et scribit de se Seneca, quod catarrhis & destillationibus, à quibus affligebatur, solitus fuerit deambulatione succurrere. Adiice quod deambulationes ventriculum cibos facile digerentem reddant. Quare Socrates interrogatus, cur ita crebro deambularet? Se ita tamen obsonare recte respondit. Ob has enumeratas rationes Ægyptiorum Rex Amasis Ægyptiis mandauit, ne prius cibum iuuenes caperent, quam centum & octoginta stadia percurrissent. Hic Augustus & Adrianus

Impp.

Impp. in castris quoque exercere se milites voluerunt ambulando.

CLXXXVII.

EPILOGVS.

DE hac lætissima & latissima materia plura scribere & possem & vellem, nisi te, mi Iuli Porphyri, nimis longa scriptione à publicis curis distraherem, & sic tuo erga scripta mea amore abuterer. Verum idem hic mihi plane accidit, quod vsu iis venire solet, qui in multas simul feras incidunt, eoque sæpe deueniunt; vt aut iusto diutius in syluis hæreant, aut erroribus aut labyrinthis auiorum inuoluti, plane à locis auellantur. Tantus ardor & feruor, tantus materiæ amor est, vt cum multa dixerim, longe plura se offerant; putabam epistolam scribere; librum scripsi, sed studio consulendum est. Receptui ergo canam, subsistam, & sermonis mei filum disrumpam. Tu, qui studiorum cœlorumque amœnitates amare, sectari & admirari consueuisti, erga syluestres campestres & rurales res nostro amori, qui sermonis nostri longioris telæ vera causa, ignosce, deque studio suo diffusius differenti, veniam dandam nosce; Haud minus indulgebis ruranti Philosopho, quam militi, quam nautæ, quorum ille multus est in memorandis bellorum suorum vulnerumque: hic in describendis nauigationum suarum casibus & fatis:

& fatis: Atque hosce nostros ludos æquo bonoque animo accipe ac interpretare. Lusimus enim ista, non scripsimus; nec tam ad Cleanthis, quam Aristippi lucernam commentati sumus. Tibi hæc mea ruralia oblectamenta, delicias & gaudia scribere volui, vt publicis curis lassus, animum tali lectiuncula recreare & refricare modumque meum cum Dei creaturis Philosophandi videre, & si placuerit, imitari possis: vtque nunquam meo exemplo, moreque meo minus otiosus esse discas, quam cum otiosus sis, minusue solus, quam cum solus; sed semper otiosus, nisi dum otiosus; semper solus, nisi dum solus. Causam alteram huius scriptionis ex hisce Architæ Tarentini percipies verbis: *Etiamsi,* inquit ille, *Dei gratia concessum alicui esset vt cælos ascendere, & mundo huius naturam ac stellarum pulchritudinem contemplari liceret: mirabilem tamen contemplationem illam minus ei gratam futuram, si non haberet postea, cum quo ea, quæ vidisset communicaret.* Adiice & illud prouerbium: *inter thesaurum absconditum & sapientiam occultam nihil esse discriminis: Et qui sibi solis sapiunt, similes esse auaris qui thesaurum possident, sed non habent: atque nullius pretii censendam musicam, quæ non auditur.*

Obambulationes rurales & syluestres, nec non solitudinē cum Africano illo & Petrarcha volo nō solam; otium nō iners, nec inutile, sed quod è solitudine prosit multis; qui enim otiosi prorsus, languidi & segnes & soli sunt, eos

mœstos semper miserosque consentio, quibus nec honesti actus exercitiũ, nec nobilium studiorum illustriumq; nominum possit esse commercium. Nec proprio iudicio scientiæ, vt ille dicit; sibi comparatæ tuto quis potest acquiescere; nisi & aliis eam cognoscendam det, & ab intelligentibus probari sentiat. Ego (vt Seneca ad Lucilium scribit,) cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudio aliquid discere; vt doceam. Mutuo ista fiunt & homines, dum docent, discunt; nec me vlla res delectabit, licet eximia sit & salutaris; quam mihi vni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reiiciã. Nullius boni sine socio iocunda possessio est. Hæc igitur summa est: (verba sunt Petrarchæ) *admitto ad otium, non hæc vento mobiliora, sed mansura negotia, quorum finis est non labor, non quæstus & dedecus: sed delectatio, & virtus, & gloria. Corpori, non animo ferias indico, veto in ocio ingenium quiescere, nisi vt assurgat & intermissione fœcundius fiat. Solet enim, vt aruis, sic ingeniis intermissio prodesse, rursus & generosas curas in solitudinem non tantum recipio, sed arcesso, quarũ comitatu nullus omnino facilior, nullus amœnior fingi potest, & sine quo misera vita est, æque vel in vrbibus vel in syluis.* Libros præterea diuersi generis & simul per quos, aut de quibus scripti sunt, comites gratos & assiduos, & promptos, vel in publicum prodire, vel ad arculum redire, cum iussetis paratosque semper vel tacere, vel loqui, & esse domi, & communicari in nemora, & pe-
tegri-

regrinari, & rusticari, & confabulari, & iocari & hortari, & solari & monere, & arguere, & consulere, & docere secreta rerum, monimenta gestorum, vitæ regulam mortisque contemptum, modestiam in prosperis, fortitudinem in aduersis, æquabilitatem in actionibus atque constantiam. Comites lætos, doctos, humiles at facundos, sine tædio, sine impendio, sine querela, sine murmure, sine inuidia, sine dolo: Te interim, mi Iuli Porphyri, quæso, vt peractis quæ agenda fuerint, saluo iam & composito die mecum, vel hodie, vel cras amœno & ridenti sub cœlo deambules, & de ruralibus politicisque rebus confabuleris. Cesso hic, manum calamumque sisto atque ad finem hoc sapientis Belgæ attexo: *Humiles istæ & plebeiæ animæ domi resident: illa diutior est, quæ cœlum imitatur & gaudet motu.* Optime Iuli Porphyri, vale, &c:

——— ——————— annis perennibus vige,

Viue vt decet pie vt meritus diu.

Ego vero hanc meam dissertationem cum vero Dei vate Rege Dauide exclamans claudam; *IEHOVA, Domine noster, quam magnum & admirabile est nomen tuum per vniuersam terram!*

Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius.
Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ lucentes.
Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ super cœlos sunt.

Laudate nomen Domini, quia ipse mandauit, & creata sunt: statuit ea in seculum, & in seculum seculi praeceptum posuit, & non praeteribit.

Laudate Dominum de terra cete & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri.

Bestiae & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennata.

Reges terrae & omnes populi, Principes & omnes iudices terrae.

Iuuenes & virgines senes cum iunioribus.

Omnis denique Spiritus laudet DOMINVM.

HALLELVIA.

MAN-

MANTISSA
ID EST,
LEGES ET EDICTA HORTENSIA, AB

authore collecta & huc adiecta.





IANVS QVADRIFRONS CVSTOS

Horti Scholtziani ad Hospitem:

QVi quadriformem quadrifrontem me vides,
ridere noli, noli item mirarier:
Sum IANVS antiquissimos inter Deum.
Istius Horti curam, & huius Pergulæ
Tutelam herus me orauit: exhibeo lubens,
Quia me colit, quia thure, vel vino mihi,
Libo, aut corolla, aut semper aliqui supplicat.
Condigno honori reddo condignam vicem.
Inspicio quoquo versus hortum: id sedulo;
Mage sedulo eccam tueor istam pergulam.
Non limini adsto; sed locum hic medium occupo:
Hinc seruo, veterem migro consuetudinem:
Sic vult herus, sic ipse melius censeo.
Prospectus hinc quamcunque mi in partem patet
Per ianuam quamcunque. Sunt hæ quatuor;
Hac nempe causa factus ipsius quadrifrons.
Nam vulgus ante hac modò bifrontem nouerat.
Sed vulgus ignarum nec illud nouerit,
Quadriforis exemplum hoc ad ipsum pergulæ,
Ianos fuisse antiquitus creberrimos,
Ianos patentes transitu quadruplici,

Tu

Tu noueris, docte hospes; & Ianum tamen
Me duplicem malis vocare, an simplicem
Sed bis bifrontem cœcum ego haud interdum,
Tuus arbitratus sit; ego controuersiam
Non mouero vlli; nemo sed litem mihi,
Nemo alteri faciat volo causa mea.
Hoc ergo primum edico; nunc alia accipe,
Ipsa prius de pergula, mox de Hortulo.
Huc ingredi quiuis, caue te, postules.
Nisi herilibus qui sunt initiati sacris,
Musarum, id est, & Phœbi, & Asclepi, sacris,
Et Gratiarum, & Veneris, & Flore sacris;
Exesse iubeo, liminique absistere.
Odi profanum vulgus, & procul arceo,
Hæc Pergula ædes est, sacellum est, hic herus
Studiorum habet domicilium, habet Sapientiæ:
Naturæ in hoc arcana scrutari solens,
Noua, mira quærens, ante nulli cognita.
Sed & otii sedem hic, sed & requietis hic,
Atque hilaritatis sedem habet lætissimam.
Hic suetus animum solus, hic cum æqualibus,
Hic quoque amicis, cumque longinquo hospite
Laxare doctis musicis sermonibus.
Locus hic ioci, conuiuii quin hic locus,
Modici & modesti, sed tamen conuiuii,
In quo sit vna Phœbus, in quo virginum
Cœtus sororum ter trium, atque iterum trium
Accumbat vna: queis & interdum simul
Admitto Comum, admitto Bacchum; at sobrios,
Aut limites intra pudentes ebrium hunc,
Illum verecunde iocosum & garrulum.

 Sin

Sin fabulis, sin poculis, lasciuius,
Liberius indulgere video; mox foras
Illum, vel hunc, vel vtrumque simul elimino.
Monitum memineris quisquis hic conuiuaueris,
De Pergula tantum est, quod edictum omnibus
Cupio, minutis, maximis medioximis,
Etsi alia sunt, quæ persequi haud opus arbitror:
Dignum loco, dignumque se quid sit putet
Sibi quisque secum: Nunc dabo legem Hortuli,
Primum initus huc liberior est, est ambitus,
Sed nec cuiuis, sed nec omni tempore,
Sed nec cuique ex arbitratu adeo suo.
Ne qui insciens pecces, habe cuncta ordine:
Licet & virili & segniori muliebrique sexui
Introire, dum liceat per ætatem tamen
Quibus hæc negat, custos sit, & dux additus:
Ita & his licuerit. Si aliter admitti volent,
Pueri, an puellæ venerint, frustra volent
Maturiores, nisi familiares erunt,
Nisi erunt amici, niue notorum dabunt
Niue hospites hic tesseram secum adferent;
Excludo & ipsos. Virgo matrona, institam
Induta, pallamue aut stolam, aut aliud genus,
Cui syrma post tergum trahatur longius,
Tragicam abiice vestem protinus. si id renuis,
(Vt gratiam faciam hanc pudori:) saltem age,
Attolle caudam pendulam: aut in rem malam.
Malæ pestis horti vos exitiabilis.
Iam tempus aduentus & horam commodam
Vis scire de me? equidem ipse non plane scio.
Hora alia & alia est, certa finiri nequit:

Eadem

Eadem nec omni est tempore opportunitas.
Ab Hero ista pendent; id est, pete illinc tempora
Et temporum articulos: ita iniunxit mihi
Iniungere aliis cum hic dabit veniam, veni.
Sed iam venis? ingredere felici pede.
Dum ingrederis, Horto bene precare & Hero bene,
Bene mihi quoque etiam: aut te retrorsum abigo male,
Ingressus, hic quadrata vel per compita,
Puluillorum vel per alios ordines
Licet ambules, errantibus vestigiis
Multiplices anfractus legens relegens via,
Sed pendula planta atque sollicito gradu,
Ne forte temere hic quod satum aut natum obteras,
Nimio labore & sumptibus nimiis hero
Ipsa herbula ac cultura earum constitit.
Nam quod vides cunque, omne pene exoticum,
Aduectum ab oris orbis amoti procul,
Procul orbe nostro, procul & hoc sole & solo;
Ex Italorum transditum viridariis,
E Graciaque, Hispaniaque & Gallia,
Ex India penitissima, atque ex Arabia.
Tum quidquid est, domini labor auit manus:
Herus ipse seuit, coluit ipse hinc scilicet
Vegeta illa virtus ortus, & auctus facilitas,
Felicitas hinc illa florum & fructuum,
Hinc nitor & ordo, hinc omnis horti est indoles,
Hinc maius herbis pretium, & hinc pretium hortulo.
Caute ergo, caute ne quid obladas caue.
Transcurrere hinc inde immodeste, atque in modum
Lasciuientis peruagari hœdi abstine.

Cui pruriunt mage liberum ad motum pedes,
Alium ſibi reperito curſura locum:
Niſi vult fricari ſic benigne & molliter,
Pruritus vt tandem in dolorem tranſeat.
Hæc dicta lex, hæc dicta pedibus pœna ſit:
En manibus etiam hanc accipe. Etenim quod putes,
Si quid placebit, tangere hoc aut tollere:
Caue fueris auſus nil tibi vti, nil frui
Fas, niſi vel oculis, niſi vel ipſis naribus.
Qui doctus herbas carpere, & flores tamen
Non imperitus legere fors aduenerit,
Vni liceto carpere & legere vnico:
Verum apta, verum pauca, verum haud optima.
Auguſta ſunt hic ſpolia ſpoliatori huic:
Auguſta ſed ſat præda prædatori huic:
Reliqui manum intra togulam habento; Si togax
Extuleris ad tactum quis, aut raptam rapax;
Rapieris & tangeris, vt tetigiſſe nil,
Rapuiſſe nil, veniſſe ſed nec maueli.
Neque moliens quid, me latebis neſcium.
Non ſum Argus equidem, ſic ſat oculatus tamen:
Quocunque agis te, video te, & quodcunque agis.
Num ſum Draco Maßylus, aduigilo tamen:
Quandoque vis, conare; nunquam obrepſeris.
Vos moneo, vos præ cæteris iterum ô meæ
Momeo puellæ parcite horto, parcite
Vobiſmetipſis noui ego, vt ſitis malæ
Merces auare mercium iſtiuſmodi;
Suetæ equidem, quos fertis intro ad nos ſinus,
Dextraſque ſteriles, ferre poſt grauidas foras,
De more caprarum omni carparum omnia

Saua

Sæuo inuolantes vngue sine more & modo.
At nil corollis hic, nihil struppis satum:
Nullo hinc amator, Sponsus hinc nullo potest
Munusculo gratiusculo donarier.
Si quam cupido, si lubido coegerit
Audaciter tentare quid nihilominus:
Iam pœna præsest. Pœna quæ sit, quæritis,
Cum hic nulla vobis pareat, quæ alibi assolet,
Obscena virga hortensis obsceni Dei?
Nil sane habere istum hic herus voluit loci.
Penita namque hæc pœna, pœna nil habet
Consimile penitus, quam vel vltro multa ament,
Neque talis aut vos, aut herum sat decuerit.
Sed pœna præsto est alia: me, me cernite,
Hoc ore ego vos quadriformi per vices,
Hoc tam ore vario tamque deformi senex
Vestra ista formosa & nimis lepida oscula
Sic basiando, suauiando conteram,
Fecisse vti pœniteat ex animo statim:
Nec basiandi, suauiandi pausa erit
Tamen ante, quam iuretis vrgenti mihi,
Venerem per ipsam, perque Amorem ipsum simul,
Vestros per oculos, perque amatoris simul,
Non facinus vnquam deinde facturas idem.
Iamque autumo edictum satis, queis legibus
Tenuisse sese aduentor omnis debeat.
Vos modo tenete: atque oribus iam singulis,
Vt finiens moneam iterum & iterum singulos:
Vir iuuenis, adolescens, puer; tum deinde tu
Matrona, virgo, puera; quisquis quæquæ eris,
Factum bonum, hæc edicta vti serues mea.

LEGES
HORTENSES.

HOrtus LAVRENTII SCHOLTZII voluptati, vitæ humanæ sospitatrici, sed nec omni, nec omnium, sacer esto.

Primo Heri ipsius inprimis: cui à laboribus & curis hic releuamen, animique exerciti restauramen.

Proxime amicorum: quorum vsu & fructu commune hoc cum Hero bonum.

Deinde & hospitum peregrinorum; si quibus forte visere lubido.

In his & illis tamen nō omnium promiscue, sed aut eruditorum, aut eruditionis amantium: quique vel eorundem cum Hero sacrorum mystæ, vel candidati, vel certe non prorsus alieni.

Vulgus profanum procul abesto; locum sacrum nec oculis, nec pedibus violato.

Illud nihilominus Floræ & Veneri, Præsidibus hortorum dator: fœminæ pudicæ sed in flore ætatis & venustæ intromittuntor: aliæ fama, aliæ forma longe arcentor.

Ad hoc, ne qua interea sterilis obrepat, ominis caussa religiose cauetor.

Virgines tamen, etsi quæ aliæ non incertæ fæcunditatis adhuc spe, extra metum exclusionis sunto.

Pueri

Pueri etiam & puellæ, in amicorum gratiam & honorem, sed non sine Comite & custode, admittuntor.

Quicunque admissi, voluptatis causa ineunto.

Voluptatem autem, vt honesta sit, & vtilis, moderantor.

Ergo vel aspectu florum & herbarum cultusque omnis hortensis amœna contemplatione vel alterni sermonis & colloquiorum iucunditatte se oblectanto.

Sed in vtroque genere modeste se gerunto, & hæc diligenter obseruanto.

In horto lustranto, ambulare quouis cuiuis; vagari hinc inde nemini ius esto.

Puluillorum variatum ordinem improuido incessu ne turbanto: nihil illic sati aut nati oblædunto.

Manibus, nisi periti herbariæ rei, nihil omnium omnino attinguntor.

Oculis reliqui, si quid placet, vsurpanto tactu & raptu abstinento.

Quod volent tamen floris; ab Hero ipso, aut Curatore, aut docto alias carptore comite, si vas, impetranto.

In sermonibus, ne exleges & à loci conditione abhorrentes sint, vidento.

Narrare, sed nihil serium; iocari, sed ne lasciuius, liceto.

Docti disputationibus amœnis ingenia exercendo; de studio potissimum & re hortensi dis-

ferendo, interrogando; qui poſſunt, docento; qui volunt, diſcunto.

His & talibus ne diei tamen multum extrahunto.

Pauculis horis, pro anni tempore, aut heri opportunitate, contenti ſunto.

Crebrius veniunto, quam diutius hærento.

Abeuntes animum lætum & gratum referunto.

Hero ſalutem, horto incrementum perpetuum precantor.

Si quid inibi valde placuit; nimiis laudibus & admiratione Faſcinum aut Nemeſin ne concitanto.

Si quid placuit minus; ſilentio potius æquo feronto quam ſermonibus iniquis differunto.

LEGES CONVIVALES.

HOrtus hic voluptati honeſtæ & vtili ſacer, etiam conuiuiis, quorum voluptate, nec honeſtior, nec vtilior alia, ſacer eſto.

Conuiuia nomine & titulo FLORALIVM VVratislauienſium celebrantor.

In hæc ſacra & hanc voluptatem idonei conuiuæ, viri boni, elegantes, eruditi, faciles, hilares vocantor; nec matronæ caſtæ, aut formoſæ honeſtæque virgines excluduntor.

Sed neque plures vna vice ſunto, quam horti

cænaculum, pergula ista commode capiat; neque pauciores, quam laxitas eiusdem modica requirat. Nec solitudo, nec turba esto; placeatque ne numerus vel supra Musarum vel infra Gratiarum.

Sed nec alii simul vnquam sunto, nisi inter quos honorum tamen & ætatis discrimine seruato, quædam quasi Æqualitas, & ipsa omnino Libertas constare possit.

Qui tales erunt, opportuno tempore, verno maxime & æstiuo, cum & quoties Domino Floræ suæ sacra celebrare libuerit, inuitantor; inuitati sine graui causa ne excusanto; volentes ad volentem veniunto.

Venientes, domi curas & sollicitudines omnes relinquunto; Lubentiam, Risum, Iocum comites adducunto, ad Floralia, sed honesta & modesta, quibus & Cato intersit, ire se cogitanto: ingressi & excepti, Domino se singuli danto: eius dictis & iussis obediunto.

Herus enim ipse conuiuii Rex & Modi imperator perpetuus esto; nisi suam vicem vltro alii mandarit: quod tamen ne temere fito.

Post inambulatiunculam & inspectionem totius horti, quamlibet curiosam loci ordine discumbunto.

Ordo, vt alia omnia, ab arbitrio conuiuatoris esto.

Conuiuium ipsum Philosophice & Musice instruitor.

Apparatus epularum & bellariorum ne ni-

mis exquisitus, neque ferculorum aut varietate aut copia notabilis, prorsus sine luxu, sine pompa esto; sumptus intra ciuilem modum qualem lex Fannia iubet, aut Licinia centenaria: deliciæ mensarum castæ, maximam partem hortenses & inemptæ, quas cultoribus nempe suis Flora promittit.

Cœna non Pythagorea, sed Platonica; non inter mutos, sed facundos esto: ne sileat aut langueat sine fabulis hilaritudo.

Pro se quisque modis omnibus temperare conuiuium studeto.

Igitur ioca & dicta, quæ sal & sol etiam reliquæ vitæ proprie in conuiuatione habitant, largiter adhibentor: Lasciuia tamen in illis, in his acerbitas vitantor: vltraque intra licentiam & conuicia sunto.

Rixæ contentio, clamor ad Lapithas, Centauros, Thracas ablegantor.

Musæum aliquid & Philosodh'cum siue Medicum proferunto. Sed id ipsum ne nimis arduum & anxium, sed nec obuium aut tritum, & amœnum vero & facetum sit, vidento.

Præcipue ex cultu hortorum, reque herbaria, & natura rerum vniuersa ζητήματα lepidiora & loco cognata sumunto.

Quodcunque fuerit, de eo modice & modeste inter se conferunto: scrupulos & quæstionum sinus ne quærunto, ne tentanto.

Sermones poculis crebriusculis interstinguunto.

Pocula

Pocula eiusmodi sunto, quæ hilaritatem excitent, non obruant.

Immania illa Lapidarum, & istud Nestoris Homerici nusquum videntor; minuta & rorantia hæc Xenophontea vbique mensam coronanto.

Vinum purum, putum, vt matre natum est, bibitor.

Nymphæ in exilium mittuntor, ne lymphatum vinum mentes efficiat lymphatas.

A summo ad imum more maiorum bibunto: Cyathos in dextram circumferunto.

Tamen extra ordinem inuitare quemque cuique libuerit, liceto.

Inprimis pro salute Heri & Horti, pro vigore vtriusque & virore in orbem bibunto.

Sed ante Floræ & Veneri; tum Musis & Apollini; tum Gratiis & Genio libanto.

Post in honorem vel amici vel magni viri; Domino siue alio præeunte reliqui de more inuicem solenni reuerentia propinanto.

Omnes bona fide & Germana simplicitate bibunto.

Prouocati religiose vltro respondento.

Certamina de æqualitate haustuum sublata penitus sunto.

Pocula ex more veteri sertis adornantor: & flos Liberi, flore Veneris, aut quo alio, pro anni tempore, coronator.

Conuiuę etiam ipsi iuxta patrium, t eq; con-

tra

tra priscum om ninoritum singuli corolla horti vernacula & indigena donantor.

Mensa denique & mantilia mappæque floribus sertis & solutis conspergu ntor.

Floralia maxime floribus; & liberali omni lætitia celebrantor.

Cessante sermonum & poculorum vice concentu auium alumnarum ipsius horti se oblectanto.

Silentibus his quoque Musica vel viua vocis humanæ, vel cuiuscunque generis artificiosa, vel vtraque simul exhilarantor.

Inter hæc & quæalia cunque solutior hilaritas subiicere solet: conuiuium ad multam etiam noctem, quamdiu vna volent, protrahunto.

Commodi tamen & omnium à singulis, & ab omnibus singulorum. Heri præcipue & honoratissimi conuiuarum ratio diligens habetor.

Abituri, salutato Domino & coëpulonibus ex ordine singulis, dexteræ inuicem porrectione, Fidei admonentor.

Quidquid dictum, aut indictum; quidquid factum aut infectum; in vino inscribitor: memoriæ non inscribitor.

Si quid meminisse tamen iuuerit, sibi scire satis habento; alii per vrbem nemini narranto.

Mensam & Aio Locutio Romano, & Ægyptio Sigalioni sacram censento.

Qui hasce leges frausus erit, è consortio bonorum eiicitor, ex amicorum numero deletor;

D. O.

D. O. M. A.

MARTINVS CHEMNITIVS LOCI AMOENITATE ALLECTVS HORTVLVM HVNC cum ędicula, si forte in hoc secessu ab interpellationibus negotijsque Aulæ grauioribus aliquid vacationis remissionisve inuenire queat animus, Anno M. DC. X. parare cœpit, hisq; legibus,

D. D.

HOSPITES QVICVNQVE ERVNT, Aeternum illud Triunum Numen religiose Venerator, illius sapientiam, omnipotentiam & benignitatem ex multiiuga arbustorum, florum, herbarum, qua colorem, qua odorem, qua saporem varietate agnoscunto, admirantor, prędicanto.

Ad hortum accessuri sollicitudines omnemque mentis ægrimoniam domi relinquunto; curis vacare vnica cura esto.

Iras, inimicitias, simultates ante portam deponunto. Ad prandium cænamve inuitati luxum lautitiasve ne expectanto.

Epularum frugalitatem sermonibus litera-

tis, facetiis, locis, salibusve, ita tamen vt mordacitas absit, condiunto.

Potu ad hilaritatem, non ad temulentiam, vtuntor; magnis cululliis alter alterum ne vrgento.

Dicta indicta, facta infecta vino zythove inscribunto.

Amicum absentem ne rodunto, sed alio culpante defendunto.

Areolatum ordines ne turbanto; flores, herbas, arborumque fructus ne corrumpunto vel diripiunto.

Seruorum, si quos secum adduxerunt, tagaces manus seuere cohibento.

Qui rariori planta, flore, semine hortum exornarint, hisce corona suaueolens, gratiq; animi memoria præmium esto.

Horti herum omnibus, quantum fas est, obsequi paratissimum fauore, amore, beneuolentia prosequuntor.

Qui secus faxint, bonorum consortio exulanto. atq; horti limine arcentor.

LIPSIANI HORTI

LEX.

In ipso aditu, sub persona

BIFRON-

BIFRONTIS IANI.

B. F.

Quisquis es STA, LEGE, PARE,
IANVS ad hoc limen sic EDICO.
HORTO & HERO fruendi tibi ius esto:
XI. Sed illo ad ASPECTVM, isto ad SERMONEM.
Nisi OCVLIS, quidquid heic satum aut natum, ne LIBATO.
TIRO esto, MANVM apud te habeto.
Si effers ad TACTVM, aut ad RAPTVM,
Verbo dicam, te EFFERTO.
XII. Sed nec HERO vsquequaque FRVITOR.
Ante SEXTAM vespertinam ne ADITO:
Post SEPTIMAM ne MANETO.
Horæ aliæ, ad alias illi curas.
Heic cogitat, heic pangit;
STILVS heic est, Abi MVSCA.
Quid si & CÆNA? abi MVSCA.
XIII. SERMONES etiam ne exleges.
IOCARI licet:
NARRARE licet:
ROGARE licet:
Sed nihil SERIVM.

GRATIARVM hic locus est.
XIV. Si quid AMOENIVS tamen in STVDIIS:
Inter AMBVLANDVM.
Dissere, doce, disce.
Et MVSARVM hic locus est.
XV. Tu qui SERIOSVS,
Tu qui RIXOSVS,
EXESTE.
CLVSIVS ego sum vobis.
XVI. CANIS, præter vnam, EMANETO.
HECVBA præter vnam, EMANETO.
Habes? hoc etiam,
QVOQVO TE AGIS, TE VIDEO, &c.

LEGES VILLICÆ SEV GENIALES prope Bononiam in amœnissimo prædio foribus inscriptæ.

HAnc villulam, atque hunc agellum, qui animi aut valetudinis causa inuiserint, ne voluptas valetudinem, corporisve curatio voluptatem corrumpat; neue locus, qua sacer est, videtur, aut qua cultus est, deseratur, hasce obseruanto leges.

Deum Opt. Max. proxima in æde primum venerantor. Quiduis postea lustrando, se vbiuis exercento, vbiuis quiescunto, sed hoc citra languorem, cis sudorem illud. Seruorum greges impor-

importunorum non modo à pomariis, ſed procul ab vtroq; pomario interea excluduntur. Si quos tamen miniſterii cauſa voluerint, paucos & modeſtos introducunto, qui nec hilum attingunto, inconſulto villico. Eis abeuntibus, pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, pro cuiuſque perſona, flores, frondes, ramuſculos, poma, olera, viritim villicus diſtribuito. Quos ruris dominus ad prandium cœnamve inuitarit, curæ, mœrores, triſtitiæ in vrbem remittuntor; voluptates honeſtæ, iocus, hilaritas remanento. Menſæ eleganter & ſplendide ſine luxu ac pompa, aprico opacove loco, pro anni tempore, parantor. Dapes ſolito lautius ac copioſius, ſed ad vitam viuendam, non ad mortem maturandam, apponuntor. Pocula, quæ ſitim pellant, non quæ hoſpitem obruant, potantor. Interim auium concentu, & aquarum murmure ſe oblectanto. Iis ſilentibus, Iopæ, Amphiones, Orphei, loquaces compeſcendo; aureis mulcento. Remotis menſis atque arbitris ſuis, cuique conuiuarum mores paulo liberius pati, ſeni, iuueni, faceto, dicaci, vel ad ineptias vſque fas eſto. Si qua licentius poti dixerint, fecerint; ea in vrbe aliis narrare, aut omnino memoria habere fas non eſto. Scorta, ſcurræ, paraſiti, præſtigiatores, arioli, ac eiuſmodi impurum & profanum genus procul arcentor. Aleis, latrunculis, ſcrupulis, talis, ſi qui ſe oblectare maluerint; nemini tunc vitio da-

 tor,

tor, modo fiat modice, ne forte iacturæ dolor in gaudij, cui hic locus à maioribus dicatus, sedes mœrorem induxerit. Hisce actis, in eodem sacello Deo item opt. Max. gratias agunto. In vrbem læti ludibundiq; abeunto.

Ibidem,

Gaudentum locus hic; procul hinc discedite tristes.

IN HORTI MEDICI VESTIBVLO.

I. Portam hanc decumanam ne pulsato ante diem Marci Euangelistæ, nec ante horam. XXII.

II. Per decumanam ingressus, extra decumanam ne declinato.

III. In viridario scapum ne confringito, neve florem decerpito, ne semen fructumve sustollito, radicem ne effodito.

IV. Stirpem pusillam, succrescentemq; ne attrectato; neve areolas conculcato.

V. Viridaria iniuria ne afficiuntor.

VI. Nihil inuito præfecto attentato.

VII. Qui secus faxit, ære, carcere, exilio, mulctator.

IN

IN HORTIS VERTVMNVS.

Pomiferum quicunque venis nouus hoſpes in hortum,
ne mea miratus quæ ſit imago, roga.
Eſt mihi vertumno nomen, quia vertor in omnes.
quas animus formas geſtit habere meus.
Nunc habitu meſſor, nunc ſum robuſtus arator.
nunc manibus iures gramina ſecta meis.
Nunc frondes poterunt credi, vitisve putata,
Mollia nunc ramis poma reuulſa ſuis.
Quæ lubet, hanc ſumo faciem, res nulla repugnat,
quælibet in vultus apta figura meos.
Hinc eſt, primitias anni quod grata vetuſtas.
inq; meas aras lactea dona dabat,
Seu patulis ſurgens ramis produceret arbor,
ſeu variis cingens floribus herba caput,
Nunc adeo, totoquæcunque leguntur in horto.
in manibus ſpectas munera prima meis.

Poma, nuces, vuas, pyra, pruna, cydonia, mora,
quæq; nimis longum cuncta referre foret.
Si lubet e multis aliquid, quodcunque lubebit.
accipe, larga manus nil tibi nostra negat.
Hoc saltem oro vnum, pleno si ventre recedes,
dicas: *vertumni munere vado satur.*

FINIS.





INDEX



INDEX MATERIARVM HOC OPVSCVLO COMPRÆHENSarum locuples.

A.

excel-

Athei

Solertia

Crea-

G.

H.

I.

L.

M.

Poma, nuces, vuas, pyra, pruna, cydonia, mora,
quæq; nimis longum cuncta referre foret.
Si lubet e multis aliquid, quodcunque lubebit.
accipe, larga manus nil tibi nostra negat.
Hoc saltem oro vnum, pleno si ventre recedes,
dicas: *vertumni munere vado satur.*

F I N I S.







INDEX MATERIARVM HOC OPVSCVLO COMPRÆHENSarum locuples.

A.

excel-

B.

C.

Fati

G.

H.

imago

I.

L.

Linum

M.

N.

O.

P.

à diuersis

Q.

R.

Rosa

S.

FINIS.





